Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0001-1

Nab. 5.
5.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0002-7

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS NONVS

DENUO EDIDIT
VARIISQVE OBSERVATIONIBVS
ADAVXIT
IO. FRIDERICUS COTTA
THEOLOGUS TUBINGENSIS.

TUBINGAE
SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE
M D CCLXIX.

BIBL. REG. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

IO. FRID. COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

Nonus nunc tomus *locorum theologicorum* b. GERHARDI in lucem publicam prodit, argumentumque, quod sub finem præcedentis tomi cœptum erat, continuat. Postquam enim in volumine modo excitato doctrinam de *sacramentis*, *generatim* spectatis, non tantum θετικῶς, sed & ἀντιθετικῶς uberius pertractaverat laudatissimus vir, nunc ad *specialem* progreditur tractationem, atque a *circumcisione*, primo veteris testamenti sacramento, dicendi facit initium, eiusdemque originem ab ipso Deo repetendam esse, ex *Genes. XVII.* 10. *seqq.* & *Lev. XII.* 3. recte comprobat. Non defuisse tamen, tum antiquiori, tum re-

centiori ætate, qui, HERODOTI cumprimis auctoritate inducti, morem genitalia circumcidendi ab Ægyptiis ad Ebræos profluxisse statuerent, in notis nostris textui Gerhardiano subiectis, data opera ostendimus, eorumque simul, qui ita sentiunt, errorem profligavimus. Adiunximus quoque passim alias observationes, quibus ea, quæ GERHARDUS noster de hocce argumento disseruit, subinde emendantur, subinde vero uberius illustrantur atque supplentur.

Expositis iis, quæ de *circumcisione* scitu cognituque sunt necessaria, ad alterum veteris testamenti sacramentum, puta *agnum paschalem*, transitum facit GERHARDUS noster, ac præcipua capita, quæ ad doctrinam hancce spectant, paucis complectitur. Copiosius vero universam de paschate doctrinam recentiori ævo enodavit SAM. BOCHARTUS in præstantissimo libro *hierozoici* sui, cumque liber iste in paucorum manibus sit, ex eodem, uti & ex LIGHTFOOTI, DORSCHEI, FRISCHMUTHI, EDZARDI, SEBAST. SCHMIDII, WITSII, CLERICI, SNABELII aliorumque scriptis nonnulla, quæ ad uberiorem huius argumenti expositionem pertinent, GERHARDUM nostrum supplevimus. Speciatim *p.* 36. *seqq.* luculenter ostendimus, non omnes cærimonias in primo paschate a Deo præscriptas, fuisse perpetuas, sed nonnullas, ex intentione divina, in Ægypto duntaxat usurpatas. Disseruimus quoque *p.* 40. *seqq.* de vexatissima controversia: *an Christus ultimam cœnam paschalem eodem cum Judæis die celebraverit?* passimque peculiares IO. SPENCERI de paschate sententias non tantum enarravimus, sed & easdem subinde confutavimus. Cumprimis *p.* 49. *seqq.* quæstionem in theologorum scholis dudum iam agitatam: *an pascha Israëlitarum veri nominis fuerit sacrificium?* copiose pertractavimus, ostendimusque luculenter, si de paschate

schate non tam *Ægyptiaco*, quam *Hierosolymitano* quæstio instituatur, agnum paschalem alia atque alia ratione & sacramentum fuisse, & simul veri nominis sacrificium, licet in quibusdam partibus ab indole sacrificiorum recesserit.

Absolutis iis, quæ de veteris testamenti sacramentis erant dicenda, ad tractationem de sacramentis in novo testamento a Christo institutis progreditur GERHARDUS noster, & primo quidem loco de *baptismo* adcuratam copiosamque instituit tractationem.

Licet vero prorsus egregia lectuque dignissima sint, quæ de argumento hocce gravissimo olim commentatus est vir de doctrina sanctiori præclare meritus; in adcuratiori tamen eorum, quæ hanc in rem scripsit GERHARDUS, perlectione facile deprehendimus, esse nonnulla, quæ vel plane prætermiserit, vel leviter tantum perstrinxerit laudatissimus vir. Experiebamur, ex vero olim pronunciasse SENECAM: *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi.*

Adiecimus itaque & nos, prout in præcedentibus locis iam fecimus, ita heic quoque, varii generis observationes, partim ex historia ecclesiastica, tum antiquiori, tum recentiori petitas, partim vero theologicas, easque tam exegeticas, quam dogmaticas nec non polemicas. Speciatim de identitate baptismi Joannis & Christi, de pædobaptismo, iisque, qui eundem impugnarunt, de forma baptizandi a Christo præscripta, de immersione in a-

quam, qua veteres christiani usi sunt, de baptismo *super mortuos*, cuius gentium apostolus meminit, itemque de campanarum baptismo uberius disseruimus. Prætermittimus complures alias observationes textui Gerhardiano passim a nobis subiunctas, quas in *conspectu contentorum in hocce volumine occurrentium*, qui eidem sub finem fuit adiectus, breviter indicatas deprehendent lectores.

In proximo, quod prelo mox subiicietur, volumine locum de *sacra cœna*, quem, more suo, solide ac perspicue pertractavit GERHARDUS, lectoribus nostris exhibebimus, eundemque, si longiorem nobis vitam viresque concesserit Deus, nostris animadversionibus pariter adaugebimus.

Faxit benignissimum numen, ut ex nostris qualibuscunque laboribus haud exigua ad eos, quibus huius generis scripta destinari solent, redundet utilitas. Misereatur ecclesiæ suæ ac verbi sui doctrinam illibatam porro conservet, eiusdemque fructus in vitæ sanctitate exsistere iubeat uberrimos.

Scripsimus Tubingæ die XXVII. Mart.
anno reparatæ salutis humanæ
MDCCLXIX.

LOCUS

LOCUS XX.

DE CIRCUMCISIONE ET AGNO PASCHALI.

CAPUT I.

DE CONVENIENTIA ET DISCRIMINE SACRAMENTORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Connexio cum loco præcedente.

§. I.

Egimus hactenus de sacramentis in genere; restat, ut in specie de illis disseramus. *Sacramenta alia sunt veteris, alia novi testamenti.* Sacramenta vet. test. sunt, quæ ante Christi adventum instituta, eminus ipsum monstrarunt & figuris quibusdam adumbrarunt, quo demum exhibito & partes officii a Patre cœlesti sibi demandati exsequente abrogata sunt. Sacramenta nov. test. sunt, quæ a Christo instituta ipsum exhibitum testantur & præsentem offerunt, duratura in ecclesia usque ad mundi finem. Antequam vero in specie de utriusque testamenti sacramentis agamus, prius de convenientia & discrimine eorum tractandum fuerit. Esse aliquam sacramentorum utriusque testamenti *convenientiam*, nemo facile negaverit, cum non solum conveniant: 1.) *appellatione*, sed etiam 2.) *genere proximo*, 3.) *causa efficiente principali*, quæ est Deus unicus, sacramentorum auctor. Ut idem est Deus ac Dominus, tam in vet. quam in nov. test. ita quoque idem utrobique sacramentorum auctor. 4.) *causa finali generica*, quæ est promissionem evangelii propriam de remissione peccatorum offerre, exhibere & credentibus adplicare, eandemque obsignare & confirmare. 5.) *materia & forma generica*, sive partium συσατικῶν numero, quatenus scilicet omne sacramentum constat materia & forma, hoc est, quatenus omne sacramentum proprie sic dictum est actio sacra & solennis divinitus instituta, quæ versatur circa certum objectum peculiari verbo institutionis & promissionis determinatum. 6.) *usu*, utrobique enim fides requiritur, ut sint salutaria.

Convenientia sacramentorum vet. & nov. test.

Differentia eorundem.

§. II. Interim tamen unicuique sacramento est sua quædam propria materia & forma *specifica*, per quam est id, quod est, & ab omnibus aliis distinguitur, de qua ex propria institutionis sede judicari rectissime potest & omnino etiam debet. Vide ea, quæ superius dicta sunt §. 45. & 46. uti etiam §. 63. Etenim cum omne sacramentum sequatur naturam sui testamenti, & vero vet. testamentum habuerit tantummodo *umbram futurorum*, hoc est, figuras & significationes Christi suo tempore exhibendi, passuri & morituri: novum autem hujusmodi figuris & umbris destituatur, & præsentem offerat Christum jam exhibitum & pro nobis passum & mortuum, juxta expressa dicta Col. II. 16. 17. Hebr. X. 1. 2. ideo primaria ac præcipua sacramentorum differentia consistit in eo, quod sacramenta vet. test. fuerint *praenunciativa Christi venturi*, sed sacramenta nov. test. sint *adnunciativa Christi exhibiti*, ut loquitur Augustinus in Psalm. LXXIII. hoc est, *illa* fuerunt umbræ & figuræ, non ipsum corpus & expressa ac viva imago: *haec* vero continent ipsum corpus & imaginem solidam, non autem umbras & figuras, proinde ipsa substantia sacramentorum vet. test. fuit alia & diversa a sacramentis nov. test. Exempli gratia, *agni paschalis* substantia non fuit ipsum corpus, ipsa expressa imago, ipsa veritas, nempe caro & sanguis Christi, sed illius umbra & figura. Sed substantia *cœnae dominicae* est ipsa vera substantialis caro & sanguis Filii Dei incarnati, non nuda tantum ejus figura. Quo pertinent dicta patrum. Ambrosius de his, qui init. myst. c. 9. *Considera, uter praestantior sit panis angelorum, an vero Christi caro, quae utique est corpus vitae? Illis aqua ex petra fluxit, tibi sanguis e Christo.* Hieronymus in cap. I. ad Tit. tantum interesse dicit *inter sacram cœnam & panes propositionis, quantum inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa, quae per exemplaria figurantur.* Chrysostomus in cap. V. 2 ad Cor. *pro manna habemus corpus dominicum, pro aqua petrae sanguinem ex latere.* Theodoretus in cap. XI. 1 ad Cor. cœnam agni paschalis & dominicam conferens, *hanc esse verum illius archetypum* scribit. Huic principali & primario sacramentorum discrimini accedit alterum ex symbolo sacramentali externo, quod non est idem in omnibus sacramentis, sed in singulis proprium & peculiare, sicut etiam actio *sacramentalis* est sua cuique sacramento propria.

§. III. Ex quibus omnibus colligimus, differre sacramenta vet. test. a sacramentis nov. test. tum in *materia*, tum in *forma*. Materia sive objectum est *res terrena & coelestis*. Forma est *actio sacramentalis*. Res terrena in circumcisione est præputium: in paschate est caro & sanguis agni paschalis: in baptismo est aqua: in cœna dominica panis & vinum, quæ omnia non esse eadem, sed diversa, liquido conspicuum. Res cœlestis, nempe Christus θεάνθρωπος, in vet. test. sacramentis significabatur & adumbrabatur per *typos* & *figuras* sacramentales tanquam exhibendus in plenitudine temporis: sed in sacramentis nov. test. præsens exhibetur & datur per symbola sacramentalia tanquam media sive organa *exhibitiva*. Patet hoc non solum ex cujusque sacramenti institutione, sed etiam ex re ipsa, quia vet. test. fuit tempus umbrarum, sed in nov. test. figuræ vet. test. complementum & perfectionem suam in Christo exhibito sunt adeptæ, illis igitur non amplius est locus. Atque immotum est illud argumentum: Si in sacra cœna tantummodo figuram sui corporis & sanguinis Christus instituere voluisset, nequaquam abrogasset agnum paschalem, quippe cujus mactatio, assatio & αἱματεκχυσία longe clarius, manifestius & evidentius significabat Christi passionem, mortem & sanguinis effusionem, quam panis & vinum. Denique *forma* sive actio *sacramentalis* alia est in quolibet sacramento. Circumcisionis forma est amputatio præputii juxta Dei mandatum. Paschalis forma est agni paschalis certis ritibus segregati, mactati & assati manducatio, ac sanguinis in superliminari & postibus illitio. Baptismi forma est hominis ablutio, hoc est, adspersio aquæ vel immersio

sio in aquam facta in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Cœnæ dominicæ forma est manducatio corporis Christi cum pane benedicto, & bibitio sanguinis Christi cum vino benedicto. Præcipuis hisce differentiarum capitibus possunt alia quædam secundaria addi, utpote quod sacramenta vet. test. pertinuerint tantum ad populum Israeliticum, sed nov. test. sacramenta ad ecclesiam ex Judæis & gentibus collectam; quod illa durare debuerint ad Christi usque adventum & ministerium; hæc vero ad finem usque mundi. 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat;* quod hæc sint *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora*, &c. Augustinus lib. III. de doctr. christ. cap. 9. lib. XIX. contra Faust. cap. 13. Sed hæ & similes differentiæ sunt secundariæ ac momenti minoris.

Calvinianorum sententia de differentia sacramentorum.

§. IV. Qui Calvinum sequuntur, statuunt sacramenta vet. & nov. test. esse eadem quoad substantiam, differre autem tantummodo quibusdam accidentibus, videlicet *signis & ritibus, modo significandi, duratione, amplitudine, claritate &c.* Orth. conf. p. 63. *Eadem præsentia, conjunctio & perceptio rerum cum signis per fidem statuenda in vet. & nov. test. sacramentis, quæ externa tantum & visibili specie, quatenus illa Christum promissum & venturum, hæc vero exhibitum testantur & significant, inter se discernuntur* (*). Ursinus in explicat. catech. pag. 480. *Idololatria est non solum quærere aliam Christi κοινωνίαν, quam sit in verbo, sed etiam aliam Christi κοινωνίαν in nov. test. sacramentis quærere, quam quæ fuit in vet. test. sacramentis.* p. 482. *Oportet unionem sacramentalem talem esse, quæ omnibus sacramentis conveniat, alioquin non esset unio sacramentalis, sed cœnalis vel baptismalis.* Fundamentalis doctrina de cœna Heidelberg. germ. edita p. 10. *Invisibilia spiritualia dona, quæ visibilibus significantur & obsignantur, eadem sunt in omnibus sacramentis.* Admon. Neost. contra form. conc. p. 44. *Liquet omnia sacramenta monstrare & promittere communionem Christi & beneficiorum ejus unam & eandem.* Bucanus loc. XLVI. p. 603. *Sacramenta vet. & nov. test. differunt* 1.) *adjunctis externis & temporis circumstantia, nam illa μέχρι καιρῶν διορθώσεως usque ad tempus directionis, hæc vero ad finem seculi durare debent:* 2.) *significandi modo seu conditione; vetera enim præannunciarunt Christum tanquam venturum, nova eundem tanquam exhibitum declarant:* 3.) *diversitate seu qualitate signorum, seu signis & ritibus multum diversis:* 4.) *numero significandi, mensura, virtute & facilitate &c. Sed* (inquit) *hæc tamen non efficiunt, quo minus sacramenta nostra & veterum, quod ad substantiam attinet, sint eadem.*

Quid de ea statuendum.

§. V. Hac de re ut rectius fieri possit judicium, observanda sunt sequentia. 1.) Opinionem illam, quod sacramenta vet. & nov. test. sint eadem quoad substantiam, niti duabus illis hypothesibus, *primo*, quod unum tantum quoad substantiam sit fœdus ac testamentum; non autem duo diversa, cum sit unus reconciliationis modus, una fides, atque una salutis via omnibus mundi temporibus; constitui autem duo fœdera propter externas quasdam ac minus principales circumstantias, quæ in utroque testamento sint diversæ, de qua hypothesi quid statuendum sit, late ostendimus in tractatu de evangelio §. 119. & seqq. *deinde*, quod forma sacramentorum nov. test. non minus consistat in

(*) Ibidem pag. 129. *Constat, quod non solum nullum inter vet. & nov. test. sacramenta discrimen statuatur, quantum attinet ad res ipsas, sed nec quoad modum præsentiæ & conjunctionis rerum cum signis.* Beza in qq. & resp. part. II. p. 27. *Tantum signis & verbi perspicuitate nostra a veteribus differre* ait, *non re interna, non instrumento adplicationis, non fine neque effectu.* GERHARDUS.

analogia *significativa* ac χίσει quadam *figurativa*, quam forma sacramentorum vet. test. de qua hypothesi itidem egimus superius §. 48. Cum ergo duæ illæ hypotheses, quibus velut cruribus doctrina de essentiali identitate sacramentorum utriusque testamenti innititur, falsæ sint, facile adparet, quid de ea sit judicandum. 2.) Adcurate distinguendum esse inter *substantiam* & *usum* sive *finem* sacramentorum. Quamvis enim sacramenta vet. & nov. test. conveniant fine *generali*, quod in omnibus promissio gratiæ offeratur & credentibus adplicetur, confirmetur atque obsignetur; ex eo tamen inferri nec potest nec debet, quod omnium sacramentorum eadem sit substantia; immotum enim manet illud apostolicum: *Lex* sive vet. test. *umbram habuit futurorum bonorum*, *novum autem ipsam εἰκόνα* sive substantiam rerum olim adumbratarum, proinde sacramenta vet. test. sunt σημαντικὰ & *adumbrativa* Christi exhibendi; nov. autem test. sacramenta sunt μεταδοτικὰ καὶ προσφερόμενα Christi exhibiti. 3.) Differentias sacramentorum *secundarias* in externis quibusdam circumstantiis positas non tollere *principale* ac primarium differentiæ caput, sed potius præsupponere, ideo enim sacramenta nov. test. duratione, amplitudine, claritate, facilitate, efficacia &c. a sacramentis vet. test. differunt, quia in illis Christus præsens exhibetur & datur, in his vero significabatur & præfigurabatur. 4.) Quæ & qualis sit præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, de ea non esse judicandum ex conficta illa hypothesi, quod sacramenta vet. & nov. test. sint eadem quoad substantiam, quodque analogia *sacramentalis* omnium sacramentorum sit una atque eadem in significando tantum & obsignando consistens, sed ex propria institutionis sede, in qua diserte Christus dicit: *Edite, hoc est corpus meum. Bibite, hic calix est novum testamentum in meo sanguine.* 5.) Non elabi adversarios distinctione illa, quod sacramenta vet. test. significarint Christum venturum sive exhibendum; nov. autem test. sacramenta significent Christum exhibitum; differunt enim *exhibere* & *significare*. Ex verbis institutionis discimus, panem & vinum benedictum, symbola illa eucharistica, non tantum significare Christum exhibitum esse, sed etiam esse organa ac media, per quæ Christi corpus & sanguis vere nobis exhibentur. 6.) Quæ de majori claritate sacramentorum nov. test. disputant, non posse ulla ratione locum habere, quamdiu χετικὴ relatio ac *significativa* analogia omnium sacramentorum tam nov. quam vet. test. statuitur forma. Ecquis enim negare potest, majorem esse convenientiam corporis & sanguinis agni paschalis cum corpore & sanguine Christi, quam panis & vini? Itemque clariorem proponi significationem mortis & passionis Christi in mactatione, assatione & manducatione agni paschalis, quam in distributione panis & vini eucharistici? Nec dici potest, claritatem majorem in verbo evangelii inveniri, non enim de evangelii, sed de sacramentorum majori claritate hoc loco proprie quæritur: & promissio evangelica & sacramenta evangelica eandem habent claritatem nov. test. propriam. 7.) Nequaquam a nobis negari, quod sacramenta etiam nov. test. suas habeant significationes, sed hoc in quæstione esse, an in illis consistat forma eorum sacramentalis, quam negamus; pertinent enim illæ significationes non ad formam, sed ad finem sacramentorum, & quidem non ad finem principalem ac primarium, sed minus principalem & secundarium vel etiam adjunctum, ut admonuimus superius §. 48.

§. VI. Potissimum adsertionis suæ de *substantiali* sacramentorum *identitate* fundamentum quærunt in pronunciato apostolico 1 Cor. X. 3. *Patres nostri omnes eandem escam ederunt*, v. 4. *& omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (*). Si patres vet. test. eandem nobiscum comederunt escam in

Argumentum Calvinianorum ex 1 Cor. X. Patres nostri eandem escam ederunt.

(*) Vel tribus notamus, Paulum in oraculo supra a GERHARDO recitato non agere de *sacramentis proprie sic dictis*, sed recensere *beneficia* quædam eaque prorsus insignia, Igenti Israe-

in suis sacramentis, quam nos accipimus in nostris, utique non alia erit præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, quam χατικὴ & *significativa*, & per consequens sacramenta vet. & nov. test. non erunt diversa quoad substantiam. *Resp.* 1.) Apostolus nequaquam dicit, patres in deserto una *nobiscum* eandem comedisse escam, uti Beza, Bucanus & alii volunt, sed patres illos omnes sive Israelitas inter se confert, id quod ex serie textus manifestissimum est. v. 1. dicit, *Patres omnes sub nube fuisse & mare transisse*; v. 2. addit, *omnes in Mosen esse baptizatos in nube & mari*. Quod si particulam universalem *omnes*, in v. 3. & 4. usurparam ad nos adplicare quis velit, sequetur patres illos nobiscum & nos cum illis non solum eandem escam spiritualem comedisse, ac potum spiritualem bibisse, sed etiam patres eosdem nobiscum & nos cum illis fuisse, sub nube & mare transiisse, propter immediatam horum omnium in textu apostolico connexionem. 2.) Agnoscit hoc ipse Oecolampadius in hoc loco sic commentatus: *Non est facienda collatio nobiscum, sicut quidam exponunt, quod eandem, quam nos, escam ederint, sed inter ipsos fit comparatio, ut esca, quam Moses manducavit, nec Core, nec Abiran, nec mulieribus sit denegata.* 3.) Apostolus ibidem v. 6. *hæc omnia* dicit fuisse τύπους *ac figuras*, ostendit igitur, sacramenta veterum fuisse typos sacramentorum nov. test. perinde ut Petrus baptismum vocat ἀντίτυπον conservationis in arca 1 epist. III. 21. Quare cum in antitypo habeatur complementum, quod in typo pronunciatur futurum, consequens fuerit, in nostris sacramentis ipsam substantiam & expressam imaginem illorum bonorum haberi, quorum figura tantum & umbratilis delineatio proposita fuit in veteribus sacramentis. *Concedo*, (inquit Bucanus loco de sacram. p. 604.) *sacramenta veterum fuisse figuras & imagines nostrorum, non quoad res ipsas, sed quoad implicatius & obscurius res significatas adumbrarunt:* atqui *magis* & *minus* non variant speciem, si ergo nostra sacramenta itidem sunt tantum figuræ rerum ipsarum, (quamvis clariores quam sacramenta veterum) qua ratione dici possunt veteribus sacramentis præfigurata? Aliter nos docuit apostolus opponens invicem σκιὰν & εἰκόνα Hebr. X. 1. item σκιὰν & σῶμα Col. II. 17. illorum ergo bonorum εἰκόνα & σῶμα substantiam & expressam imaginem habet nov. testamentum ac novi test. sacramenta, quorum σκιὰν tantummodo habuit vetus cum suis sacramentis. 4.) Apostolus non loquitur tantum de fidelibus in ver. test. qui in manna Christum intellexerunt, & fide eundem, quem nos, cibum spiritualem comederunt, sed in genere loquitur de omnibus patribus, qui per mare rubrum transierunt, tam impiis quam piis; patet hoc non solum ex particula universali toties repetita, uti & ex transitu per mare rubrum, qui omnibus certe fuit communis, sed etiam ex subjuncto προσδιορισμῷ. v. 5. *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, prostrati enim sunt in deserto.* Quare cum apostolus de tali manducatione & bibitione loquatur, quæ impiis etiam & incredulis in deserto fuerit communis, quod scilicet omnes manducaverint manna, & biberint aquam ex petra profluentem, non potest ulla veritatis specie aut consequentiæ robore ex hoc loco colligi, quod non alia nisi typica & spiritualis manducatio corporis & sanguinis Christi in eucharistico nov. test. sacramento sit statuenda, quodque non ipsius substantiæ, sed beneficiorum tantum carnis & sanguinis Christi in eo reddamur participes.

Israëliticæ olim a Deo exhibita, quæ simul symbola erant & figuræ rerum futurarum. Dicit gentium apostolus, *omnes* (Israëlitas) *eandem escam spiritualem comedisse*, h. e. *Manna* cœlitus deplutum, quod adumbrabat *corpus Christi*, sive *Christum* potius, ceu *panem istum vitæ, qui de cœlo descendit*, interprete ipsomet servatore Christo *Joan. VI. 33.* Addit idem apostolus, *omnes eundem potum spiritualem bibisse, aquam* scilicet e petra fluentem, quæ pariter rationem habebat typicam, atque *aquam* istam, quam Christus sitienti præbet, *scaturientem in vitam æternam Joan. IV. 14.* adumbrabat. Observant quoque theologi, utrumque, *Manna* nimirum, nec non *aquam* e petra productam, typum fuisse sacramenti novi testamenti, sicut *petra* Christum adumbrarit.

5.) At, inquis, *si de manna & aqua ex petra profluente agit, cur illum cibum ac potum vocat spiritualem?* Resp. *spiritualis* dicitur tum propter *causam*, quia singulari Dei munere per cœleste miraculum populo Israelitico fuit datus, monente Chrysostomo & Theophylacto in h. l. tum propter *significationem*, quia repræsentabat escam & potum nov. test. Christum ratione carnis & sanguinis, ut ex cap. VI. Joh. evidenter probat Augustinus tract. XXVI. in Joh. tum denique propter *effectum*, quia credentes in his typis salutaria Christi beneficia non solum ob oculos sibi proposita eminus conspexerunt, sed & vera fide eadem sibi adplicarunt, ac proinde esus mannæ credentibus vere fuit spiritualis cibus, potus aquæ ex petra fuit ipsis vere spiritualis potus. 6.) At, inquis *Israelitae dicuntur bibisse de spirituali petra illos comitante, quae petra fuerit Christus; illa bibendi ratio certe non competit impiis aut incredulis in hoc populo.* Resp. ex serie textus manifestissimum est, apostolum loqui de omnibus patribus in deserto sine discrimine tam impiis quam piis, tam incredulis, quam credentibus. Omnes igitur de spirituali petra biberunt, sed diversimode: credentes & pii non solum *externe* & in typo, sed etiam *interne* vera fide Christi sanguinem bibebant, cujus typus in aquis ex petra profluentibus ipsis proponebatur: impii vero & increduli de spirituali illa petra Israelitas comitante non aliter bibebant, quam externe in typo & figura, dum biberunt de aquis ex petra profluentibus, consequenter ratione significationis dicuntur bibisse de petra Christo, quia scilicet externa petra, de cujus aquis bibebant, erat typus & figura veræ petræ, quæ est Christus. 7.) At, inquis, *apostolus dehortatur Corinthios a profanatione sacramentorum argumento ducto a sacramentis veterum, quod si veterum & nostra sacramenta ratione substantiae non sunt eadem, peribit vis argumenti apostolici. Nisi eadem sint sacramenta veterum & nostra,* (scribit Martyr in loc. comm. class. IV. cap. 7. §. 9.) *Paulus nihil concludit: Corinthii enim potuissent respondere, imo sacramenta nostra longe potiora sunt illorum sacramentis, &c.* Resp. non a pari, sed a fortiori argumentatur apostolus hoc sensu. Israelitæ profanationem suorum sacramentorum, in quibus tantum σκιὰν & figuram futurorum bonorum habuerunt, non tuleruntimpune. Ergo multo magis Dei iram & pœnas sibi attrahent, qui sacramenta nov. test. in quibus ipsa substantia illorum bonorum continetur, irreverenter tractant, sine vera pœnitentia & fide illis utendo; quo enim res in se dignior & præstantior, eo majori cum periculo illius profanatio conjuncta est.

CAP. II.

DE SACRAMENTIS VET. TESTAMENTI IN GENERE.

An sacramenta locum habuerint in statu innocentiæ.

§. VII. Ceterum ut ad specialem sacramentorum vet. test. explicationem descendamus, notandum fuerit, duo ordinaria & proprie dicta vet. test. fuisse sacramenta, videlicet *circumcisionem* & *paschα*, ut colligi potest ex illis, quæ superius a §. 65. usque ad 72. late disputata sunt (*). Quæruntur Scholastici, *An sacramenta etiam in statu innocentiae fuerint necessaria?* Respondent autem *negative*. Thomas part. III. q. 61. art. 2. adducit hanc rationem, *quia superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis, mens suberat Deo, menti suberant inferiores vires animae*, & ipsi animæ corpus. Si quæras, an tunc fuissent congrua? occurrunt divortia opinionum. Alensis parte IV. q. 1. memb. 2. art. 1. adfirmat, *fuissent enim ordinata ad intelle-*

(*) Pelargius in idea loc. comm. loc. XXII. de sacram. in genere p. 123. *Plura quondam erant vet. test. sacramenta, ex hisce erant celebriora quinque, videlicet circumcisio & quatuor sacrificiorum genera, quorum primum ante diluvium Gen. IV. secundum agnus paschalis Exod. XII. tertium expiationis annuae hostia Lev. XVI. quartum emundationis lixivium de cinere vaccae rufae. Num. XIX.* GERHARDUS.

tellectum & eruditionem gratiae non remediantis, sed perficientis. Richardus lib. IV. sent. dist. 1. q. 1. artic. 1. Gabr. Biel ibidem q. 2. artic. 2. & alii negant, *quia morbo non existente non opus sit medicina, ac hominibus non dispositis ad infirmitatem ne quidem praeservativa medicina danda, sed saltem regimen ordinatum praecipiendum.* Si obvertas, potuisse primos homines in statu integritatis ex sensibilibus similitudines spiritualium inspicere, respondent, *magis eos hoc potuisse ex influentia divini luminis, nec sufficere rationem accessoriam, ubi defit principalis.* Atque haec ita disputantur a Scholasticis, interim sine ulla absurditate dici potest, arborem vitae primis parentibus fuisse instar sacramenti & symboli immortalitatis. Quamvis enim sacramentum illud non fuit peccati remedium, (qualia sunt proprie dicta sacramenta post lapsum) tamen fuit gratiae divinae signum. Omissis ergo καιρικοῖς temporariis, atque *analogice* sic dictis veteribus sacramentis, qualia sunt arbor vitae ante lapsum, transitus per mare rubrum, esus mannae, aquae de petra eruptio, quin & conservatio in arca tempore diluvii, ros in vellere Gideonis, umbra solis in horologio Achas retrograda &c. de ordinariis, perpetuis & proprie sic dictis vet. test. sacramentis, videlicet *circumcisione & agno paschali* agemus. Circumcisio fuit sacramentum *initiationis*, pascha vero *confirmationis*. Circumcisionis institutio describitur Gen. XVII. Paschatis Exod. XII. Circumcisionis sacramentum masculis solummodo administrabatur; sed agni paschalis epulum & masculis & fœminis erat commune. Circumcisio tantum semel recipiebatur, sed usus agni paschalis quotannis redintegrabatur. Dicitur autem circumcisio a *circumcidendo*, sicut περιτομὴ παρὰ τὸ περιτέμνειν, quia in ea circumsecabatur ac praeputabatur, hoc est, praecidebatur pellicula illa extrema, quam Aristoteles vocat ἀκροποσθίαν, hoc est, cuticulam extimam τῆς πόσθης genitalis, & Paulus inflexa parumper voce ἀκροβυστίαν vocat Rom. II. 25 (*). Latinis pellicula illa dicitur *praeputium* passive scilicet, quia in circumcisione praeputatur, Gen. XVII. 11. וּמַלְתֶּם אֵת בְּשַׂר עָרְלַתְכֶם *circumcidetis carnem praeputii vestri* ערלה juxta interpretationem Kimchii significat *rem quamcunque superfluam, & quae rem aliam degravat, quaeque digna sit, ut rejiciatur*; talem Gerundensis dicit esse *carnem illam, quae operit coronam*, (sic vocant Rabbini caput membri genitalis in masculis) *praeter eam nihil superfluum inveniri in corpore humano.* Ita nimirum carnalis populus in carnali circumcisione sibi blanditur. Dicitur autem pellicula illa ערלה non quod sit res sua natura superflua & resecatione digna, sed quia glandem membri virilis tegit, abscondit & obturat (**). Cæterum Judæi non contenti amputatione præputii pelliculam relictam unguibus acutis distendunt, lacerant & retro cogunt, ut glans magis adpareat; hanc pelliculæ repressionem vocant פריעה, quæ longe majorem dolorem adfert infantulo, quam ipsa circumcisio; Hebræi communiter adserunt, eam præcipi Jos. II. *Fac tibi cultros acutos & conversus circumcide filios Israel secundo.* Præter circumcisionem & distensionem pelliculæ adhibent etiam exsuctionem; nam is, qui infantem cir-

Duo vet. test. sacramenta.

(*) Ἀκροβυστία περὶ τῇ ἄκρᾳ *extremo* & βύω *obstruo*, quasi dicat, in extremitate tecta pars, Latinis vocatur *praeputium*. GERHARDUS.

(**) Hebræis circumcisio dicitur מוּלָה quæ vox semel duntaxat in bibliis legitur Exod. IV. 26. & quidem in *plurali* מוּלוֹת a radice מוּל quiescente in secunda. Unde & Rabbinorum מִילָה & Chaldæorum מְהוֹלָא Arabibus חתאן & מחאן circumcisio. 1.) *Proprie* notat *præputii amputationem*: 2.) *Synecdochice* totam illam sacramentalem ceremoniam aut etiam legalem observationem Act. XV. 1. Rom. IV. 10. 3.) *Metaphorice* spiritualem cordis circumcisionem seu renovationem, quæ vocatur περιτομὴ καρδίας Rom. II. 29. ἀχειροποίητος Col. II. 11. 4.) *Metonymice* ipsum populum circumcisum Rom. III. 30. XV. 8. 5.) Significat vere pios ac spiritualiter corde circumcisos. Phil. III. 3. GERHARDUS.

circumcidit, sugit ore suo sanguinem a membro sauciato, quod vocant מציצה (*). In propria institutionis sede circumcisio vocatur בְּרִית *fœdus, pactum* Gen. XVII. 14. inde Stephanus Act. VII. 8. vocat διαθήκην περιτομῆς, quia scilicet circumcisio non externam solum pelliculæ amputationem, sed etiam internam cordis purificationem & obligationem cum Deo complectitur, & quia circumcisio externa fuit medium atque organum receptionis in fœdus: dicitur etiam אוֹת בְּרִית, *signum fœderis*, quia stigma ex circumcisione in carne relictum fuit & signum & sigillum divini fœderis, interprete apostolo. Rom. IV. 11. Notum est, circumcisionem in scriptis nov. test. pro circumcisis usurpari, *abstractum* scilicet pro *concreto* Rom. III. 30. XV. 8. Gal. II. 7. Ab interna ac spirituali circumcisione christiani quoque nominantur *circumcisio* Phil. III. 3. *Nos sumus circumcisio, qui Spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, non in carne confidentes.* Paulus Phil. III. 2. pseudo-apostolos, qui docebant circumcisionem in nov. test. esse adhuc necessariam, per contemtum vocat *concisionem*, quippe qui non amplius sacramentum circumcisionis, sed concisionem carnis docerent, ac falsa doctrina & se & alios ab ecclesia rescinderent. Syris vocatur גְּזוּרְתָא a radice גָּזַר *scidit, praecidit, amputavit.*

Circumcisio est fœdus.

& signum fœderis.

CAPUT III.

DE CIRCUMCISIONE IN SPECIE.

§. VIII. Roman. II. 28. & 29. duplex statuitur circumcisio, *carnis scilicet & cordis* σαρκὸς καὶ καρδίας, illa *dicitur fieri in litera, haec in spiritu, illius* laus *dicitur esse ex hominibus, hujus vero ex Deo;* illa dicitur χειροποίητος ἐν σαρκὶ Eph. II. 11. hæc vero ἀχειροποίητος. Col. II. 11. Quæ distinctio circumcisionis nequaquam eo trahenda, quasi circumcisio in vet. test. etiam in vera fide suscepta tantum fuerit carnalis circumcisio absque ullo spirituali effectu, cujus contrarium ostendimus superius in tract. de sacram. §. 65. sed opposita est vanæ Judæorum gloriationi, qui ob carnalem circumcisionem sese efferebant, de circumcisione cordis & vera in Messiam fide nihil omnino soliciti. Exstant autem fundamenta hujus distinctionis in sequentibus vet. test. dictis Lev. XXVI. 41. *tunc humiliabitur cor ipsorum* הֶעָרֵל *praeputiatum, incircumcisum:* Thargum reddidit מַפְשֶׁת *stultum* Deut. X. 16. *Circumcidite praeputia cordis vestri:* Thargum sic reddidit *removete* מַפְשׁוּת *stultitiam & iniquitatem cordis vestri* Deut. XXX. 6. *Circumcidet Deus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas Jehovam Deum tuum toto corde tuo.* Jer. IV. 4. *Circumcidite vos Iehovae, & auferte praeputia cordis vestri*, Thargum רְשַׁע *impietatem.* cap. VI. 10. *Auris eorum est incircumcisa*, Thargum אִמַּפְשַׁת *stulta facta est* (id imitatur Stephanus Act. VII. 51. ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν *incircumcisi corde & auribus.*) Jer. IX. 26. *Omnes gentes sunt praeputiatae, & omnis domus Israel est praeputiata corde.* Ezech. XXVIII. 10. *Morte incircumcisorum morieris*, Thargum רָשִׁיעִין *impiorum*, qui sunt graves peccatis, quorum cor gravatum est carne. cap. XLIV. 9. *Incircumcisus corde & incircumcisus carne.* Theophylactus in cap. II. Rom. *Circumcisio juxta carnem adparens carnalis est: Circumcisio vero secundum spiritum est carnalium adfectuum resectio.* Inde quidam triplicem statuunt circumcisionem, *primam Hebraeorum, secundam christianorum, tertiam beatorum.*

Circumcisio carnis & cordis.

§. IX.

(*) Vide Buxdorffium in synag. judaica cap. 2. GERHARDUS.

§. IX. *Auctor* Circumcisionis est Deus אֵל שַׁדָּי Gen. XVII. v. 1. Is namque fœdus cum Abrahamo ejusque posteris initurus circumcisionis sacramentum instituit, ut esset medium, per quod Israelitæ in fœdus illud reciperentur, & promissio fœderalis gratiæ illis obsignaretur. Joh. VII. 22. Circumcisio dicitur esse ἐκ τῶν πατέρων, non quod sit πατρικὴ quædam παράδοσις, præter vel contra Dei mandatum introducta, sed quia ante Mosen fuit instituta, & a patribus ex Dei mandato usurpata. Herodotus in Euterpe scribit, *circumcisionem Hebræos ab Ægyptiis accepisse* (*), sed Moses diver-

Auctor circumcisionis.

(*) Locus HERODOTI, ad quem heic respicit GERHARDUS, exstat *libr. II. cap. CIV.* ubi hæc leguntur verba: Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες, καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium hominum* Colchi & Ægyptii & Æthiopes *ab initio pudenda circumcidebant.* Phœnices *enim* & Syri, *qui* Palæstinam incolunt, *i. e.* Judæi, *confitentur ipsi, se consuetudinem illam ab* Ægyptiis *accepisse.* HERODOTO suffragatur DIODORUS SICULUS, atque hoc ipso circumcisionis argumento *Colchos* & *Judæos* originem suam *Ægyptiis* debere, adstruit, *libr. I. pag. 24.* Nec his absimilia sunt, quæ leguntur apud STRABONEM, *geograph. libr. XVII.* Hisce gentilium historicorum testimoniis nonnulli in eam se induci passi sunt sententiam, primos omnium fuisse Ægyptios, qui ritum circumcidendi genitalia observavefint, eundemque aliis gentibus, speciatim Judæis, tradiderint. Ita jam olim censuerunt jurati christiani nominis hostes, CELSUS apud ORIGENEM *libr. I. contra Celsum p. 17.* itemque JULIANUS apud CYRILLUM, *libr. X. contra Julian. p. 354.* Nec defuerunt inter ipsos christianos, qui ad eandem propius accederent sententiam. Principem inter illos, qui hoc fecerunt, locum obtinet JO. MARSHAMUS, eques Anglus, in *canone chronico sect. V. p. m. 74.* & *75.* cujus vestigia secutus est JO. SPENCERUS, ecclesiæ Elienfis in Anglia quondam canonicus, & collegii corporis Christi apud Cantabrigienses præfectus, qui in opere suo satis noto *de legibus hebræorum ritualibus, libr. I. cap. V. sect. IV. p. 55. seqq.* edit. Tubingens. utriusque partis argumenta & responsa ἐκ παραλλήλα lectori ita exhibuit, ut eidem obscurum esse nequeat, quid ipse auctor doctissimus hac de re sentiat. Recentiori ævo deistæ Angli hancce sententiam avide arripuerunt, eandemque ornandam susceperunt, maxime MATTH. TINDALIUS in libro notissimo, hac insignito inscriptione: *Christianity as old as the creation &c.* qui Londini ann. *MDCCXXX.* lucem adspexit publicam, & qui causam TINDALII contra DAN. WATERLANDUM, theologum Anglum, propugnare annisus est CONYER. MIDLETONUS, custos bibliothecæ Cantabrigiensis, edito libello, qui titulum fert: *a letter to Dr. Waterland, containing some Remarks on his vindication of scripture: in Answer to a book intituled: christianity as old as the creation* &c. Vid. de hocce scripto *la bibliotheque Britanique tom. I. part. II. p. 328. seqq.* Adjungimus scriptoribus hisce Anglis ex Remonstrantibus JO. CLERICUM, qui, recensitis aliorum sententiis, hanc vel tandem subjungit ἐπιχείρησιν: *Fieri potest, ut consuetudinem dudum apud Ægyptios receptam, seu munditiei causa, quam cordi habebant, præ cæteris gentibus, seu alia quapiam, Deus etiam Abrahamo, sed alium in finem, observandam tradiderit. Sic neque Judæi Ægyptiis, neque Ægyptii Judæis eam debuerint, quamvis Ægyptiaca consuetudo divino præcepto occasionem dedisset.* Subjungit CLERICUS: *Parum credibile multis videtur, ritum ejusmodi incommodum, &, quando a grandioribus suscipiebatur, parum honestum, qui denique neque ad bonos mores quidquam conferre potest, a Deo opt. max. primum institutum. Suspicantur, Abrahamum, qui hoc viderat in Ægypto fieri, & forte a servis Ægyptiis, quos plures in Cananeam ex Ægypto duxerat, rationes, quas Ægyptii tam absono alioqui per se ritui prætendebant, edoctum, in illorum sententiam iviſſe; quod cum animadverteret Deus, qui summa συγκαταβάσει sese nostræ imbecillitati attemperat, idem Abrahamum jussit facere, quod in aliis probabat.* Vid. ejus *commentarium in Genes. cap. XVII. vers. 10. p. 144. seqq.* edit. Tubing. Ex quibus verbis haud obscure patet, CLERICUM in eam inclinasse sententiam, Abrahamum morem genitalia circumcidendi in Ægypto didicisse, tandemque, adprobante sententiam ejus per quandam συγκατάβασιν supremo numine, eundem imitatum esse.

diversum testatur, videlicet Abrahamo & posteris ejus circumcisionem fuisse demandatam, antequam

Ast non defuerunt viri doctissimi, qui in errore hocce refellendo laudabilem posuerunt industriam. Ex cœtus quidem Romani doctoribus hoc fecerunt NATALIS ALEXANDER, DOMINICI familiæ adscriptus, *histor. eccl. sanct. vet. testam. dissert. VI. p.* 222. *seqq.* JO. BAPTISTA SOLLERIUS, societatis Jesu theologus, *de institutis Coptorum*, sub extrem. ante *tom. V. auctor. sanctor. Junii*, AUGUSTINUS CALMETUS in *prolegom. & dissertat. biblicis tom. I. p.* 17. edit lat. aliique; ex theologis Reformatis HERM. WITSIUS *Ægyptiacor. libr. III. cap. VI. p.* 223. *seqq.* & in *œconom. fœderum Dei libr. IV. cap. VIII.* MELCH. LEYDEKKERUS *libr. II. de republ. ebræor. libr. II. cap. IV. f. m.* 70, 71. JO. van der WAYEN in *variis sacr. p. m.* 321. FRID. SPANHEMIUS, in *hist. ecclesiast. vet. testam. p.* 301. SAM. BASNAGIUS, in *exercitat. historico-crit. anti-Baronian. ad ann.* XXXV. *num.* 29. *p.* 117. *seqq.* JAC. BASNAGIUS dans *l'hist. des Juifs libr. VI. cap. VIII. p. m.* 601. JO. HENR. HEIDEGGERUS, in *corpore theolog. christ. tom. I. loc. XII.* §. 81. STEPHLE MOYNE, in *notis ad varia sacra p.* 745. ANT. BYNÆUS, in *dissertat. de circumcisione Jesu Christi p.* 26. *seqq.* JAC. SAURINUS, in *discurs. XV. sur le vieux Testament* §. 4. *seqq.* & WILH. GOEREUS, in libro belgice evulgato, sub titulo: *Mosaize historie part. I. cap. VII. p.* 240. ex Anglis vero RICH. MONTACUTIUS, episcopus primum Cestriensis, postea Norvicensis, *part. I. origin. ecclesiast.* BENJAM. ANDR. ATKISONUS, in libro, qui inscribitur: *Revelation examined with candour, tom. II. diss. V. p.* 152. *seqq.* SAM. SHUCKFORDUS, in *the connection of the sacred and prophane history, vol. I. libr. V. p.* 212. interpretationis germanicæ; PEARCE in scriptulo, MIDLETONO opposito, cui titulus: *a reply to the letter to Dr. Waterland, setting forth the many falshoods both in the quotations and the historical facts, by which the Letter-writer endeavours to weaken the authority of Moses.* Vid. *la bibliotheque Britanique tom. I. part. II. p.* 350. itemque PATRIK DELANY in *examine revelationis part. II. p.* 195. versionis german. Hisce ex ecclesiæ nostræ theologis jungi merentur PAULUS ANTONIUS, in dissertat. *de circumcisione gentilium Marshamo opposita* Lips. MDCLXXXII. THOMAS ITTIGIUS, in *select. capit. histor. eccl. sanct. seculi I. p.* 146, 147. ZACHARIAS GRAPIUS, in peculiari dissertatione, *an circumcisio ab Ægyptiis ad Abrahamum fuerit derivata?* Rostochii MDCXCIX. edita, nec non in *theologia recens controversa absoluta, cap. V. quæst. IV. p.* 65. *seqq.* GOTTLIEB WERNSDORFIUS in *segmentis de circumcisione*, Witteb. MDCCXI. luci publicæ expositis, JO. REINHARD. RUSIUS, in peculiari programmate *de circumcisione a gentibus ad Judæos non derivata*, Jenæ typis exscripto, SALOMON. DEYLINGIUS *observat. sacrar. part. II. observ. VI. p.* 66. *seqq.* JO. FRANC. BUDDEUS, in *historia ecclesiast. vet. testam. tom. I. p.* 276. *seqq.* SIGISM. JAC. BAUMGARTENIUS in dissertat. *de regno posterorum Abrahami in Ægypto*, §. 23. THEODOR. CHRISTOPH. LILIENTHAL in *der guten Sache der göttlichen Offenbarung, part. IV. p.* 1035. *seqq.* aliique, quos brevitatis studio prætermittimus.

Gravissimæ vero sunt rationes, quibus viri docti, modo recensiti, dudum comprobarunt, oppido falli MARSHAMUM, SPENCERUM aliosque, statuentes, morem genitalia circumcidendi jam ante Abrahami tempora apud Ægyptios obtinuisse, atque ab his ad Abrahamum ejusdemque posteros fuisse translatum. Repugnat quippe huic sententiæ 1.) ipsa circumcisionis institutio, eum in finem facta a Deo, ut esset *signum fœderis* inter Deum atque Abrahamum ejusdemque posteros initi, (*Genes. XVII. 10. seqq.* coll. *Act. VII. 8. Rom. IV. 11.*) utque simul semen Abrahæ a reliquis gentibus discerneretur. Hinc & Jacobi filii indignum familiæ suæ honore judicarunt, si sororem suam viro incircumciso nuptui darent *Genes. XXXIV. 14.* Jam vero fines isti a Deo intenti obtineri haud potuissent, si ritus circumcisionis antiquissimis jam temporibus apud alias gentes, speciatim Ægyptios, fuisset receptus, atque ab his demum ad Israëlitas transiisset. Accedit 2.) quod suffragium ipsius Christi servatoris huic adserto e diametro repugnet. Christus enim de circumcisione hominis in sabbato verba faciens *Joann. VII. 22.* clare satis docet, initium circumcisionis cœpisse a *patribus*, iisque primitus datam atque ab illis administratam fuisse. Per *patres* vero intelligit Abrahamum, Isaacum & Jacobum, ac proinde ab œconomia patriarchali, neutiquam vero ab Ægyptiis, primam circumcisionis originem repetit. Addimus 3.) tantam circumcisionis in gente Israëlitica olim fuisse necessitatem, ut ejus observatio

Minister circumcisionis.

tequam in Ægyptum descenderint. Dispensator ac *minister* circumcisionis primitus administratæ fuit Abraham patriarcha sanctissimus, qui *aedificavit Deo altare in Bethel & invocavit nomen Jehovae*, Gen. XII. 8. XIII. 4. qui *praecepit filiis suis & domui suae post se, ut custodirent viam Jehovae, facerent-*

B 2 *que*

tio sub pœna כרת *excidii* fuerit injuncta. Ita enim pronunciavit Deus *Genes. XVII. 14. Mares præputiati, & præputia non circumcisa habentes exscindantur e popularibus suis, eo quod fœdus meum violarunt.* Quod si vero circumcisionis ritum in Ægypto didicisset Abrahamus, tandemque eundem adprobante sententiam eius per quandam συγκατάβασιν supremo numine, fuisset imitatus, observantiam circumcisionis cunctis ejus posteris, sub comminatione pœnæ tam gravis haud injunxisset Deus. *4.*) & hoc notandum, Philistæos, qui jam tempore Abrahami & Isaaci Palæstinam inhabitabant, circumcisionis prorsus fuisse expertes. Unde & in sanctioribus litteris ערלים adpellantur, *Jud. XIV. 3.* & de Davide dicitur *1 Sam. XVIII. 27.* eundem cum viris, quibus præerat, occidisse ducentos Philistæos, eorumque præputia Saulo, Israëlitarum regi, obtulisse. Colligimus exinde, nec apud Ægyptios tum temporis circumcisionis ritum in usu fuisse, siquidem Casluchæi ab Ægyptiis descendentes, originem dederunt Philistæis, prout luculenter evicit SAM. BOCHARTUS in *Phaleg. libr. IV. cap. XXXI.* Nec *5.*) prætermittendus heic est locus consideratione nostra dignissimus, qui legitur *Jer. IX. 25, 26.* Cum enim *loco excitato* inter Judæos circumcisos aliosque populos, qui circumcisionem æque ac verum Israëlitarum Deum spernebant, clare satis distinguatur, iisque gentibus, quæ tum temporis erant ערלים *præputiatæ*, Ægyptii quoque accenseantur, exinde jure meritoque concludimus, Ægyptios eo, quo Jeremias vixit, ævo circumcisionis ritum nondum habuisse. Vid. b. DEYLINGIUM *observat. sacrar. part. II. obs. VI. §. 6. seqq. p. 90. seqq.* Tantum proinde abest, ut circumcisio ab Ægyptiis ad Ebræos pervenerit, ut potius longe probabilius sit, huncce ritum ab Abrahamo in alias gentes, speciatim Ægyptios, derivatum fuisse. Nec, quod *6.*) notamus, absonum cuiquam videri debet, gentem Ægyptiacam circumcisionem ab Israëlitis, quos alioquin maximopere aversati sunt, mutuo sumsisse. Constat enim ARTAPANI testimonio apud EUSEBIUM *libr. IV. præpar. evangel. cap. XXVII. Æthiopes, tametsi hostes, tam propenso in Mosen fuisse animo, ut ipsius quoque circumcisionis ritum ab eo acciperent; idque a sacerdotibus etiam omnibus* (Ægyptiorum) *præstitum fuerit.*

Quæ in contrarium heic adferunt dissentientes, ita sunt comparata, ut opera haud difficili dilui queant. Magnum quidem in HERODOTI scriptoris antiquissimi, testimonio, quod supra recitavimus, causæ suæ quærunt præsidium, idque in prima acie collocant. Verum auctoritati HERODOTI opponimus auctoritatem MOSIS, scriptoris non tantum multis seculis antiquioris, sed & divinitus adflati, cujus proinde testimonia supra jam a nobis adlata, longe majoris sunt ponderis, quam HERODOTI, de quo dudum alii observarunt, eundem veras Judæorum origines historiamque patriarcharum penitus ignorasse, nec ea, quæ de Ægyptiis habet, ex antiquissimis monumentis, sed ex incerta Ægyptiorum sacerdotum traditione hausisse, quin in perbrevi illo loco supra adducto plus simplici vice hallucinatum esse. Vid. b. BUDDEI *hist. ecclesiast. vet. testam. tom. I. p. 278. seqq.* Quemadmodum vero HERODOTI nullatenus nos movet auctoritas, ita multo minus DIODORI SICULI atque STRABONIS curamus testimonia, cum scriptores isti gentiles HERODOTO longe sint recentiores, falsoque sibi persuaserint, Israëlitas ex Ægypto esse prognatos, ac proinde, ut alios ritus, ita & circumcisionem a gente Ægyptiaca accepisse. Et quis quæso in rebus hisce antiquissimis DIODORO fidem adhibeat, qui ingenue confitetur, ne se ipsum quidem ea, quæ de rebus Ægyptiis ante bellum Trojanum litteris consignarit, pro certis habere? *libr. I. p. 9.* Adstipulamur potius JAC. SALIANO, qui in *annal. ecclesiast. vet. test. p. 238.* ita pronunciat: *Nugatur Diodorus Siculus, & sua ipsius confessione μυθικα scribit, cum ait, Judæos ritu ab Ægyptiis derivato pueros apud se natos circumcidere.*

Cæterum de circumcisione apud Judæos usitata ex ipsius gentis judaicæ doctoribus copiose commentatus est MOSES MAIMONIDES in *jad chasaka, part. I. libr. II. tractatu 6.* qui inscribitur מילה. Prodiit iste liber cum latina versione SEB. SCHMIDII Argentor. *MDCLXI. 4.*

&

que juſtitiam & judicium, Gen. XVIII. 19. qui fuit *propheta* ab ipſo Deo adpellatus Gen. XX. 7. Is eſt, qui ex mandato divino & ſe & filium Iſmaelem atque omnes viros domus ſuæ circumcidit. Gen. XVII. 24. Idem etiam circumcidit Iſaacum Gen. XXI. 4. Ex quo intelligitur, patriarchas velut capita familiæ & doctores eccleſiæ circumciſionis ſacramentum adminiſtraſſe, uſque dum inſtitueretur ſacerdotium Leviticum, cui una cum aliis eccleſiaſtici miniſterii partibus ordinariam hujus ſacramenti adminiſtrationem poſtea ceſſiſſe probabiliter ſtatuimus. Sic Matthias ſacerdos liberos eorum, qui ad ethnicas ſuperſtitiones defecerant, circumcidit. 1 Maccab. II. 46. (Hodie apud Judæos non ſacerdos, ſed chirurgus præputium abſcindit in ſynagogis, quem vocant מוהל *circumciſorem*) Extraordinarium eſt, quod Joſua princeps Iſraelitici populi peculiari Dei mandato inſtructus filios Iſrael in colle Araloth circumcidit, Joſ. V. 3. quodque Sephora in caſu neceſſitatis Moſe lethaliter ægrotante præputium filii circumcidit, Exod. IV. 25. (*) uti etiam fœminæ Iſraeliticæ tempore perſecutionis; 1 Macc. I. 63. 2 Macc. VI. 10. ex quo generalis regula exſtruitur, quod *ſacramentum initiationis in extremo neceſſitatis caſu pie adminiſtrari poſſit, ab aliis eccleſiæ membris, ubi ordinarius miniſter haberi non poteſt.*

Verbum in circumciſione.

§. X. Ut autem in omni ſacramento, ita quoque in circumciſione acceſſit *verbum* ad elementum, ut inde fieret ſacramentum. Verbum requiritur tum *inſtitutionis*, tum etiam *promiſſionis*, quemadmodum hæc omnia perſpicue deſcribuntur Gen. XVII. 7. *Statuam pactum meum inter me & te, inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere perpetuo, ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* v. 8. *Daboque tibi & ſemini tuo poſt te terram peregrinationum tuarum, nempe totam terram Canaan in poſſeſſionem perpetuam, eroque eis in Deum.* (hoc eſt verbum promiſſionis) v. 10. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, atque in ſemen tuum poſt te, ut circumcidatur in vobis omnis maſculus.* (hoc eſt, verbum inſtitutionis) v. 11. *Circumcidetis vero carnem præputii veſtri.* (hæc eſt externa & in oculos incurrens ceremonia circa viſibile illud materiale ſive elementum externum præputium ſcilicet, quod reſecabatur, occupata) Obſervandum vero promiſſionem illam verbo adnexam non ſolum corporalia beneficia complecti, ſed etiam Dei gratiam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam propter Chriſtum ex ſemine Abrahæ naſciturum, uti demonſtravimus ſuperius §. 63 & ſeqq. quo pertinet formula benedictionis, quam referente Chemnitio in cap. 9. harm. Iſraelitæ in circumciſione olim uſurparunt. *Deus vivus, pars noſtra & protector noſter præcepit erui animam noſtram ab inferis propter fœdus ſuum, quod poſuit in carne noſtra.*

Materiale hujus ſacramenti.

§. XI. Fiebat autem circumciſio, id eſt, præputii amputatio in membro genitali. Probroſum hoc & infame viſum fuit gentibus, unde dicteria illa, quod Judæos

& cum verſione notisque CHRISTIANI WALTHERI Regiom. *MDCCV.* Maimonidi ex ſcriptoribus chriſtianis jungi merentur idem, quem modo laudavimus, SEB. SCHMIDIUS, cujus peculiaris exſtat *tractatus de circumciſione primo vet. teſtam. ſacramento* Argentor. *MDCLXI. 4.* itemque HERMANNUS AB HARDT in *prodromo juris Judæorum canonici de circumciſione* Helmſtad. *MDCC. 8.* Ut BUXTORFIUM *ſynagogæ Judaicæ cap. IV.* Jo. LUNDIUM in *den jüdiſchen Heiligthümern libr. IV. cap. XVIII.* Jo. JAC. SCHUDTIUM in *den jüdiſchen Merkwürdigkeiten libr. VI. cap. XXXV.* ſcriptoresque, qui antiquitates ſacras veterum Ebræorum deſcripſerunt, veluti GOODWINUM, RELANDUM, ICKENIUM ſimilesque, utpote notiores, haud memoremus.

(*) Evolvi heic merentur erudita Jo. FRISCHMUTHI diſput. *de circumciſione Zipporæ*, Jen. *MDCLXVIII. 4.* edita, & G. E EDZARDI notæ in *avoda ſara, cap. II. p. 299. ſeqq.*

dæos vocarint *apellas* & *reculitos*, quin & Manichæus *obscœnum characterem* nominavit circumcisionem, (vide Augustinus lib. V. VI. & rel. contra Faustum) sed contra absurdum rationis judicium Dei sapientiam intueamur ac revereamur, cui placuit in illa corporis parte circumcisionem adhiberi, *cum primis*, ut de venturo semine ex Abrahæ posteris nascituro Israelitæ hac ceremonia admonerentur: *Deinde* ut ostenderetur peccatum originale per generationem in posteros traduci, quod ex carne nascitur, esse carnem, ideoque spirituali circumcisione sive regeneratione ac renovatione indigere. *Denique* ut significaretur, quidquid damnationis e carnali nativitate contraxerant infantes, per circumcisionis sacramentum illis adimi. Ea parte convenienter susceperunt infantuli regenerationis sacramentum, unde sortiti erant generationis initium. Thomas part. III. q. 70. art. 3. *Fiebat circumcisio in membro generationis propter tria. 1.) quia erat signum fidei, qua Abraham credidit Christum ex semine suo nasciturum: 2.) quia erat in remedium originalis peccati, quod per actum generationis traducitur: 3.) quia ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget.* Gabr. Biel lib. IV. sent. dist. 1. quæst. 4. art. 4. ex Alex. p. 4. quæst. 7. *Circumcisio erat instituta contra peccatum originale, jam vero peccatum originis contrahitur per libidinosam propagationem, quam repraesentabat circumcisio ratione membri, in quo fiebat: processus etiam illius morbi fuit circularis, quia secundum Anshelmum persona peccans, scilicet Adam, primo corrupit naturam, deinde natura personam, hoc repraesentatur per circularem pelliculae incisionem. Effectus morbi originalis est superabundantia concupiscentiae, quam minuit sacramentum circumcisionis, quod significatur per remotionem superfluitatis pellis abscissae.* Philippus Melanthon in die circumcisionis: *Circumcisio instituta fuit in illa parte corporis, ut de venturo semine admoneret circumcisos. Haec principalis significatio, deinde accedant aliae, praecediturque particula a membro generationis, significatur hanc naturam lapsam & nunc destinatam morti & hanc pelliculam abjiciendam esse. Deus etiam posuit in hac parte notam, ut cogitemus Deum velle, ut haec membra sint sancta & sancte utamur generatione.*

Quare in ea corporis parte praecepta fuit circumcisio.

§. XII. *Instrumentum* circumcisionis erat *culter* vel acutus in cote politus, vel lapideus ex petra paratus (*) Exod. IV. 25. *Zippora tulit* צור *petram, & amputavit praeputium filii sui.* Jos. V. 2. *Fac tibi* חרבות צרים *cultros petrarum sive petrinos* (**). Ex his locis quidam colligunt circumcisionis instrumentum fuisse cultrum petrinum (***), silicem quendam acutissimum, tradunt enim in oriente reperiri lapides, qui novaculæ instar scindunt, cui rei adamas fidem facere posset (****). In Hispania insula ferro carent & pro hoc utuntur cote

Instrumentum circumcisionis.

 acuto

(*) Vid. Herm. Bernh. Gedæi disput. *de instrumento circumcisionis a Zippora & Josua adhibito*, Lipsi. *MDCXCVIII.* quæ postea in *thesauro theolog. disputat. novo tom. I. p. 263. seqq.* fuit recusa, & Jo. Georg. Abichtii disput. *de cultris saxeis in circumcisione a Josua adhibitis*, Lipsi. *MDCCXII.* quæ pariter *thesauro disput.* modo excitato *p. 497.* fuit inserta.

(**) חרב gladium πρώτως notat a חרב *exsiccatus est*, metaph. *devastatus est*, quia gladius exsiccat hominem sanguine, eumque devastat. Avenarius in lex. pag. 276. Schindlerus vult, significare omne instrumentum, quod scindit & findit, sive ferrum sit sive lapis acutus, ut gladius, culter, novacula, securis, bipennis, aratrum, malleus, quo lapides cæduntur in lex. pag. 648. cui concinit Buxtorffius in lex. pag. 255. Gerhardus.

(***) Vid. quæ hanc in rem disseruit Jo. Jac. Quandt in diss. *de cultris circumcisoriis & secespidis Ebræorum*, Regiomonti *MDCCXIII. 4.* Ut auctores a Fabricio, in *bibliographia antiquar. cap. XI. §. XXIV. p. 546.* edit. recentiss. adlegatos, taceamus.

(****) *Accepit Zippora* צר *petram, saxum acutum*, non quod cultro petrino necessario fieri debe-

ret

acuto, ita LXX. interpretes Jos. V. 3. *fac tibi μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκοτόμε, cultros lapideos ex petra acuta.* Quidam vero & inter hos Lutherus in annot. marginal. Jos. V. ſtatuunt *μετωνυμικῶς* per petram intelligendum eſſe cultrum acutiſſimum in cote politum; quia enim cultri acuuntur petris, ideo videri cultrum petrarum poſitum eſſe pro cultro acuto. Confirmatur hæc expoſitio 1.) ex Pſal. LXXXIX. 44. *avertiſti* צור *petram ſive aciem gladii ejus.* 2 Sam. II. 16. *& vocavit locum illum* חַלְקַת הַצֻּרִים *agrum gladiorum acutorum, eo quod omnes ibi interfecti ſunt gladiis.* 2.) ex paraphraſi chaldaica Jonathanis Joſ. V. ubi cultri petrini vertuntur *per novaculas acutas.* 3.) ex praxi Judæorum, qui etiamnum hodie utuntur novaculis acutis chalybeis, referente Münſtero in cap. IV. Exodi, quarum tamen capuli ſunt lapidei: mortuos ante octavum diem aut abortivos maſculos circumcidunt lapide fiſſili *mit einem Schiefferſtein*, referente Schindlero in lexico in voce צור. Culter lapideus *ἀλληγορικῶς* ab Auguſtino libr. II. contra Pelag. & Cœleſt. cap. 31. Theodoreto quæſt. 5. in Joſ. & aliis ita exponitur, 1.) quod ſignificet principalem autorem purgationis Chriſtum, qui eſt petra ſalutis, 1 Cor. X. 4. 2.) Quod denotet duritiem ac *σκληροτραχηλίαν* populi Judaici: Ezech. III. 7. *Univerſa domus Iſrael dura fronte & duro corde eſt.* Zach. VII. 12. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem & verba illa, quae miſerat Iehova exercituum in Spiritu ſuo per manum prophetarum.* 3.) Quod innuat cultro legis divinæ in tabulis lapideis ſcriptæ carnis concupiſcentias reſecandas eſſe.

§. XIII. *Objectum* circumciſionis (*) fuerunt maſculi Iſraelitici, hoc eſt Abraham & omnes pueruli ex ipſius poſteritate nati. Quod ad proſelytos, hoc eſt, converſos ex gentibus ad Deum Iſraelis, attinet, occurrit quædam differentia, qui enim in medio populi Iſraelitici habitare, connubia cum illis jungere atque una paſcha celebrare cupiebant, illi omnes & ſinguli circumciſionem in carne ſua ſuſcipere tenebantur, Gen. XVII. 12. Exod. XII. 44. ſicut patriarcha Abraham non ſolum filium ſuum Iſmaelem, ſed etiam *omnes viros domus ſuae, & argento emtos & e domeſticis natos circumcidit*, Gen. XVII. 27. Reliquæ vero gentes proſelytæ ad circumciſionem non adigebantur, ut exemplo Naamanis Syri & aliorum conſtat. Quamvis

13.) *Objectum circumciſionis.*

ret circumciſio, uti ſenſit Auguſtinus, ſed quia conſternatæ & feſtinanti matri talis culter primus occurrit, præſertim cum hæc circa Arabiam Petræam, ubi eſt Sina & Midian, contigerunt, in qua major petrarum quam ferri eſt copia & uſus, unde petras iſti exacuunt inſtar ferri, ex eisque cultros efficiunt acutiſſimos. Junius & Tremellius exponunt *cultrum acutum*, cum non ſit veriſimile familiam & quidem paſtores deſtitutos fuiſſe tam neceſſario ad multa inſtrumento. Piſcatori *vox hebræa* צור *videtur primo ſignificare* acumen ſive aciem, *deinde* petram *ſive* rupem *per metonymiam adjuncti. Nam acumen eſt, ubi corpus in anguſtum abit,* צור *autem verbum eſt anguſtare, & ſic gladiolus aciei phraſi hebræa idem eſt, quod gladiolus acutus.* Exod. IV. 25. reddidit Lutherus: *Zipora nahm einen Stein, und beſchnit ihren Sohn.* Præbet hoc admonitionem de Chriſto *petra ſalutis, in quo circumcidimur circumciſione non manu facta* Col. II. 11. Andreas Maſius in cap. V. Joſ. p. 83. *Illud* חַרְבוֹת צוּרִים *quod nos convertimus* gladios ſaxeos, *interpretatur Chaldæus* acutos gladiolos *aut* novaculas. *Eumque ſequitur vulgus Judæorum ut ſolet. At veteres novaculas ſaxeas dicendum eſſe putaverunt in eo commentario, qui Geneſis magna eſt adpellatus. Atque ille Chaldæus, qui Moſis libros convertit, quem Onkeloſium vocant, illud* צור *quo Moſis uxor filio præcidebat præputium,* טינרא, id eſt, ſilicem *convertit, non* aciem. *Quin ego adfirmare auſim* צור *nuſpiam in ſacris literis* aciem *ſignificare, ſed* ſilicem *aut* ſaxum *ubique* &c. GERHARDUS.

(*) Objectum circumciſionis eſt vel *generale*, vel *ſpeciale*. *Generale* eſt τὸ ἀρσενικὸν omne maſculinum ſeu omnis maſculus in domo Abrahæ. *Speciale* ſunt certi maſculorum ordines; 1.) qui ex generatione Abrahæ, 2.) ſervi domi nati ſeu vernæ, 3.) ſervi emti, quia ſervi emti, & ex ſervis nati membra ſiunt familiæ, 3.) proſelyti non ſolum religione, ſed etiam cohabitatione Iſraelitis juncti. GERHARDUS.

An fœminæ Israeliticæ a fœdere fuerint exclusæ?

vis vero fœmellæ Israeliticæ non circumciderentur (*), tamen a fœdere gratiæ cum Abrahamo, patre omnium credentium, inito non fuerunt exclusæ. 1.) Quia promissio fœderis est generalis. *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui*, quæ data erat promiscue tam fœminis quam masculis ex Abrahæ posteritate natis, ideo ut Abraham dicitur *pater credentium*, Rom IV. 11. ita Sara dicitur *mater fidelium*, 1 Petr. III. 6. atque in catalogum fidelium adnumeratur Hebr. XI. 11. mulier per annos 18. curvata dicitur *filia Abrahae* Luc. XIII. 16. Signum fœderis in carne sua soli quidem masculi recipiebant, interim tamen hac ipsa masculorum circumcisione totum populum sibi Deus consecrabat, & fœdus omnibus Abrahæ posteris confirmabat, Gen. XVII. 7. internam cordis circumcisionem (**) per externam pelliculæ amputationem in masculis, sed peculiari modo in fœmellis operando & fide corda eorum purificando. 2.) Quia fœmellæ Israeliticæ non solum nascebantur ex patribus circumcisis, ac per connubia cum maritis circumcisis fiebant una caro, sed etiam reverenter de circumcisione sentiebant, ac fœderis divini cum circumcisis initi fide reddebantur participes. 3.) Inde est, quod ex fœdere illo non minus efficaces consolationes petebant, quam ipsi masculi circumcisi. Judith. IX. 5. 4.) Quin etiam habitæ fuerunt pro circumcisis, alias non licuisset eis comedere pascha Exod. XII. 7. 5.) Ac peculiares leges pro puerperis, quæ filiam pepererant, divinitus institutæ fuerunt, non minus ut pro illis, quæ masculum pepererant Lev. XII. 6. Hugo de sacram. pag. 12. cap. 2 *Salvabantur fœminae sola fide, sacrificiis & oblationibus, aliisque legis ceremoniis purificatae.* Hujus loci est observatio illa, *quod fœmellis non minus quam circumcisis masculis die octavo nomen dabatur*, referente Mercero in cap. XVII. Gen. Quæ omnia luculenter probant, quod fœmellæ Israeliticæ pro contemtricibus circumsionis haberi non potuerint, quippe cujus non erant capaces, ac proinde quod a fœdere gratiæ cum Abrahamo & posteris ejus inito non fuerint exclusæ, ut non sit necesse cum Jesuitis in colloquio Ratisbonensi excogitare externum aliquod remedium contra peccatum originale in fœmellis, cujus nec in scriptura, nec in Rabbinorum vel patrum ecclesiasticorum monumentis ullum monstrari potest vestigium.

Cur solis masculis præcepta circumcisio.

§. XIV. Quare voro soli masculino sexui imposita fuit circumcisio? Durandus libr. IV. distinct. 1. quæst. 6. censet id factum ideo, *quia solus masculinus sexus sit causa traductionis peccati originalis.* Richardus ibidem adducit similem rationem, quod *corruptio naturae principalius sit a viro quam muliere.* Sed propheta regius non minus a matre quam a patre peccati originalis venenum se hausisse testatur: Psalm. LI. 7. *Ecce iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis calefecit me mater mea.* Lyranus in cap. XVII. Gen. alias profert rationes: (quas Biel lib. IV. sentent. distinct. 1. quæst. 4. vocat pulchriores) *Circumcisio signum fuit distinguens Israel a gentibus, in quantum habebant veram fidem & cultum unius Dei, & datum fuit istud signum tempore legis naturae, & ideo debuit dari in sexu per se intento a natura, qui est sexus masculinus, secundum enim philosophum fœmina est mas occasionatus.* Item: *Fides illa & cultus derivabantur tunc temporis ad alios per generationem carnalem, in quantum patres docebant filios de talibus. In masculo vero est principium generatio-*

(*) Jodocus Ravenstein in apol. conc. Trid. contra Chemnit. p. 27. fingit, *peculiarem quendam ritum Judæis fuisse usitatum, quo peccatum originis in fœmellis fuerit expiatum, qui cum non exstat descriptus*, inde concludit, *non omnia ad salutem Judæis necessaria scripto fuisse a Mose comprehensa.* Idem urget Bellarminus libr. IV. de verbo Dei cap. 4. & Jesuitæ in colloquio Ratisbonensi. GERHARDUS.

(**) De hac interna cordis circumcisione complura in Judæorum scriptis occurrunt loca, quæ SCHOETGENIUS in *horis ebraicis p. 815.* diligenter collegit.

rationis activum, & ideo solis masculis datum est praedictum signum. Sed hæ rationes sunt non ita pulchræ; cum non solum masculus, sed etiam fœmella intendatur a natura, cumque non tam fides & cultus Dei, quam peccatum per generationem carnalem in liberos propagatur. Dicimus ergo primam & principalem causam, quare solis masculis imposita fuerit circumcisio, esse Dei voluntatem, cujus rationes intellectus nostri tenebris non sunt obviæ. Probabiliter statui potest, Deum parcere voluisse sexui infirmiori periculis & doloribus partus alioquin onerato. Quidam addunt fœminas per naturam circumcisionis non esse capaces, sed analogum quid locum hic habere potuisse, ostendit exemplum Æthiopum christianorum, qui hodieque & masculos & fœminas circumcidunt, de quo postea. Lutherus in cap. XVII. Gen. dicit, ideo masculos circumcisos, non fœminas, *ut e fœmina, non e viro nasciturus Messias* ostenderetur. Origenes homil. XIV. in Luc. *Circumcisio quia fiebat in masculis, circumcisionem designabat mentis, quae rationem masculi habet* (*).

Quid statuendum de infantibus ante circumcisionem susceptam mortuis?

§. XV. Quid statuendum de infantibus vel in utero exstinctis, vel ante octavum diem mortuis? Gretserus in coll. Ratisb. q. 44. disputat, *non posse ostendi locum in tota scriptura, qui promittat illis beatitudinem*, ex quo consequens fuerit, illos æternæ mortis nexibus teneri adligatos. Atqui 1.) illi infantuli non possunt haberi pro transgressoribus divinæ ordinationis, quæ expresso Dei mandato ad diem nativitatis octavum erat adstricta. *Ubi non est lex, ibi nec est transgressio.* Rom. IV. 15. Jam vero infantibus ante octavum nativitatis diem decedentibus non erat lata lex circumcisionis, ergo nec pro prævaricatoribus legis possunt haberi, & per consequens adversus illos non est vibrandum fulmen illud: *Masculus cujus caro non fuerit circumcisa, eradicabitur anima ejus ex populo suo.* Gen. XVII. 14. 2.) Regula Augustini libr. IV. contra Donat. c. 22. & Bernhardi epist. LXXVII. verissima est: *Non privatio, sed contemtus sacramenti damnat.* Jam vero infantes illi non possunt haberi pro contemtoribus circumcisionis: ergo etiam temere non sunt damnandi. 3.) Benignissimus Deus, qui promisit se fore *Deum Abrahae & seminis illius*, Gen. XVII. 7. qui *non vult, ut ullus parvulorum pereat*, Matth. XVIII. 14. sed eos sibi *adduci* jubet, Marc. X. 14. tales infantes per parentum preces sibi oblatos in gratiam recepit, & quod in aliis per circumcisionis sacramentum ordinarie operatus est, extraordinarie per Spiritum sanctum interius perfecit; neque enim se ipsum, sed nos ad sacramenta tanquam media gratiæ ordinaria adligavit. 4.) Si omnes infantes ante susceptam circumcisionem demortui a salute excludendi sunt, consequens fuerit, sanctissimos illos martyres, Hebræorum masculos, qui vix dum in lucem editi jussu Pharaonis in profluentem abjecti sunt, Exod. I. 22. infantes a tyranno Antiocho ante susceptam circumcisionem occisos, 1 Maccab. I. 51. 64. ut & masculos Bethleemiticos a satellitibus Herodis nondum accepta circumcisione trucidatos Matth. II. 16. æternum damnatos esse, quod absurdum esse quilibet intelligit. 5.) Quid dicemus de infantibus natis tempore commorationis in deserto? An existimabimus toto illo 40. annorum decursu, in quo intermissa fuit circumcisio, nullos plane infantes Israëliticos esse mortuos; vel, si mortui fuerunt, ab æterna salute esse exclusos? At si Moses judicasset circumcisionem simpliciter & absolute ita necessariam esse ad salutem, ut ne quidem in casu necessitatis sine externa circumcisione quisque salvari posset, utique curasset illos potius circumcidendos cum præsentissimo temporalis vitæ periculo, quam differendo circumcisionem de salute eos periclitari permisisset. 6.) Quidam huc referunt filiolum Davi-

(*) In eo, quod fœmineus sexus a circumcisione excipitur, 1.) naturæ ratio habetur: 2.) propagatio & nomen ad patrem non ad matrem refertur: 3.) propter unam virginem Mariam, ex qua Christus erat nascendus, pareit Deus toti sexui fœmineo. GERHARDUS.

Davidis ex Bethsabea natum, qui licet ante octavum diem circumcisioni destinatum moreretur, David tamen se ad eum venturum testatur, non utique in sedem damnationis, sed beatitudinis. 2 Sam. XII. 23. (alii tamen computationem diei septimæ, qua infans ille mortuus est, ordiuntur non a tempore nativitatis, sed morbi.) Hæc omnia perpendens Gabr. Biel lib. IV. sent. dist. 1. q. 4. sic scribit: *De pueris ante circumcisionem defunctis quidam, inter quos magister*, (Lombardus) *dixerunt, quod perierunt in peccato originali, sed hoc nimis durum nec veritati consonum, fuisset enim deterioris conditionis sub lege Mosis, quam sub lege naturae & similiter quam fœmellae. Ideo Hugo & Alexander dicunt, quod parvuli illi salvati fuerunt in fide parentum, quia praeceptum de circumcidendo non obligabat nisi venientes ad octavum diem. Praeterea Deus specialiter dispensavit cum filiis Israël in deserto. 1.) Quia incerti fuerunt in dies & horas, quando progredi & labore itineris fatigari oporteret. 2.) In deserto non fuerunt mixti inter gentes. Ergo non debebant ab illis distingui. 3.) Voluit Dominus propter figuram circumcisionem differri, ut una generalis circumcisio fieret in introitu terrae promissionis in signum illius spiritualis fiendae in ablatione omnis corruptionis in corporibus resuscitatis electorum in generali introitu in patriam futuro.* Hæc Biel ex Alex. q. 7. memb. 6. art. 1. & Paludano lib. IV. sent. dist. 1. q. 5. art. 3. concl. 1. Vide etiam tractatum præcedentem §. 53. & tract. germ. de baptismo c. 26. ubi de infantibus ante baptismum decedentibus late actum fuit; cunprimis vide Lutherum tom. II. Jen. lat. p. 133. tom. VIII. Jen. p. 51. tom. XII. Witeb. p. 184. in cap. XVII. Gen. p. 81. & seqq. Quid statuendum sit de parvulis, qui cum diem octavum supervixissent, nihilominus circumcisi non sunt, & quæ sit genuina sententia comminationis illius, quod anima masculi non circumcisi ex populo Dei sit exterminanda, de eo diximus tract. præced. §. 66.

§. XVI. Cum circumcisionis *finis* principalis fuerit interior regeneratio, in fœdus Dei receptio & a peccato originali liberatio, merito quæritur, cur Christus, qui in utero matris fuit sanctus, Luc. I. 35. qui sine peccato conceptus & natus, qui est *unicus homo in gratia*, Rom. V. 15. in quo impleta est promissio fœderalis de semine nascituro, cur inquam, ipse aliorum corda circumcidens circumcidi voluerit (*)? Præcipua causa est solennis obligatio coram Deo, quod velit onus legis in se transferre, perfectam obedientiam illi loco nostri præstando & pœnas peccatis nostris debitas in se recipiendo. Quando enim circumcisio non usurpatur ut *signaculum justitiae fidei*, est obligatio totius legis servandæ. Gal. V. 3. Rom. II. 25. Christus igitur, qui ratione suæ personæ non fuit sub lege, cum secundum divinam naturam sit legis dominus, & secundum humanam naturam sine peccato de Spiritu sancto conceptus, pro nobis ipsa circumcisionis susceptione factus est sub lege, & solenniter se obligavit ad plenam persolutionem in circumcisione cœptam, in passione completam. Chemnitius cap. IX. harm. p. 190. Huc pertinent suavissima dicta: Damascenus lib. IV. cap. 26. *Christus circumcisus est, ut legem impleret & sisteret.* Bernhardus serm. III. de circumc. col. 66. *Nonne & in membris nostris saepe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? dolet caput & in brachio fit coctura: dolent renes & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem mihi datus & totus in meos usus expensus est.* Idem serm. II. de circumcis. col. 64. *Non est quaerere christianis, quare voluerit dominus Christus circumcidi, propter hoc circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos &c. Ex hoc operari cæpit salutem nostram*

Quare Christus circumcidi voluerit.

(*) Nonnulla, quæ huc spectant, ANTON. BYNÆUS singulari dissertatione *de circumcisione Jesu*, ejusdem libris *de natali Jesu Christi* subjecta, exhibet.

firam immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Idem sermon. III. de circumcis. col. 66. *Quid mirum, si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in se ipso non habuit necessariam? Etiam nutrix pro infante accipit medicinam.* Hector Pintus in cap. XXVIII. Ezech. ex Bernhardo: *Solent aliquando periti mediri, quando ægrotus totius corporis torpedine laborat, capitis venam scindere, ut sanguine effuso possit corpus malo illo liberari; Christus est caput nostrum, nos autem membra. Scinditur vena capitis, ut totum corpus sanetur, patitur Christus, ut genus humanum redimatur.* Nimirum obtulit Christus in circumcisione primitias sui sanguinis Deo Patri, ac spopondit se perfectissimam nostri loco obedientiam præstiturum. Quemadmodum David regis filiam in uxorem ducturus & pugnare & centum præputia Philistæorum in dotem sponsæ patri adferre tenebatur, 1 Sam. XVIII. 25 ita quoque Christo, vero illi Davidi, cum ecclesiam in sponsam sibi vellet copulare, tam pugnare quam præputium suum cœlesti Patri adferre fuit necesse. Possunt deinde addi causæ aliæ, propter quas Christus circumcisionem susceperit. 1.) Ut veritatem humanæ suæ naturæ ostenderet. Ne quis enim existimaret, ipsum in phantasmate adparuisse, quæ fuit Manichæorum hæresis, vel carnem suam cœlo detulisse, quæ fuit Valentinianorum opinio, ideo carnem præputii secundum legem ut verus homo sibi præcidi patitur. Bernhardus serm. I. de circumc. col. 63. *Circumcisio veritatem susceptae probat humanitatis, & nomen, quod est supra omne nomen, gloriam indicat majestatis.* 2.) Ut ostenderet se esse verum semen Abrahæ. Circumcisio inter alios fines semen Abrahæ ab omnibus aliis gentibus discernebat, ut ostendit Damascenus lib. IV. orth. fid. c. 26. Christus igitur circumcisionem in carne sua suscepit, ut semini Abrahæ connumeraretur. 3.) Ut confirmaret, circumcisionem Abrahæ præceptam. Quia in mundum venerat nos purificaturus, ideo medium illud, quo tum temporis caro mundabatur, respuere nolebat. Epiphanius lib. I. tom. 2. hæres. 30. contra Ebionitas: *Christus* (inquit) *circumcidi voluit, ut ostenderet, se ipsum in veritate carnem adsumsisse contra Manichaeos, ut confirmaret circumcisionem, quam olim dederat juste inserviisse usque ad suum adventum.* 4.) Ut Judæi non haberent excusationem. Si enim circumcisus non fuisset, poterant dicere: non potuimus Christum suscipere, quia circumcisus non est. Epiphanius dicto loco: ἵνα Ἰουδαῖοι ἀναπολόγητοι ὄντες ἐλεγχθήσονται. 5.) Ut ostenderet, figuram circumcisionis in se impleri, atque illa impletione finem imponi ceremoniis vet. test. Epiphan. d. l. ἵνα περιτμηθεὶς εὐλόγως καταλύσῃ τὴν περιτομὴν ᾗ ἄλλην μείζονα δείξῃ. Ambrosius lib. IX. epist. 74. *Si peccatum factus est, ut nostra peccata mundaret, si maledictum, ut legis maledicta vacuaret, etiam circumcisus pro nobis est, ut circumcisionis legem auferret, daturus salutem crucis.* Augustinus serm. XIII de temp. *Dominus suscepit umbram, daturus lucem: Suscepit figuram, impleturus veritatem.* 6.) Ut virtutem obedientiæ suo exemplo comprobaret, & sacramentorum usum nobis commendaret. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 3. q. art. 1. *Christus circumcisus est in fidei argumentum, in humilitatis exemplum, in legis complementum.* Has rationes omnes & singulas complectitur Thomas part. III. q. 37. art. 1. *Christus circumcisus est, 1.) ut ostenderet veritatem humanae carnis: 2.) ut adprobaret circumcisionem, quam olim Dominus instituerat: 3.) ut adprobaret, se esse de genere Abrahae: 4.) ut tolleret Judaeis excusationem, ne eum reciperent, si esset incircumcisus: 5.) ut obedientiae virtutem nobis suo commendaret exemplo: 6.) ut, qui similitudinem carnis peccati acceperat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret: 7.) ut legis onus in se suscipiens alios a legis onere liberaret.* Gal. IV. 5. Eadem repetit Lyranus in cap. II. Luc. Nec absurde dici posset, Christum ideo etiam circumcidi voluisse, ut ostenderet, circumcisionem patrum in vet. test. ex eo vim habuisse contra peccatum originale, quia in carne sua ipsemet eam suscepit, quemadmodum contactu sui corporis aquas baptismi in nov. test. sanctificasse rectissime pronunciatur. Lactantius in lib. institit. IV. cap. 15. *Christus*

us circumcisus est, ut quemadmodum Judaeos suscepta circumcisione, sic etiam gentes suscepto baptismo salvaret.

Tempus circumcisionis.

§. XVII. *Tempus* circumcisionis triplex est, *institutionis, administrationis* & *durationis.* Tempus *institutionis* incidit in annum mundi 2048. ætatis Abrahæ 99. Gen. XVII. 1. Quid patriarchis & fidelibus ante institutam circumcisionem sacramenti vicem suppleverit, expositum est tract. præced. §. 64. Ideo autem circumcisionis institutio usque ad Abrahæ tempus dilata fuit, quia tum demum certum populum sibi Deus elegit, cui facta est promissio de Messia, voluit igitur hunc populum a reliquis gentibus circumcisionis sacramento esse distinctum (*). Tempus *administrationis* statuitur dies a nativitate octavus Gen. XVII. 12. *Omnis masculus octo dies natus circumcidetur in vobis.* Lev. XII. 3. *Die octavo circumcidetur caro praeputii ejus* (**). Juxta hanc Dei ordinationem Isaacus circumciditur, cum natus esset dies octo, Gen. XXI. 4. Johannes Baptista, Luc. I. 59. Christus ipse. II. 21. Merito autem propter divinam ordinationem tanti fuit habita diei octavæ observatio, ut si vel maxime in sabbatum incideret, nihilo tamen minus circumcisionis sacramentum administraretur. Joh. VII. 23. *Si circumcisionem accipit homo, ut non solvatur lex Mosis, & mihi succensetis, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Rabbini dicunt: *Circumcisio propellit sabbatum, ut non desinat circumcisio sabbato fieri, si in illud incideret dies octavus.* Quare autem octavus demum a nativitate dies huic sacramento fuit destinatus? 1.) Deus φιλάνθρωπος valetudini & vitæ infantum tenellorum consulere voluit, ut prius aliquid virium reciperent, quam vulnere illo læderentur. Auctor commentarii עקידת יצחל inquit, quod *ille sit primus dies, quo infans exit a generali membrorum debilitatione, in qua erat exiens ab utero.* Notum est diem septimum medicorum judicio esse criticum &c. 2.) Partus septem diebus impurus erat ex sanguine, octavo autem demum die purus habebatur. Exod. XXII 30. *Septem dies erit* (pecus tuum primogenitum) *cum matre sua, die autem octavo dabis illud mihi.* Lev. XII. 2. *Mulier si pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis morbi sui immunda erit.* Octavus a nativitate dies etiam apud gentiles erat lustricus, referente Ludov. Vive in lib. XVI. Augustini de civ. Dei, c. 26. 3.) Subest etiam ratio mystica. Cyprianus lib. III. epist. 8. *Quod in Judaica circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra atque in imagine ante praemissum, sed veniente Christo in veritate completum. Nam quia octavus dies idem post sabbatum primus futurus erat, quo Dominus resurgeret & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritualem daret, hic dies octavus, id est, post sabbatum primus & dominicus praecessit in imagine.* Augustinus lib. II. contra literas Petiliani c. 37. *Circumcisio octavae diei, quae patribus data est, praenunciabat justificationem nostram,*

Quare dies octavus circumcisioni destinatus?

(*) Cur Abrahamo demum hoc sacramentum datum sit, hasce causas proferunt: 1.) quia Abraham primus fuit, qui se ab infidelibus & a cultu idolorum divina vocatione ex Ur-Chaldæorum evocatus segregavit. 2.) Quia primus promissionem semini suo adcommodatam accepit. 3.) Non amplius tam crebra erant Dei colloquia & adparitiones. Ante legis promulgationem institui, fuit conveniens: a.) quia populus Dei ab aliis populis evidenti aliquo signo prius erat segregandus, quam lex traderetur: b.) quia populus tunc in paucitate adhuc aliqua erat constitutus, & sic facilius ad suscipiendam circumcisionem potuit persuaderi. Hæc ex HUTTERO adnotavit GERHARDUS.

(**) Licet dies iste octavus, ab ipso Deo præstitutus, rigide olim fuerit observandus, ob morbum tamen & paucas quasdam alias rationes circumcisionem differri potuisse, Judaicæ gentis doctores adserunt. Vid. tract. talmudicum, qui inscribitur: *Schabbat cap. XIX. thes. 5.* atque EDZARDI notas in tract. *avoda sara, cap. II. p. 304.*

noſtram, ut exſpoliationem carnalium concupiſcentiarum per reſurrectionem Domini, quae poſt ſeptimum, id eſt, ſabbati diem, octavo die, id eſt, dominico facta eſt, qui dies tertius poſt ſepulturam ejus occurrit. Idem repetit epiſt. LXXXIX. libr. XVI. de civ. Dei c. 26. In qq. vet. teſt. q. 29. &c. Poteſt etiam alia dari ratio myſtica. Septem dies denotant præſens vitæ tempus, quæ per ſeptem dies, id eſt, continuo hebdomadum ſive ſeptimanarum decurſu terminatur, octavus dies notat tempus reſurrectionis, in quo plenaria carnis expurgatio & univerſalis *regeneratio* ſequetur, Matth. XIX. 28. perinde ut in introitu promiſſæ terræ Canaan generalis circumciſio divinitus præcipiebatur. Joſ. V. 4. 4.) Nec abſurde dici poſſet, determinatione diei octavæ ſubinnui circumciſionem non ita ſimpliciter & abſolute eſſe neceſſariam ad ſalutem, quo minus Deus in caſu neceſſitatis extraordinarie poſſit operari. Novit enim Deus, multos infantes præſtitutum octavum diem non attingere, quos abſoluto quodam decreto a ſalute rejectos dicere repugnat promiſſioni, *Ero Deus tuus & Deus ſeminis tui.* 5.) Lyra in cap. XVII. Gen. profert aliam rationem: *Tempus octo dierum non poterat anticipari, ſicut nec animalia ante octavum diem poterant Deo offerri, quia ante ſunt quid imperfectum, perfecta autem Deo attribuenda.* 6.) Gloſſa ibidem: *Myſtice per dies intelliguntur anni ſecundum illud Ezech. IV. Diem pro anno dedi tibi, infans enim octo annorum incipit habere uſum rationis & tunc reſtringendus eſt a turpibus & inhoneſtis, per quam reſtrictionem intelligitur circumciſio ſpiritualis.* 7.) Hebræi addunt, debuiſſe ſabbatum præterire, quo fœdus ſanctificaretur.

An Hebræi ſemper exſpectarint diem octavum?

§. XVIII. Determinatio illa diei octavæ omnes & ſolos infantes Iſraeliticos ſpectat. Quod omnes infantes ſpectet, ex ipſo ῥητῷ manifeſtum: Gen. XVII. 12. *Omnis maſculus octo dies natus circumcidetur.* Beda exiſtimat, Judæos ante diem divinitus conſtitutam infantes in mortis periculo conſtitutos circumcidiſſe, ſed hæc conjectura nititur falſa illa hypotheſi, quod abſolute neceſſaria fuerit circumciſio ad ſalutem. Cum expreſſo Dei mandato infantum circumciſio ad diem octavum fuerit adſtricta, nequaquam probabile eſt, pios Iſraëlitas quidquam contra hanc divini fœderis partem egiſſe. Si vel maxime ante octavum diem caduceo mortis evocarentur infantes, nihilo tamen minus pii parentes de ipſorum ſalute certi eſſe poterant, ut oſtendimus paulo ſuperius §. 15. Peccarunt igitur Iſraëlitæ, qui infantes ſuos anno demum 13. ætatis circumciderunt. Quod ſolos infantes illa temporis determinatio concernat, patet exemplo ipſius Abrahæ, Iſmaelis, ſervorum & aliorum proſelytorum, qui in adulta ætate circumciſionis ſacramentum ſuſceperunt, inde colligunt Scholaſtici, *octavum diem fuiſſe de neceſſitate præcepti, non autem de neceſſitate ſacramenti, quia circumciſio quolibet tempore facta ſuum effectum habuit*, ut patet in filio Moſis, Exod IV. & in infantibus poſt diem octavum circumciſis. Joſ. V.

Circumciſio in nov. teſt. eſt abrogata.

§. XIX. Tempus *durationis* eſt uſque ad Chriſti adventum ejusque mortem & paſſionem, ideo in nov. teſt. circumciſio eſt abrogata (*). Conſtat id ex ſeqq. fundamentis: 1.) Circumciſio fuit ſacramentum vet. teſt. Chriſtum reſpiciens venturum & ex Abrahæ ſemine naſciturum. Ergo abrogata eſt in nov. teſt. Chriſto jam in carne exhibito & officium divinitus ſibi demandatum exſequente. Jer. XXXI. 31. *Ecce veniunt dies, dixit Jehovah, & feriam cum domo Iſrael & cum domo Juda fœdus novum*, ex quo colligit epiſtola ad Hebr. VIII. 13. *Per hoc, quod dicit novum, antiquavit prius, porro quod antiquatur & ſeneſcit, in propinquo eſt, ut evaneſcat.* Quemadmodum igitur auctor illius epiſtolæ ex promiſſione pacti novi, abrogationem veteris,

(*) Conferenda heic ſunt, quæ generatim de abrogatione legis cærimonialis in *notis* ad GERHARDI *tom. VI. loc. theolog. p. 77. ſeqq.* diſſeruimus.

ris, & ex abrogatione veteris pacti, abrogationem leviticorum sacrificiorum colligit: ita quoque ex abrogatione veteris pacti, circumcisionis abrogationem colligere possumus, cum & ipsa ad vet. test. pertineat. 2.) In ipsa circumcisionis institutione tempus durationis exprimitur licet obscurius Gen. XVII. 7. *Statuam pactum meum inter me & te ac semen tuum post te in generationibus suis.* v. 9. *Tu autem pactum meum servabis, tu & semen tuum post te in generationibus suis.* Quemadmodum igitur abrogatio sacrificiorum, aliorumve rituum leviticorum colligitur ex eo, quod toties jubentur Israëlitæ illos observare *in generationibus suis*: ita quoque idem valet in circumcisione. Lutherus in margine addit: *So lang ihr Ding wehret, denn Moses hiermit deutet, daß ihr Ding soll endlich auffhören und ein anders kommen.* Additur etiam in institutione hujus sacramenti: *Eradicabitur de populo suo*, quibus verbis Deus innuit, quamdiu Judæi futuri sint populus & habituri terram Canaan, tamdiu hanc ceremoniam observandam: at postquam Judæi occiderunt Messiam, non amplius sunt Dei populus. Dan. IX. 26. Hos. I. 9. Galatinus lib. XI. de arc. cath. verit. c. 7. *Quia circumcisio Judaeis in signum data, & vero Deus illos ob scelera reprobavit, ideo christiani non tenentur circumcisionem suscipere, cum sit signum non fidelium, ut olim, sed infidelium & eorum, quos Deus reprobavit.* Hujus loci est observatio, quod inter alias causas ideo in membro genitali signum fœderis impressum fuerit, ut admoneret de Messia ex Abrahæ semine nascituro, exhibito igitur Messia abrogari debuit circumcisio. Morlinus in notis manu scriptis ad cap. XVII. Gen. *Signi duratio testimonium habet ex objecto vel subjecto, nam cum fieret in membro genitali, significatum est, praesente semine benedictionis non amplius fit filiatio carnis, sed coadunatio gentium secutura. Observabis hoc tu & semen tuum in generationibus suis, donec scilicet carne vestra fœdus meum non custodiente ex lapidibus gentes sum recepturus.* Matth III. 10. 3.) Durante adhuc vet. testam. tempore proselytis, qui ex gentibus ad religionem Israelitarum accesserunt, non fuit imposita circumcisio, uti constat exemplis Ninivitarum, Naamanis, Cyri, Darii & aliorum, qui *signaculum istud corpore non susceperunt, fide autem in venturum Messiam salvati sunt, & ad populum civitatemque Dei pertinuerunt.* Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei c. 47. Ergo multo minus in nov. test. erit necessaria. 4.) Primis statim ecclesiæ apostolicæ nov. test. temporibus ἀδιάφορον circumcisio fuit habita, quia Timotheus evitandi scandali causa circumcisus est. Act. XVI. 3. Sed Titum noluerunt apostoli ad circumcisionem cogere, Gal. II. 3. ac diserte scribit Paulus 1. Cor. VII. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est, non adducat circumcisionem.* v. 19. *Circumcisio nihil est & praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Cumque pseudo-apostoli pugnarent, circumcisionem & reliquas ceremonias Mosaicas esse ad salutem necessarias; apostoli in prima nov. testam. synodo Anno post Christi nativitatem 49 celebrata, contrarium fecerunt decretum Act. XV. 1. *Quidam descendentes de Judaea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari,* v. 5. *Surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, dicentes, quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Mosis.* Sed apostoli in epistola synodica scribunt conversis ex gentibus v. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria.* v. 29. *ut abstineatis ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione.* 5.) Paulus doctrinæ de necessitate circumcisionis opponit libertatem christianam Gal. V. 1. *Qua libertate Christus nos liberavit, state, & nolite iterum jugo servitutis contineri.* v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* v. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* v. 6. *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium &c.* 6.) Circumcisio inter reliqua etiam hoc fine instituta fuit, ut hunc populum, in quo & ex quo nasciturus erat Messias, ac penes quem usque ad

Messiæ adventum futura erat ecclesia & publicum docendi ministerium, ab aliis gentibus visibili nota distingueret. Jam vero in nov. test. post Messiæ adventum τὸ μεσότοιχον τῦ φραγμῦ solutum est, Eph. II. 14. factum est *ovile unum & pastor unus*. Joh. X. 16. Ergo & ipsa circumcisio est sublata. 7.) Rom. IV. 11. Abraham constituitur etiam eorum pater, qui credunt in præputio, id est, qui absque suscepta circumcisione in Christum credunt, ut ostendatur, præputium saluti credentium nihil quidquam obstare. 8) Unicum tantummodo requiritur initiationis sacramentum, uti constat. Jam vero in nov. test. baptismus est tale sacramentum. Ergo non circumcisio. Baptismus successit in locum circumcisionis, Col. II. 11. at nisi abroganda fuisset circumcisio, quorsum opus baptismi institutione? Damascenus lib. IV. orthod. fid. c. 26. *Veritate adparente inutilis est figura & umbra. Quare supervacanea nunc circumcisio & contraria sancto baptismati.* Athanasius q. 38. ad Antiochum tom. II. q. 285. πάντες οἱ τὴν σάρκα περιτεμνόμενοι τὴν πνευματικὴν περιτομὴν, ἤγουν τὸ ἅγιον βάπτισμα λοιδοροῦσι καὶ ἀποῤῥίπτουσι. *Omnes, qui carnem circumcidunt, spiritualem circumcisionem, sanctum nempe baptisma, vilipendunt & evertunt.* Rupertus lib. V. in Gen. 31. *Quisquis adhuc circumciditur, venisse negat eum, quem tali signo venturum se exspectare pronunciat, & perinde, illum qui jam venit, utique Christum esse denegat.* Quæ argumenta probant non solum conversis ex gentibus non esse imponendam circumcisionem, sed etiam Judæos ad Christum conversos eadem in nov. test. non obligari.

§. XX. Opponenda hæc sunt:

Antithesis.

1.) *Iudaeis*, qui necessitatem circumcisionis adhuc hodie præfracte urgent (*), quam tamen sibi displicere Deus non verbo solum, sed & ipso facto testatur. Ut enim prætermittamus miserrimam illam & maxime diuturnam Judæorum servitutem, refert Ant. Margarita Judæus conversus in lib. germ. de relig. Jud. Lipsiæ impresso anno 1544. quod plurimi infantes exstinguantur illa nocte, quæ circumcisionis diem præcedit. 2.) *Turcis*, qui cum aliis ceremoniis Judæis circumcisionem in alcorano suo præcipiunt (**) Christianos vocant *giauros*, id est, *incircumcisos*. 3.) *Cerinthianis* a Cerintho, iisdemque *Merinthianis* a Merintho dictis, qui statuerunt *carne circumcidi oportere atque alia hujusmodi legis praecepta servari* (***). Augustinus de hæres. ad Quotvultdeum cap. VIII. Illis connumerandi sunt *Ebionitae*, de quibus Epiphanius hæres. XXX. (****). Paulus *Samosatenus*, de quo Philastrius in cat. hæres. hær. LXIV. scribit, quod circumcisionem servat: Cerinthianos dixisse: *circumcisio est Jesus: tu quoque ipse circumcidere. Christus ex legis praescripto vitam instituit: tu igitur eadem facito.* Nec tamen CERINTHUS totam legem Mosaicam, sed illius duntaxat partem quandam a christianis servari voluit, quod & EPIPHANIUS *loco excitato p. 110.* expresse tradit, atque PHILASTRIUS *de hæresibus cap. XXXVI. p. 75.* itemque AUGUSTINUS, cujus locum supra adlegavit GERHARDUS, confirmant. Vid. ITTIGIUM in *select. capitib. hist. eccles. sec. I. cap. V. §. 28. p. 288.* itemque in differt. *de hæresiarchis ævi apostolici p. 50. seqq.* & in *adpend. p. 14. seqq.* Cumprimis vero lectu digna sunt, quæ C. W. F. WALCHIUS, theologus hodie Gœttingensis isque celeberrimus, in *dem Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien p. 265.* hanc in rem differuit.

(*) Vid. quæ de Judæis aliisque, qui errorem de necessitate observandæ legis Mosaicæ fovisse dicuntur, in *notis ad Gerhardi tom. VI. loc. theolog. p. 81.* diximus.

(**) Paucis hoc notamus, circumcisionis nullam in Alcorano fieri mentionem, & tamen illa uti Muhammedanos, licet non octavo die, uti præter Judæos, *Sabæi* facere solent, observante BOCHARTO in *phaleg. p. 150.* sed septimo demum, octavo, vel etiam decimo tertio a nativitate anno, ad exemplum Ismaëlis, Abrahami filii. Vid. MARACCIUM in *prodromo confutationis Alcorani part. IV. f. 39.* RELANDUM *de relig. Muhammed. p. 59.* & THOMAM SMITH *epist. I. de moribus Turcarum p. 24.*

(***) Testatur hoc EPIPHANIUS *haer. f. XXVIII. §. V. tom. I. oper. p. 113.* atque inter alia ob. Nou-

circumcisionem docuerit (*). 4.) *Nazaræ nis*, qui & *Symmachiani* adpellati fuerunt (**), qui & circumcisionem habuerunt Judæorum & baptismum christianorum. Augustinus lib. I. contra Crescon. Grammat. c. 31. (***). Hos sequuntur *æthiopes christiani* (****), qui adhuc hodie non solum baptismi sacramentum usurpant, (quod singulis annis renovant) sed etiam infantes omnes masculos pariter & fœminas octavo die circumcidunt; interim tamen non ex circumcisione, sed ex fide Jesu Christi salutem sibi pervenire testantur, atque ideo se infantes circumcidere respondent, non quod in circumcisione vim aliquam ad salutem con-

Nonnulli ex iis, qui Christi nomen videntur suscepisse, tamen carnalem circumcisionem recipiendam putant, ut Ebionitæ & si qui his simili paupertate sensus aberrant. Gerhardus.

(*) Paulum Samosatenum hoc docuisse, nullus tradit veterum scriptorum, si a Philastrio discesseris, quem supra adlegavit Gerhardus. Immo Epiphanius *hæres. LXV. §. VII.* tradit, Samosatenianos neque circumcisionem adhibuisse; neque sabbathum aliosve Judæorum ritus observasse. Vid. Fabricium in *not. ad Philastrium p. 127.* & laudatis. Walchium *loc. cit. part. II. p. 112.*

(**) Paucis notamus, Nazaræos tempore Augustini *Symmachianos* fuisse adpellatos, non a Symmacho, Marcionita, sed a Symmacho interprete illo vet. testam. Græco, Ebionæo & judaizante, secundum Ittigium in *diss. de hæresiarchis ævi apostol. p. 68, 69.* immo male ita fuisse adpellatos & cum *Symmachianis* confusos, prout post Moshemium & Lequienum observavit b. canc. Pfaffius in *diss. de abrogatione legis cærimonialis p. 20. not. (m).*

(***) Nazaræos legibus cærimonialibus plus, quam par est, tribuisse, atque judaicam vivendi rationem cum christiana conjunxisse, præter Augustinum, quem supra adlegavit Gerhardus, omnes veteres scriptores, qui de iis commentati sunt, speciatim Epiphanius, Philastrius, atque Jo. Damascenus testantur.

Cæterum non tantum Nazaræi, sed & *Ebionitæ*, observantiam legis cærimonialis christianis quoque ad salutem duxerunt necessariam. Testantur id scriptores veteres, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius aliique.

Num vero *Nazaræi* atque *Ebionitæ* unam eandemque de hoc argumento tenuerint sententiam, nec tantum Judæos, sed etiam homines paganos, quando ad sacra christianorum se contulerunt, legibus Mosaicis ac speciatim circumcisioni subjecerint, de eo inter se dissentiunt viri eruditi. Plerique adfirmantem amplectuntur sententiam, contradicente Michaele Lequien, theologo gallo, qui *dissertat. VII. in Damascenum §. XXI. segq. fol. 96, 97.* comprobare adnisus est, *Nazaræos* solos proselytos ex Judæis ad legem cærimonialem obligasse, cum contra *Ebionitæ* non tantum proselytos ex Judæis, sed & ex gentilibus ad legem istam servandam obstrinxerint. Ast Jac. Rhenferdius in dissertatione *de fictis Nazaræorum & Ebionæorum hæresibus* ostendere adnisus est, nec *Nazaræos*, nec *Ebionitas* eos, qui ex gentilibus Christi fidem amplexi sunt, ad observantiam legis Mosaicæ obstrinxisse, sed solos ex gente Judaica proselytos; quam sententiam & Jo. Tolandus in *Nazareno cap. XVIII. p. 72.* suo adprobavit calculo, refutatus eapropter a b. Moshemio in *vindiciis antiquæ christianorum disciplinæ pag. 90. segq.* & *p. 134.* qui tamen, mutata priori sententia, iis postea accessit, qui statuunt, *Nazaræos* nullos christianorum, nisi Judæos & Abrahæ posteros, legi Mosaicæ adligare voluisse. Vid. ejusdem *commentarios de rebus christianorum ante Constantinum M. p. 330. segq.* Atque huic posteriori sententiæ & nos subscribimus. Conferenda, quæ cel. Walchius in *der Historie der Kezereien part. I. p. 107.* hanc in rem adnotavit.

(****) Gloriantur hodierni Aethiopes, se, occasione reginæ suæ Maquedæ, quam Salomonem olim accessisse tradunt, fama incredibilis sapientiæ illius commotam, circumcisionem, non tantum masculorum, sed & fœminarum, & cum ea Judaismum suscepisse. Vid. Petrum della Valle in *itinerar. part. I. cap. XXXII.* Verum falsitatem atque absurditatem hujus traditionis luculenter comprobavit Herm. Witsius in *œconomia fœderum Dei cum hominibus libr. IV. cap. VIII. §. 8, & 9. p. m. 694. segq.* recteque observavit, longe probabilius esse, Æthiopes circumcisionis ritum antiquissimis jam temporibus ab Ægyptiis, quorum soboles sunt, accepisse.

constituant, sed ut Abrahami & aliorum sanctorum patrum exemplum sibi ob oculos proponant, & illo monumento commoniti acrius & ardentius in similis sanctitatis studium incitentur. Chytræus de eccles. orient. Phil. Nicol. lib. I. de regno Christi cap. I.

Argumenta pro perpetuitate circumcisionis.

§. XXI. Quibus vero argumentis circumcisionem adhuc necessariam esse judæi & Judaizantes probare conantur? I.) *Deus testatur sese aeternum fœdus cum Abrahamo & ipsius posteris per circumcisionem inire* Gen. XVII. 7. *Resp.* vox *aeternitatis* aut refertur ad ipsum fœdus gratiæ, aut ad externum circumcisionis ritum, fœderis signum. *Priori* ratione dicimus fœdus gratiæ cum circumcisis initum fuisse omnino æternum fœdus, cujus virtus duret in omni æternitate, etiamsi externa ceremonia certo tempore cessare debuerit, quemadmodum etiam in baptismo Deus æternum fœdus nobiscum init, quamvis externa baptismi ceremonia in die novissima sit desitura. *Sicut circumcisionem abstulit primus Domini adventus: sic baptismum auferet secundus adventus.* Augustinus epist. CCIII. *Posteriori* ratione dicimus vocem עוֹלָם, quandoque non absolutam æternitatem, sed finitam quandam perpetuitatem denotare, quod in tractat. de legibus ceremonialibus & forensibus §. 28. multis exemplis demonstravimus. Atqui hanc significationem vocabuli esse hujus loci propriam, patet ex argumentis illis omnibus, quæ probant circumcisionem in nov. test. esse abrogatam. II.) Esaj. LII. 1. de *regno Christi* dicitur, quod non futurus sit in eo immundus aut incircumcisus. *Resp.* id intelligendum de circumcisione spirituali, non carnali: de circumcisione cordis, non corporis; de circumcisione animi, non præputii; de circumcisione illa, *cujus laus ex Deo est*, ut loquitur apostolus Rom. II. 29. Patet id ex circumstantiis textus. Ut enim per Hierosolymam intelligitur Hierosolyma spiritualis, sancta Christi ecclesia: ita quoque per circumcisionem intelligitur spiritualis circumcisio, id quod vox *munditiei* addita evidenter comprobat. Ad Hierosolymam terrenam multi venerunt incircumcisi carne, sed ad spiritualem Hierosolymam, ad regnum Christi spirituale, nulli patet aditus, nisi sit Spiritu & corde circumcisus. III.) *Ezech. XLIV. 9. conjungitur circumcisio carnis & cordis;* Sic dixit Dominus Jehovah: Nullus filius alienigenæ incircumcisus corde & incircumcisus carne ingredietur sanctuarium meum. *Utraque ergo in nov. test. erit necessaria. Resp.* Quemadmodum Christus & apostoli verbis hujus seculi describunt res futuri seculi: ita prophetæ verbis vet. test. describunt res & beneficia nov. test. In ipsa illa visione prophetica imagine & vocabulo *templi* designatur ecclesia nov. test. neque tamen ad Hierosolymitanum templum eam adligatam fore ex illo inferri potest. Adde, quod circumcisio fuerit typus baptismi, qui in locum ejus successit. Col. II. 11. Propheta igitur vocabulo *typi* denotat antitypum, ipsum scilicet baptismum. Quemadmodum enim Christus dicit Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cœlorum*, id est, absque baptismo nemo poterit esse membrum ecclesiæ triumphantis: ita quoque apud prophetam dicit: *Nullus incircumcisus corde & incircumcisus carne ingredietur sanctuarium meum*, id est, absque baptismo nemo poterit esse membrum ecclesiæ militantis, quod qua cum conditione & exceptione intelligendum sit, suo loco dictum fuit. IV.) *Circumcisio non est ex Mose, sed ex patribus* Joh. VII. 22. *Ergo alia est illius ratio, quam Mosaicarum ceremoniarum, ac proinde, licet ceremoniae Mosaicae in nov. test. abrogatae fuerint, id tamen circumcisioni nequit esse fraudi:* Resp. Etiam sabbatum, etiam sacrificia non ex Mose, sed a patribus ortum habuerunt, quæ tamen omnia, quia ad vet. test. quod fuit tempus umbrarum, pertinent, & per Mosen legibus confirmata ac descripta sunt, pro Mosaicis censentur, ac proinde in nov. test. abrogata intelliguntur. V.) *Hac ratione Deus in consiliis & institutis suis statuetur mutabilis, quod circumcisionem tanta severitate mandatam voluerit postea abrogatam.* Resp. militaret hæc ratio, si circumcisionem Deus hoc fine primitus instituisset, ut esset ceremonia perpetua ad finem usque mundi in

in ecclesia usurpanda. Cum vero ad certum tantummodo tempus ex ipsa Dei institutione durare debuerit, ideo abrogatio ejus non probat, Deum esse mutabilem, sed potius evincit, *Deum* in consiliis suis non esse mutabilem. Qui enim id agit, quod se acturum primus decrevit, eo ipso se immutabilem esse ostendit. Vide tract. de legibus ceremonialibus & forensibus §. 41. VI.) *Circumcisio non erat cujusdam rei in novo testamento demum secuturae figura aut umbra. Ergo nondum est abrogata.* Resp. Imo vero fuit figura baptismi, qui est circumcisionis ἀντίτυπον, unde vocatur circumcisio ἀχειροποίητος Col. II. 11. Adde, quod quamvis non præfigurarit Christi carnem & sanguinem directe & immediate, (sicut agnus paschalis, sacrificia &c.) tamen id præstabat indirecte, significando scilicet & obsignando promissionem de Messia ex semine Abrahæ nascituro. Hunnius in tractatu de sacram. cap. II. quæst. 22. id declarat exemplo sabbati, quod accensetur umbris futurarum rerum Col. II. 16. quamvis Christi carnem ac sanguinem, ejusdemque passionem directe non præfigurarit.

Quando & quomodo abrogata sit circumcisio.

§. XXII. Quando autem & quomodo abrogata est Circumcisio (*)? Scholastici varie hac de re disputant, cui rei occasionem præbuit dictum apostoli, (Gal. V. 2. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*) ac discrepantes sententiæ Hieronymi & Augustini. Thomas I. 2. q. 103. art. 4. *Hieronymus putat, quod legalia statim post passionem Christi inceperunt esse non solum mortua, id est, non habentia virtutem & obligationem, sed etiam mortifera, ita quod peccabant mortaliter, qui ea observarent. Dicit ergo, apostolos non observasse legalia secundum veritatem, sed pia quadam simulatione: Augustinus convenientius distinxit tria tempora, primum ante passionem, in quo legalia nec mortua, nec mortifera; aliud post tempus divulgati evangelii, in quo legalia sunt mortua & mortifera. Tertium est medium scilicet a passione Christi usque ad divulgationem evangelii, in quo legalia fuerunt mortua, sed non mortifera.* Idem Thomas lib. IV. sent. dist. 1. q. 10. art. 3. Richardus, Durandus, Paludanus ibidem distinguunt tria tempora circumcisionis, (post Christi incarnationem) *unum usque ad passionem Domini; alterum a passione Domini usque ad publicationem evangelii; tertium a publicatione evangelii usque ad finem.* In *primo* dicunt circumcisionem fuisse necessariam, quia nondum fuit lex illa remota, nec alia imposita. In *secundo* dicunt fuisse licitam, sed nec utilem, nec necessariam, quia in Christi morte legalia omnia consummata sunt. In *tertio* dicunt fuisse mortiferam, propter effatum apostoli Gal. V. 2. Sed Scotus hæc impugnat, distinguit enim *quatuor tempora circumcisionis*, in primo dicit fuisse necessariam & utilem: in secundo utilem & non necessariam: in tertio nec utilem, nec necessariam, tamen licitam: in quarto nec necessariam, nec utilem, nec licitam, sed mortiferam. Biel igitur secutus Scotum lib. IV. sent. distinct. 1. quæst. 4. art. 3. format has propositiones: 1.) *Circumcisio cessavit simpliciter, quantum ad necessitatem salutis, quando baptismus consulebatur tam gentibus, quam Iudaeis:* rationem addit talem, *quia consilium de perfectiore remedio contra morbum peccati relaxavit praeceptum de priore remedio.* 2.) *Per baptismi institutionem & ejus sufficientem promulgationem circumcisio facta est non statim mortifera, sed inutilis Iudaeis;* (ut hæc propositio una cum priore recte intelligatur, notandum, quod duo tempora respectu baptismi distinguat, unum, quo fuerit sub consilio; alterum, quo cœperit esse sub præcepto; prius cœpisse dicit a principio prædicationis Christi usque ad publicationem solennem post adscensionem; posterius cœpisse dicit in die Pentecostes) rationem addit talem: *Per baptismi promulgationem ba-*

(*) De *modo* itemque de *tempore* abrogationis legum cærimonialium, ad quas & circumcisio spectat, in *notis* ad *tom. VI. loc. theolog. p. 80.* nonnulla diximus.

baptismus necessarius factus est ad salutem, dicente Christo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Ergo circumcisio facta est inutilis. Nec tamen facta est mortifera, quia etiam Paulus circumcidit Timotheum. 3.) *Pro aliquo tempore cum legalibus cessavit circumcisio, & facta est mortifera omnium gentium ac Judaeorum populo, quia haeresis est dicere, quod legalia currant cum lege evangelica.* cap. majores extr. de bapt. 4.) *Non uno eodemque tempore cessavit circumcisio facta mortifera apud gentiles & conversos ex Judaea, quia quantum ad gentiles cessavit circumcisio, ita, ut eis fuerit mortifera post sufficientem promulgationem baptismi eis factam* Gal. V. *& tamen illo tempore non fuit mortifera Judaeis.* 5.) *Quo-praecise tempore circumcisio cum legalibus caperit Judaeis esse mortifera, non est evidens notum ex scriptura.* Hæc Biel. Quidam ex recentioribus statuunt, primis post Christi adscensionem ecclesiæ apostolicæ temporibus circumcisionem fuisse liberam, sed in synodo apostolica fuisse penitus abrogatam, ita, ut non licuerit postea eam suscipere. Sed cum synodus apostolica incidat in annum a nativitate Christi 49. & vero Act. XVI. 3. referatur, quod Paulus Timotheum post synodi illius decretum circumciderit, cumque post idem decretum priorem ad Corinthios epistolam anno 55. post Christi nativitatem, ut plerique censent, scripserit, in qua diserte dicit: *Circumcisio nihil est, praeputium nihil est*, ideo non potest adseri simpliciter, quod penitus in synodo apostolica fuerit abrogata, ita, ut eandem suscipere minime licuerit. Dicimus ergo per passionem & mortem Christi, ut reliquis ceremonis Mosaicis, ita quoque circumcisioni finem impositum fuisse, interim tamen, ut cum honore Judaica synagoga sepeliretur, cumprimis ut scandalum infirmiorum ex Judæis ad Christum conversorum prævertereturr, ideo apostoli liberam aliquamdiu circumcisionem permiserunt, perinde ut ob eandem causam a sanguine & suffocato abstinendum censuerunt, Act. XV. 29. ubi adprime notandum, circumcisionem tunc temporis non fuisse sacramentum aliquod proprie dictum, sed ceremoniam quandam mediam & indifferentem, non ad fidem obsignandam, sed ad fovendam cum conversis Judæis charitatem usurparam. Quod Gal. V. 2. dicitur: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, id non intelligendum est de circumcisione simpliciter in primis ecclesiæ apostolicæ temporibus propter scandalum infirmiorum usurpata, (alias repugnaret id exemplo ipsius apostoli, qui Timotheum circumcidit) sed de circumcisione cum opinione cultus & necessitatis ad salutem suscepta. Ostendit hoc scopus illius epistolæ, quæ opposita est pseudo apostolis, cum opinione necessitatis ad salutem circumcisionem apud gentes urgentibus. Postquam vero causa illa desiit, ob quam apostoli nonnunquam libere circumcisionem usurpabant, ipsa quoque postea plane desiit, Judæis de libertate christiana sufficienter informatis & confirmatis.

§. XXIII. Quare vero abrogata est circumcisio in novo testamento? non quod fuerit res mala, & proinde abjicienda, ut Manichæi blasphemarunt, quos diligenter refellit Augustinus lib. VI. contra Faustum cap. 2. & alibi passim, nec quod lex de circumcisione fuerit alterius Dei, ut statuerunt Encratitæ, referente Clemente lib. III. strom. Sed 1.) quia instituta fuit ad certum tempus, quo adveniente abrogari utique debuit. 2.) Quia novum testamentum novis etiam signaculis sive sacramentis constare debuit. 3.) Quia Messiam ex Abrahæ semine nasciturum præsignificabat, exhibito igitur Messia eodemque in cruce mortuo abroganda erat. 4.) Quia distinguebat populum Israëliticum a reliquis gentibus. Quare cum in novo testamento ex Judæis & gentibus Deo colligatur ecclesia, diruta macerie ac intersepto, utique etiam cessare debet circumcisio. 5.) Sicut sanguis Christi sistit sanguinem animalium in sacrificiis veteris testamenti mactatorum, ita etiam sistit sanguinem in circumcisione ab hominibus profundendum. Sicut sacrificiis veteris testamenti successerunt ἀναίμακτα & spiritualia sacrificia in novo testamento, ita cruentæ circumcisioni veteris testamenti successit ἀναίμα-

Quare abrogata sit circumcisio in nov. test.

κτος

κτῶ & ſpiritualis circumciſio, videlicet baptiſmus.

An circumciſio potuerit iterari?

§. XXIV. Ad tempus circumciſionis pertinet quæſtio: An circumciſio iterari potuerit? quod negamus. 1.) Quia de iteratione nec præceptum nec exemplum in ſacris literis habetur. 2.) Quia fuit ſacramentum initiationis, quod nulla indiget iteratione. 3.) Quia baptiſmus, qui in nov. teſtam. circumciſioni ſucceſſit, iterationem non admittit. 4.) Quia fœdus, quod per circumciſionem Deus cum Abraha & ipſius poſteris inibat, erat immotum & immutabile. 5.) Quia iterata circumciſio per naturam vix videtur locum habere potuiſſe. Quod Joſ. V. 2. Iſraëlitæ *ſecundo circumcidi* jubentur, id nequaquam hoc ſenſu accipiendum, quaſi illi, qui prius circumciſi, denuo circumcidi juſſi fuerint, ſed quod Joſua circumciſionem per 40. annos in deſerto intermiſſam renovare debeat circumcidendo ſcilicet illos, qui poſt egreſſum ex Ægypto in deſerto nati, nondum fuerant circumciſi. Adparet hic ſenſus ex ipſo textu: v. 4. *Hæc autem eſt cauſa, propter quam circumcidit Joſua.* v. 5. *Circumciſus fuerat univerſus populus, qui egreſſus fuerat,* (ex Ægypto) *at univerſum populum, qui natus fuerat in deſerto, in via, poſteaquam egreſſi ſunt ex Ægypto, non circumciderant.* v. 6. *Nam quadraginta annis ambulaverunt filii Iſraël per deſertum, donec conſumeretur univerſa gens virorum bellatorum &c.* v. 7. *At filios eorum, quos ſubſtituit in locum ipſorum, illos circumcidit Joſua, quia incircumciſi erant, non enim circumciderat eos in via.* Ex quibus manifeſtum eſt, voces illas *iterum* & *ſecundo* nequaquam denotare circumciſionis in perſonis jam ante circumciſis repetitionem, ſed ejusdem in deſerto intermiſſæ renovationem. Rabbini plerique ſtolide nugantur, præcipi hoc loco non ipſam circumciſionem, ſed מוצר diſtenſionem pelliculæ, quæ poſt præputii ablationem in membro genitali relinquitur, filios Iſrael in deſerto quidem circumciſos eſſe, ſed non accepiſſe pelliculæ diſtenſionem, ideo juberi hic denuo circumcidi. Alii agnoſcunt de ipſa circumciſione hoc loco agi, dicunt ergo ante hanc circumciſionem, quæ ſub Joſua facta eſt, aliam quoque ſub Moſe factam in deſerto, anno ſcilicet ſecundo poſt exitum ex Ægypto, quando & paſcha celebrare juſſi fuerunt, ſed ab illa circumciſione nullum ex his, qui nati fuerant in deſerto, fuiſſe circumciſum, donec tranſierunt Jordanem, quod incerta illis eſſet manſio, ducente illos nube, quam præeuntem ſequi fuerant juſſi, quod ſi maſculi circumciſi fuiſſent, in magnum vitæ periculum veniſſent, cum ob dolorem & fauciatum corpus caſtra minime potuiſſent ſequi.

Ὀνομαθεσία in circumciſione.

§. XXV. Adjunctum circumciſionis eſt *nominis impoſitio*, ut adparet ex Johannis baptiſtæ & ipſius Chriſti exemplo. Luc. I. 63. II. 21. quæ ὀνομαθεσία 1.) reſpectum habuit ad exemplum Abrahæ, *patris omnium credentium*, Rom. IV. 12. cui in circumciſione nomen fuerat mutatum. Gen. XVII. 5. 2.) Fuit perpetuum memoriale, quo admonerentur Iſraelitæ, ſe per circumciſionem in fœdus Dei receptos eſſe. 3.) Quin & obligationis Deo factæ ipſos admonuit, ut in agnitione, invocatione & cultu veri Dei perſeverarent. Quemadmodum igitur nomen in baptiſmo datum teſtatur, *nomina noſtra in cœlis ſcripta eſſe*, Luc. X. 20. *& in libro vitæ*, Phil. IV. 3. ita quoque de nomine in circumciſione impoſito idem per omnia dicendum, cum circumciſio non minus fuerit initiationis ſacramentum in vet. teſt. quam baptiſmus hodie eſt in novo.

Locus circumciſionis.

§. XXVI. Ad certum quendam *locum* adminiſtratio circumciſionis in verbis inſtitutionis nequaquam adligatur. Ex circumciſione Johannis colligitur, in domo parentum infantes fuiſſe circumciſos, cujus ratio fortaſſis ea, quod cum circumciſio non poſſet ſine exquiſito infantis cruciatu fieri, facilius vulneri remedium domi fuerit adhibitum. Adminiſtrabatur autem in forma cœtus cujusdam eccleſiaſtici, ad quem vicini & cognati adveniebant. Luc. I. 59.

Judæi, genus hominum superstitiosissimum, varias insuper adhibent ceremonias (*) ex παραδόσει majorum. Adornant sellas duas vacuas, unam pro Elia, quem semper adesse credunt in circumcisione, alteram, ut aliqui volunt, pro Mose; habent & vasculum pulvere repletum, in quo sepeliunt amputatum præputium, quod offerunt serpenti devorandum, qui totum genus humanum infecit. Post sanatam circumcisionem adhibent etiam in stagno mersionem. Vide Rabbi Abraham Hispanum in cap. III. Gen. Münsterum in cap. V. Jos. Ant. Margaritam lib. de relig. Judæorum &c. (**)

Fines circumcisionis.

§. XXVII. *Fines* circumcisionis *principales* expositi sunt in superioribus, videlicet quod fuerit 1.) efficax medium atque organum receptionis in fœdus Dei, regenerationis, renovationis, υἱοθεσίας & salutis, remedium contra originale peccatum. 2.) *Sigillum justitiae fidei*, quo gratuita promissio de remissione peccatorum, justitia & vita æterna in cordibus circumcisorum fidelium fuit obsignata. *Minus principales* fines enumerari possunt complures, utpote 1.) quod posteritas Abrahæ a reliquis gentibus hoc signo fuerit discreta, inde est, quod Judæi peculiariter adpellantur *circumcisio* Rom. III. 30. &c. Justinus in dial. cum Tryph. p. 180. in Græc. *Circumcisio, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus & a nobis discreti.* Irenæus lib. IV. cap. 30. *Circumcisio data est Abrahae, ut esset signum, per quod cognoscibile perseveraret genus Abrahae.* Vide etiam Chrysostomum homil. XL. & Theodoretum quæst. LXVII. in Genes. 2.) Quod hac ceremonia de multis gravissimis rebus admoniti fuerunt, videlicet de corruptione naturæ per peccatum originale in nos propagata, de semine promisso, id est, de Messia ex posteris Abrahæ nascituro, de circumcisione spirituali cordis & omnium membrorum, de cruce patienter ferenda, & primitiis sanguinis offerendis illi, qui totum sanguinem in cruce erat effusurus. Justinus in dial. cum Tryph. pag. 201. *Circumcisio fuit typus & signum verae circumcisionis, qua circumcisi sumus ab errore & veritate.* Ambrosius lib. I. de Abrahamo cap. 4. *Circumcisio carnis praeceptum est castimoniae, ut aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu ac lascivia refrenet cupiditates: etenim circumcisionis vocabulo id praescribitur, ut omnis impuritatis sucor abstergatur, & incentivum libidinis auferatur.* Augustinus libr. VI. contra Faustum cap. 3. *Est signum regenerationis humanae.* Lactantius lib. IV. divin. institut. cap. 17. pag. 228. Antuerp. *Illa carnis circumcisio caret utique ratione, quia si Deus id vellet, sic a principio formasset hominem, ut praeputium non haberet; sed hujus secundae circumcisionis figura erat, significans, mundandum esse pectus, id est, aperto*

(*) Cærimonias cum circumcisione apud Judæos conjunctas sequentem in modum edisserit ICKENIUS: „ Collocatur sedes Eliæ, מוהל „ (*circumcisor*) canticum *Exod. XV.* canit, su„ sceptore cum puerulo locum occupante, ad„ clamant, qui præsentes sunt, ברוך הבא, re„ sectam partem circumcisor in patinam are„ na repletam injicit, membrumque vino con„ spergit, post פריעה (*lacerationem*, qua re„ liqua cutis pars unguibus discerpitur) san„ guinem exsugit, quod מציצה adpellant, & „ vulnus sollicite obligat. Variæ quoque be„ nedictiones a circumcisore, patre aut reli„ quis adstantibus, ante hunc actum, sub eo„ dem, vel post illum recitantur, in quarum „ una simul circumcisor infanti nomen impo„ nit. Conf. *Luc. I. 59.* Denique lauto con„ vivio omnia finiuntur.„ Hactenus ICKENIUS in *antiquitat. ebraicis, part. I. cap. XXII. §. XI. p. 345.*

(**) Auctoribus supra a GERHARDO excitatis iisque antiquioribus, jungi merentur recentiores, qui circumcisionis judaicæ ritus adcuratius exposuerunt, speciatim SELDENUS *de jure nat. & gentium juxta disciplinam ebræorum libr. I. cap. II. operum vol. I. f. 177.* HOTTINGERUS *de jure ebræor. num. 2.* BUXTORFIUS *lex. talmud.* in פרע & *synag. jud. cap. IV.* SCHUDT in den *jüdischen Merkwürdigkeiten libr. VI. cap. XXXV. p. 293. seqq.* aliique, quos nominare supersedemus.

aperto & simplici corde oportere nos vivere, quoniam pars illa corporis habet quandam similitudinem corporis. Polydorus Virgilius lib. IV. de rer. invent. cap. 3. ex Cypriano: *Cum jam fidei tempora adpropinquarent, imperata est circumcisio, & pars illa corporis, in qua est voluptatum seminarium & libidinis officina, jussa etiam in parvulis amputari, ut proprii primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent.* Quæ exterius sordidata sunt, illa lavantur: si quid autem immundi est intrinsecus, illud præciditur: ita per circumcisionem voluit Deus innuere, in nostra carne hærere peccatum, quod carnem reddat immundam, illud esse rescindendum. 3.) Quod circumcisio fuerit figura baptismi, in quo peccatum ὡς περίττωμα ἐπιθυμίας circumciditur, ut quondam præputium ὡς περίττωμα ἄχρηστον circumcidebatur. Damascenus lib. IV. cap. 26. 4.) Quod fuerit signum commonefactionis, *ut semen Abrahae inquilinum in terra aliena non aversaretur nomen Dei, sed in patris pietate perseveraret.* Epiphanius hæres. VIII. De principalibus illis ac veris institutæ circumcisionis causis altum apud Judæos silentium, substituunt autem causas alias carnalibus opinionibus abrepti. Philo lib. de circumc. p. 514. edit. lat. *Circumcisionis causae sunt: 1.) Ut caveatur carbunculus, qui praeputiatis facilius innascitur. 2.) Ut totum corpus purius sit, neve quid sordium ibi haereat. 3.) Quod haec particula habet cordis similitudinem, ambae enim generationi serviunt, ab altera spiritus animales, ab altera genitorae proficiscuntur. 4.) Propter fœcunditatem, recta enim semen ejaculatur.* Atqui has causas ex patribus se accepisse scribit. Gerundensis dicit, *in corpore humano nihil superfluum inveniri propter illam carnem praeputii, ideoque dignam, ut rejiciatur.* Alii ex Rabbinis dicunt, *circumcisionem imminuere & debilitare pruritum naturalem libidinis*, sed Mercerus in cap. XVII. Gen. recte monet, *Judaeos non minus aliis falaces esse.*

§. XXVIII. Quamvis vero in novo testamento abrogata sit circumcisio, non tamen nullus hujus doctrinæ hodie est *usus*, siquidem facit 1.) ad cognoscendam Dei φιλανθρωπίαν, qui inito cum Abraha & posteris ejus fœdere per circumcisionis sacramentum itidem fuit efficax ad regenerationem & salutem, sicut hodie per baptismatis sacramentum. Rom. III. 30. *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem.* 2.) Ad retundendam gentilium & Manichæorum μωροσοφίαν, quibus adsurdum fuit visum, in illa corporis parte datam esse tam præclaræ & singularis gratiæ fœderalis tesseram. 1 Cor. I. 25. τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. Quod insani homines in rebus divinis stultitiam judicant, id omni humana sapientia præcellentius. 3.) Ad reprimendam Judæorum, Turcarum & aliorum κακοζηλίαν, qui hodieque circumcisionis necessitatem urgent, quibus fulmen illud apostolicum opponimus, Gal. V 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* 4.) Ad spiritualis circumcisionis ἀλληγορίαν. Externa quidem circumcisio desiit, sed interior illa & spiritualis adhuc durat, quæ omnibus Dei filiis & vitæ æternæ hæredibus futuris est necessaria. Descriptio illius superius §. 8. fuit proposita, quod scilicet nihil aliud sit quam interior regeneratio ac renovatio, qua cor & omnia membra a peccatis & vitiosis concupiscentiis circumciduntur; Deut. X. 16. Jer. IV. 4. VI. & X. &c. qua vetus homo & *caro cum adfectibus & concupiscentiis crucifigitur*, Rom. VI. 6. Gal. V. 24. qua *deposito veteri homine, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamur spiritu mentis nostrae, & induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate vera*, Eph. IV. 22. 23. 24. qua *membra veteris Adami, quae sunt super terram, mortificantur.* Col. III. 5. &c. (*) Quemadmodum igitur circumcisio carnis omnibus Israelitis erat necessaria;

Usus doctrinæ de circumcisione.

(*) Spiritualem circumcisionem pulcerrime exponit Origenes homil. III. in Gen. part. I. pag. 19. quem vide. GERHARDUS.

cessaria; Gen. XVII. 14. *Masculus habens praeputium, qui non circumciderit carnem praeputii sui, eradicabitur de populo suo;* ita omnibus spiritualibus Israelitis necessaria est spiritualis circumcisio. Hebr. XII. 14. *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Quemadmodum circumcisio carnis administrabatur cultro lapideo, id est, acuto in petra, sive cote polito; Exod IV. 25. Jos. V. 3. ita quoque spiritualis circumcisio fit per legem Dei in tabulis lapideis descriptam; eam enim si in vero Dei timore exacte pensitemus, cordis nostri præputium, id est, adhærentes pravæ concupiscentiæ nobis patefient, quæ cultro Spiritus quotidie sunt resecandæ. Quemadmodum circumcisio carnis administrabatur a sacerdotibus veteris testamenti, ita omnes coram Deo facti sumus spirituales *sacerdotes;* Apoc. I. 6. *Sacerdotium sanctum, ut offeramus spirituales hostias* 1 Petr. II. 5. ac spiritualiter nos circumcidamus. Quemadmodum sacramento circumcisionis adnexa erat promissio gratiæ; ita illi demum sunt ac manent in Dei gratia, qui spirituali circumcisioni, hoc est, quotidianæ renovationi per Spiritum sanctum studeant. Quemadmodum universalis quædam circumcisio Israelitis præcipiebatur ante ingressum promissæ terræ; Jos. V. 2. ita quoque in extremo die ante ingressum promissi regni ab omnibus pravis concupiscentiis plene & perfecte circumcidentur spirituales Israelitæ. Hæc spiritualis & interior circumcisio longe præstantior est externa carnis circumcisione; hæc enim facta est manu, illa vero fit Spiritu, inde dicitur ἀχειροποίητος, Col. II. 16. hæc facta est in uno membro, illa vero in omnibus membris fieri debet: hæc facta est tantum semel, illa vero quotidie indigemus: hæc masculis tantummodo fuit administrata, illa vero omnibus fidelibus est communis, in *Christo non est mas nec femina.* Gal. III. 28. Hæc potuit esse infrugifera, nimirum apud adultos, si in corde non esset vera pœnitentia & fides, illa vero semper est utilis ac fructuosa.

§. XXIX. Ex superioribus omnibus talis constitui potest *definitio.* Circumcisio est *sacramentum prius vet. testam. a Deo institutum & Abrahae ac posteris ejus mandatum, quo per amputationem præputii in infantibus masculis juxta verbum octavo die factum, vel in adultis Judaicam religionem vere amplectentibus & in promissum Messiam credentibus, Deus fuit efficax ad adplicandum & obsignandum fœdus divinum atque omnia fœderis illius beneficia.*

Definitio circumcisionis.

CAPUT IV.

DE AGNO PASCHALI.

Alterum vet. test. sacramentum paschæ.

§. XXX. Exposito igitur priore vet. testam. sacramento, videlicet circumcisione, transitum facimus ad posterius, puta *agnum paschalem.* Πάσχα non a πάσχω, ut imperiti quidem existimant, quos reprehendit Nazianzenus orat. II de pasch. sed a פֶּסַח (*transitus, transitio*) deducitur, quia nocte illa proxime institutionem agni paschalis secuta, angelus Domini respectu regni Ægyptiaci transivit per omnes ejus angulos, respectu ædium Israeliticarum transilivit vel præterivit. פָּסַח proprie significat *saltare & transilire,* unde Hebræi claudum vocant פִּסֵּחַ quod, cum ingreditur, quasi *saltare & subsilire* videatur. פֶּסַח (Hieronymus variatis punctis legit פָּסָח) πάσχα in hac materia significat: 1.) *Transitum* ipsum tum angeli percutientis Ægyptiorum primogenita, Israelitarum vero ædes prætereuntis, tum ipsius Domini transeuntis per Ægyptum Israelitas ex eo educentis, hostes vero punientis. Exod. XII. 27. *Sacrificium* פֶּסַח *transitus est Domini, qui transiliit* פֶּסַח *super domos filiorum Israel in Ægypto, quando percussit Ægyptum & domos nostras eruit.* 2.) *Agnum ipsum,* (שֶׂה) qui mactabatur eo tempore, &

Paschæ quid significet.

& comedebatur certis ceremoniis, ut admoneret Israelitas de illo transitu Exod. XII. 21. שַׁחֲטוּ הַפָּסַח *mactate pascha, agnum paschalem.* Marc. XIV. 12. *Quo vis eamus & paremus tibi ut comedas* τὸ πάσχα. Luc. XXII. 7. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.* v. 15. *Desiderio desideravi manducare vobiscum pascha &c.* 3.) חַג *festum* ac diem, quo agnus mactabatur εἰς μνημόσυνον istius transitus, huic adfinis est illa significatio, qua paschatis nomine accipitur octiduana festi celebritas, qua mandato Dei azymis vescebantur. Num. IX. 2. *Et faciant filii Israel* הַפֶּסַח *pascha*, id est, festivitatem paschatis celebrabunt. 2 Paral. XXXV. 1. *Et fecit Josia in Jerusalem pesach Domino.* Matth. XXVI. 2. *Scitis quod post biduum pascha fiet.* Joh VI 4. *Erat proximum Pascha festus dies Judaeorum.* 4.) *Christum* agni paschalis antitypum. 1 Cor. V. 7. *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est Christus.* Inter has significationes prima est propria, reliquæ sunt translatæ (*).

Res terrena hujus sacramenti.

§. XXXI. Institutio agni paschalis describitur Exod. XII. Ut autem singula institutionis membra exacte ponderemus, ad duo principalia capita eadem revocabimus. Describitur enim 1.) *res terrena* sive elementum externum hujus sacramenti: 2.) *sacramentalis actio* circa illud. Res terrena sive elementum externum in hoc sacramento est *agnus.* Exod XII. 3. *In decimo mensis hujus accipiet sibi unusquisque agnum per domum.* Quæritur hoc loco, an una cum agno etiam hœdus fuerit accipiendus? Occasionem quæstioni præbet v. 5. *Agnus anniculus erit vobis, juxta quem ritum tolletis & hœdum.* Hebræa sic habent: מִן־ הַכְּבָשִׂים וּמִן־ הָעִזִּים תִּקָּחוּ quæ verba a quibusdam accipiuntur copulative: *Ex agnis & capris accipietis eum*, ut sit sensus, quod una cum agno tollendus etiam sit hœdus, unde quidam interpretes teste Lyrano duplicem statuunt mactationem, *alteram* agni die decima mensis nisan, *alteram* vero hœdi die decima quarta ejusdem: a quibusdam vero accipiuntur *disjunctive* hoc sensu, quod *vel* ab agnis agnus, *vel* ab hœdis hœdus sit deligendus; ita ut liberum fuerit illis, quibus non fuerit agnus, accipere hœdum; prior opinio textui non congruit, cum in descriptione actionum sacramentalium unius tantum pecudis fiat mentio. Posteriorem sententiam defendit Lyranus. 1.) Quia vox hebræa שֶׂה promiscue significat tam *agnum* quam *hœdum.* Deut. XIV. 4. שֹׁר כְּבָשִׂים וְשֵׂה עִזִּים, *pecus ovium & pecus caprarum.* Thargum: *agnos ovium & agnos caprarum.* LXX. interpretes: *Agnum ex ovibus, & hœdum ex capris.* Rabbi Kimchi: parvus *agnus* vel *hœdus* vocatur שֶׂה 2.) Quia additio illa in textu *disjunctive* accipienda necessario videtur *ex ovibus aut capris accipietis eum*, quod cum fontibus veritatis etiam congruit, in quibus aliquando accipitur disjunctive. 3.) Quia in veteribus sacrificiis Christus promiscue sub agno & hirco fuit adumbratus, cumprimis Lev. XVI. in hirco emissario. 4.) Quia imagine hœdorum peccatores notantur, ideo congruit hæc figura Christo, *qui factus est pro nobis peccatum* 2 Cor. V. 21. Augustinus quæst. XLII. in Exod. *Quod cum scriptura de ove loquatur, post dicit: ab agnis & hœdis accipietis illud, (pecus') hac in re Christus significari merito accipitur, quid enim opus erat ovem vel agnum ab agnis & hœdis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solum ex justis, verum etiam ex peccatoribus propagata est. Quanquam conentur Judaei etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum pascha, & hoc etiam dictum esse putant ab agnis & hœdis accipi, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hœdis hœdum,*

An cum agno etiam hœdus fuerit accipiendus.

(*) Ministri hujus sacramenti fuerunt Levitæ. Quamvis enim in prima paschatos celebratione quilibet paterfamilias agnum mactabat, tamen constituto levitico sacerdotio ministerium hujus sacramenti cessit Levitis. 2 Paral. XXX. 16. XXXV. 11. & 12. GERHARDUS.

dum, si illud desit sumi oportere, adparet tamen in Christo rebus impletis, quid illo praecepto fuerit figuratum. Nos Lyrani sententiam suo relinquimus loco, cum probabilibus nitatur fundamentis (*), secuti vero communem interpretum expositionem statuimus, non hœdi, sed agni & quidem solius usum in hoc sacramento fuisse receptum. Sensum verborum (*ex agnis & capris accipietis eum*) hunc esse dicimus, quod agnus ille ex communi grege sit tollendus (**), fuisse enim ovium & capratum gregem promiscue conjunctum, vel ex historia Jacobi patet Gen. XXX. 32. XXXI. 38. &c.

Quare agnus adhibitus.

Quare agnus ad hoc sacrum sit electus, patebit ex typi declaratione. Rabbi Gerundensis stolide nugatur in causa ejus adsignanda. *In ea* (inquit) *lunatione aries signum cœleste magnam habet vim, siquidem facit renasci plantas terrae, ideo Dominus jubet occidi & manducari arietem juvenculum, ut ostenderet, quod filii Israel non vi illius signi, sed virtute Dei exierint ex Ægypto!* En Rabbinorum cœcitatem! Lyranus dicit, agnum magis quam aliud animal fuisse immolatum *ad detestationem idololatriae Ægyptiorum, qui Jovem colebant in specie arietis vel agni.*

§. XXXII. Exprimuntur autem certæ *qualitates* hujus agni: 1.) Quod debuerit esse תָּמִים *integer, perfectus*, nullum habens vitium (***): non sit cœcus, non scabiosus, non claudicet &c. Latinus interpres vertit, *absque macula*, quod improprie vel certe ambigue dicitur, non enim intelligitur macula ex diversicolore varietate pellis, sed ex defectu vel vitio corporis 2.) זָכָר *masculus* (****). Augustinus quæst. XLII. in

Qualitates agni paschalis.

(*) Præcipuum hujus sententiæ, a LYRANO aliisque adoptatæ, fundamentum exstat *Exod. XII. 5.* ubi in ipsa paschatos institutione primo occurrit vox generalis שֶׂה *pecus parvum*: tum memorantur pecudis parvæ species *agnus* & *hœdus*, diciturque, agnum paschalem sumendum esse מִן כְּבָשִׂים וּמִן הָעִזִּים *ex ovibus aut capris*. Suffragantur quoque huic sententiæ ebræae gentis doctores, speciatim R. MOSES MAIMONIDES in קרבן פסח *lib. IX. cap. I.* Licet vero, prout ex dictis patet, pecus paschalis vel *agnus* olim fuerit, vel *hœdus*, nullum tamen est dubium, quin pii Israëlitæ hac ipsa libertate ita usi fuerint, ut agnum, tanquam victimam Deo gratiorem frequentius obtulerint, nec hœdo usi fuerint, nisi cum agnos desiderarent. Atque hæc procul dubio ratio est, cur Christus servator, qui in complurimis locis nobis sub *agni* typo proponitur, ne semel quidem *hœdi* nomine insigniatur. Recte proinde THEODORETUS mentem legislatoris *quæst. XXIV. in Exod.* ita exposuit: *Ut qui ovem habet, eam immolet, & qui ove caret, hœdum.* Cæterum universam de *paschate* doctrinam copiose atque erudite enodavit SAMUEL BOCHARTUS, *hierozoici libr. I part. II. cap. I.* ubi, quidquid hanc in rem dici potest, prorsus exhausit. Quum vero præstantissimus iste liber in paucorum manibus sit, HERM. WITSIUS ea, quæ fuse persecutus est BOCHARTUS, in compendium misit in *œconomia fœderum Dei libr. IV. cap. IX. p. 708. seqq.* Jungi tamen merentur ex scriptoribus Anglis JO. LIGHTFOOTUS *de ministerio templi cap. XI.* ex reformatis JO. BUXTORFIUS *exercitat. philol. theolog. VI.* atque ex nostris SEB. SCHMIDIUS, theologus quondam Argentoratensis, in libro *de paschate*. Ut complures alios, a JO. ALBERT FABRICIO in *bibliograph. antiquar. cap. X. §. VI. p. 430. seqq.* recensitos, haud memoremus.

(**) Hæc verborum expositio nobis videtur valde contorta. Nulla enim adparet ratio, cur necessarium fuerit, ut *agnus* sumeretur ex grege *capris* mixta. Rectius particula ebræa מִן de *specie* horum animalium determinata accipitur, ut dudum monuerunt interpretes.

(***) Vid. *Exod. XII. 5. Lev. XXII. 19, 20, 21.* Quæ autem sint in victima vitia, distertis verbis edisserit *loc. cit. vers. 22.*

(****) Non modo agnum aut hœdum *integrum*, sed *masculum* etiam sibi popposcit Deus, quoniam masculorum caro præfertur carni fœminarum. Apud Ægyptios nonnisi masculi mactabantur, ut tradit HERODOTUS *libr. II. cap. XLI.* quod ob rationem modo adlatam factum videtur. Quin & apud gentem ebræam *masculus* opponitur vitio aliquo temerato, prout patet ex *Mal. I. 14.* JO. SPENCERUS contendit,

n Exod. *Movere potest & illa locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem, qua necessitate ita sit translatum. Ovis enim transferri debuit, quo Graecus πρόβατον habet, sed πρόβατον in graeca lingua generis neutri est, & potuerunt, quae sequuntur, omnia convenire, tanquam si diceret: pecus perfectum masculum anniculum erit vobis. Potuit enim dici latine masculum pecus, quando dicuntur masculа thura genere neutro, ovis autem masculus dici non posset, quia foeminini generis est ovis. Item ovis masculа si diceretur, esset absurdius, pecus vero si poneretur, etiam aliud intelligeretur, nec servaretur sacramentum.* 3.) בֶּן שְׁנָתוֹ *filius anni*, sive anniculus (*), LXX interpretes ἐνιαύσιον in perfecto scilicet ætatis statu. Hebræi de anno currente accipiunt & ab octava die nativitatis eum auspicantur.

Segregatio agni.

§. XXXIII. *Actiones* circa externum elementum in hoc sacramento revocari possunt ad quatuor capita, videlicet: 1.) Agni paschalis *segregationem*, 2.) ejusdem *mactationem*, 3.) *assationem* & 4.) *manducationem*, ad quam pertinet adspersio sanguinis in superliminari, ubi tamen notandum, discrimen esse inter has actiones, quia segregatio, mactatio & assatio sunt actus *praeparatorii* sive *ministeriales*, inservientes manducationi, quae est *principalis* actus sacramentalis, quemadmodum etiam in coenae dominicae mysterio fractio inservit distributioni, distributio manducationi. I.) Segregabatur agnus paschalis decima die primi mensis nisan sive abib, & custodiebatur usque ad diem decimam quartam ejusdem mensis Exod. XII. 6. Rabbini testantur, agnum segregatum toto illo quatriduo ligatum in aedibus in hypocausto ad fulcrum spondae jacuisse, ut in omnium conspectu versaretur, & domesticos de digna praeparatione ad sacramenti celebrationem, ac de Messia propter peccata nostra ligando admoneret, qua de re paulo post plura. Lyranus ex Hebraeis quatriduanam istam custodiam primo tantum paschati adcommoda-

dit, rationem, cur masculus esse debuerit agnus paschalis, exinde arcessendam esse, quoniam Aegyptii crediderint, foeminini generis victimas plus apud deos valere, quam masculini. Huic ethnicorum, Aegyptiorum praecipue superstitioni, obviam ire voluisse Deum, hancque statuisse legem, ut agnus ille masculus, quem Aegyptii alias inter numina sua praecipua coluerint, solemniter mactaretur. Vid. eiusdem opus notissimum *de legibus ebraeorum ritualibus, vol. I. libr. II. cap. IV. sect. I. p. 294.* edit. Tubingens. ubi hocce adsertum variis documentis comprobare adnititur. Verum falsum esse, quod crediderint Aegyptii, foeminini generis sacrificia plus valere apud deos, quam masculini, ex *loco* HERODOTI modo *excitato*, luculenter patet. Deinde, si vel maxime admittatur, esse nonnulla in legibus Mosaicis Aegyptiorum institutis contraria, neutiquam tamen exinde consequitur, ea κατ' ἀνθίσεσιν a Mose esse sancita. Poterant enim esse usitata Ebraeis, antequam Moses nasceretur, & fortassis ante ipsam Aegyptiacam ζωολατρείαν, ut recte monuit JO. CLERICUS in *comment.* ad *Exod. XII. 5.* Accedit & hoc, quod sanctior scriptura longe aliam rationem, cur agnus in paschate adhiberi debuerit, adferat. Haec enim plus simplici vice testatur, agnum in veteri testamento Christi servatoris figuram atque imaginem fuisse. Vid. *1 Petr. I. 18, 19. Apoc. V. 6.* Hanc ipsam vero veritatem in sacris litteris fundatam ut eo facilius enervaret SPENCERUS, institutionem paschatis ritibus Aegyptiorum oppositam fuisse, miris coniecturis omni fundamento destitutis conjicit; refutatus eapropter a MEYERO *de origine & causis festorum iudaic. cap. VII.* CLERICO *loc. cit.* SNABELIO in *diss. de agno paschali §. V.* in *amoenitatibus theolog. emblematicis & typicis p. 211.* itemque b. BUDDEO in *hist. ecclesiast. vet. testam. tom. I. p. 561. seqq.*

(*) Hac locutione non intelligi agnum, qui primum annum iam attigerit, sed qui eundem nondum superaverit, viri docti observarunt. Simplicius aliis videtur, per agnum anniculum eum intelligere, qui iam circum circa annum attigit, quo tempore ad iustam pervenire magnitudinem, gratissimumque saporem habere solet. Vid. WITSIUM *loc. cit. p. 717.*

modatam fuisse statuit. *Causa* (inquit) *hujus quatriduanæ custodiæ duplex: Una, quod filii Israel erant occupati in præparando se ad recessum ex Ægypto cum omnibus, quæ habebant, in qua præparatione requiritur magna solicitudo & distractio, & ideo ne ex hoc darent oblivioni, præceptum fuit tunc, ut acciperent per quatuor dies ante. Secunda causa fuit, ut in illis quatuor diebus viderent per experientiam, si in illo agno accepta esset aliqua macula, id est, defectus, propter quem non deberet immolari, & sic de alio providerent, ideo dicunt Hebræi, quod talis præacceptio per quatuor dies non obligabat in futurum, nec fuit observata in annis sequentibus, quia prædictæ causæ cessaverunt, quod manifeste patet de solicitudine pro exitu. Similiter etiam de cognitione maculæ, quia per adsuefactionem jugis sacrificii, quo quotidie immolabatur unus agnus sine macula mane & alius vesperi, statim de facili poterant agnoscere, si in animali accepto esset macula.* Hæc Lyranus, sed potissima causa segregationis hujus non erat omittenda, videlicet ut esset typus Christi, qua de re postea. Verisimilius igitur est ceremoniam hanc ordinariam ac perpetuam fuisse.

§. XXXIV. II.) Agnus segregatus & per quatriduum custoditus postea *mactabatur*. Exod. XII. 6. *Et mactabit eum omnis cœtus synagogæ Israel inter duas vesperas.* שְׁחָטוֹ significat proprie *expanso & ducto corpore jugulare*, ut copiose effluat sanguis (*), cognationem enim habet cum radice שָׁחָה *extendit, protraxit, expandit* &c. Inde vox germanica *geschachet*, nostris Judæis usitata. Mactandus autem erat hoc modo, ut nullum os illius frangeretur, cujus non est alia ratio, nisi typica. *Mactatio agni.*

III.) Mactationi succedebat *assatio*, quæ erat præparatio ad manducationem. Exod. XII. 9. *Ne comedatis ex eo crudum, aut coctum in aquis, sed igne assatum.* Vocem hebraicam נָא Rabbi Salomon dicit significare, *quod non satis assatum est* (**). Aben Ezra exponit pro *carne cruda seu viva*. Crudum non debebat comedi, quia natura hominis a crudæ carnis esu abhorret, quæ divina insuper lege prohibetur. Gen. IX. 4. Nec coctum, sed igne assatum (***) debebat comedi propter typum, de quo

(*) Sanguis, qui copiose effluebat, excipiendus erat pelvi, eique intingendus fasciculus hyssopi, quo adspergebantur superliminare & duo postes ædium. *Exod. XII.* 22. Rationem hujus adspersionis ipsemet Deus exponit *loc. cit. vers.* 13, 23.

(**) In Arabismo, ex quo vocem hanc vertit BOCHARTUS, supra iam nobis laudatus, נָא *naa* non modo *crudam*, sed etiam *semicoctam carnem* significat. Videntur itaque *Exod. XII.* 9. intelligi carnes leviter in craticula tostæ, observante CLERICO in *comment. ad h. l.* Quod ad rationem, ob quam caro semicocta hæc a Deo fuit vetita, attinet, in ea adsignanda non prorsus consentiunt viri docti. JO. SPENCERUS existimat, hocce præceptum oppositum esse ὠμοφαγίαις *crudæ carnis comestionibus* in nonnullis ethnicorum sacris usitatis. Verum CLERICUS, quem modo excitavimus, confutata hac SPENCERI sententia, aliam huius interdicti quærit rationem, eandemque in eo præcepto, quo Judæi omnem agnum vel hœdum absumere, aut, quæ superfutura erant, comburere iubentur, inveniisse sibi videtur. Caro enim probe cocta facile absumitur, semicocta pars maxima hæret ossibus. Rectius ii, qui theologiam, quam vocant, typicam diligentius excoluere, in hac ipsa lege mysterium latuisse contendunt. De quo ipse GERHARDUS infra copiose disserit.

(***) Ita vero assabatur agnus, ut ligna agnum penetrantia formam crucis Christi repræsentaverint, siquidem lignum unum ab inferioribus agni partibus ad caput usque se extendebat; aliud vero transversum armos ipsos sustinebat. Testem huius rei advocamus JUSTINUM *martyrem*, Sichemis in terra sancta natum, rituumque iudaicorum peritissimum, in *dialogo cum Tryphone Judæo*, *pag. 218.* edit. Londinensis. Idem ex iudaicæ gentis magistris confirmat MAIMONIDES in tractatu supra iam adlegato *de paschate cap. VIII.* §. X. Conferenda, quæ ex christiani cœtus doctoribus hanc in rem scripserunt EDZARDUS ad *avoda sara cap. II. p. 234.* SALMASIUS in epistola *de cruce p. 244.* BOCHARTUS *libr.*

quo postea. Hæc assatio agni procul dubio domi peracta fuit, sed quod ad mactationem attinet, variant sententiæ. In primo quidem paschate, quod in Ægypto celebratum, antequam tabernaculum, & postea templum exstrueretur, certum est, mactationem itidem domi a patribus familias peractam esse. Exod. XII. 6. *Macthabit eum omnis cœtus congregationis Israel.* Sed de posterioribus temporibus sententiæ variant. Josephus lib. VII. de bell. Jud. cap. XVII. innuere videtur, posterioribus seculis hostias paschales a sacerdotibus fuisse mactatas vel certe numeratas. Philo libr. III. De vita Mosis illud negat, inquiens, quod *pro se quisque hostiam suis manibus macthit, & pro se quisque gerat sacerdotem.* Sed ex 2 Par. XXXV. 11. haud obscure colligitur, post occupatam terram Canaan non per domos jugulatos agnos, ut in Ægypto factum erat, sed in templo a Levitis, domi vero postea illi agni assabantur & manducabantur.

Et manducatio. §. XXXV. IV.) *Manducationis* circumstantiæ hæ sunt. I.) Quilibet paterfamilias cum suis domesticis peculiarem agnum die decima mensis primi segregatum & decima quinta mactatum & postea assatum comedebat, quod si domus erat minor, id est, si pauciores domestici, quam ut essent consumendo agno sufficientes, accersebatur vicinus. Exod. XII. 3. *Accipiet sibi unus quisque agnum per domum patrum, agnum per domum.* (Universus populus Israel in XII. tribus divisus erat, quæ divisæ erant in patrias aut familias, deinde familiæ in domos, in familiis & domibus quidam erant præcipui, quos vocabant patres, ergo juxta familias & domos agnum jubentur manducare) v. 4. *Et si minor fuerit domus sive familia, quam ut agnum comedere possit, accipiet vicinum suum proximum domui suae, pro numero animarum unum quemque secundum edere ejus numerabitis super agnum;* id est, tot vicinos sibi adjunget, donec numerus hominum sufficere videbitur ad absumendum agnum. Josephus de bello jud. libr. XVII. cap. VII. *per singula contubernia non pauciora quam decem virorum fiunt, solum enim epulari non licet, multi etiam vicini conveniunt.* Monebat hæc ceremonia de φιλαδελφίᾳ ac mutua dilectione, quæ inter συσσίτους hujus sacramenti vigere debeat. 2.) Manducabatur cum panibus azymis nullo fermento infectis, sed dulcibus, quorum azymorum usus per integrum septiduum (*) postea continuabatur. v. 15. *Septem diebus infermentata comederitis &c.* Id quod aliquoties in sequentibus inculcatur. (In deserto panis azymi loco usurparunt manna panem cœlitus datum. Num. IX. 5.) Memoriale hoc fuit, quod tanta cum festinatione majores ipsorum ex Ægypto exierint, ut ferrent conspersiones sive pastas suas in vestimentis ligatas, antequam fermentarentur. v. 34 de typo dicetur postea, 3.) Addebantur מְרֹרִים *amaritudines*, v. 8. herbæ amaræ, contusæ, *bittere Salsen*, LXX. interpretes ἐπὶ πικρίδων, quibus admonebantur de amara servitute, quam in Ægypto sustinuerant, propter quam in amaritiem animi sæpius inciderant; radix מָרַר *exacerbatus, contristatus fuit*, tristitiam ex miseria contraxit. Quidam vertunt *lactuces agrestes*, quod non probatur omnibus, quia *lactucae non sunt amarae, cum a medicis propter nutrimentum edi praecipiantur, amara autem non nutriunt.* Fagius in cap. 12. paraph. Chald. Exod. IV. Manducandum erat *caput cum pedibus & intestinis* v. 9. id est, totum & integrum,

mum pro festis haberi voluit Deus; quia ut primo ex servitute Ægyptiaca in libertatem fuerant asserti Israëlitæ, ita septimo Pharaonem cum omnibus copiis suis mare Erythræum absorpserat. Cuius rei memoriæ in populo suo perennandæ hoc institutum Dei inserviit, observante WITSIO in *œcon. fœd. libr. IV. cap. VIII. §. XXVII. p. 720.*

libr. II. hierozoici cap. 6. DEYLINGIUS in *observat. sacr. part. III. p. 258.* aliique auctores a b. WOLFIO in *curis phil. & crit.* ad *1 Cor. V. 7.* excitati.

(*) Quum e septem illis diebus quinque intermedii fuerint ἐξαίσιμοι, primum & ulti-

grum, non dimembratum erat assandum, & postea manducandum. Hebraice: *Caput ejus super genua ejus & super interius ejus*, id est, cum cruribus & intestinis ejus. Nec quidquam ex eo relinquendum usque mane (*), si quid vero relictum fuerat, id igne erat comburendum v. 10. 5.) Erat & peculiaris manducantium habitus v. 11. *Sic comedetis eum, sint lumbi vestri praecincti*, (tanquam itineri adcinctorum: Orientales enim populi longis vestibus utentes, cingulis se constringebant iter aliquod vel alia negotia adgressuri) *sint calceamenta vestra in pedibus vestris* (**), *& baculus vester in manu vestra*, (qui solet esse habitus eorum, qui jam jam iter ingressuri) Admonebantur hac ceremonia exitus ex Ægypto proxime instantis, cujus perpetuum memoriale in hoc sacramento posteris erat propositum. Quo etiam pertinet, quod comedebant *festinanter* בְּחִפָּזוֹן *in festinatione*, radix חפז *cum stupore & pavore fugit*, vers. 11. *Comedetis festinanter*, ratio additur פֶּסַח הוּא לַיהוָה *transitus ipse Domini*, ut sit sensus, ideo festinandum esse, quia parum temporis sit superfuturum Domino per Ægyptum transeunte, ipsosque ex eo educturo. Nec tamen improbamus eorum interpretationem, qui hæc verba non per αἰτιολογίαν cum superioribus conjungunt, sed esse superiorum omnium velut συμπέρασμα quoddam statuunt. *Hoc est pesach Domini*, hoc est, hic ritus mactandi & manducandi agnum est sacrum pascha, sancta festivitas Domini, quo collimat paraph. Chald. *Est phase coram Domino.* Quod vero nocturnus Zvvinglii monitor in subs. euchar. *metonymiam* sacramentalem ex hoc loco exsculpere voluit, id quam sit a textu alienum, alibi ostendetur. Cœterum cum Christus in ultima cœna cum discipulis suis pascha celebrans discubuisse dicatur, Matth. XXVI. 20. et vero cum habitu manducantium divinitus præcepto id videatur pugnare, ideo Tremellius & Beza in cap. 26. Matth. uti & Bucanus in loc. commun. loc. XLVI. pag. 587. statuunt Exod. XII. præcipi, qua ratione exituri ex Ægypto prima illa vice pascha comedere debeant, paulo ante, quam ex Ægypto exeant & iter ingrediantur, quia ita exigebat illius temporis necessitas, sed in lege deinde, ubi præcipitur, ut ceremonia illa agni paschalis quotannis renovetur, isthæc non addi, atque inde omnes Hebræos tum antiquos, tum recentes summo consensu dicere, quod mandatum illud de induendis calceis, cingendis lumbis & sumendis baculis & cum festinatione comedendo agno, non extendat se ad generationes secuturas, sed tantum fuerit illius noctis, qua egressuri erant ex Ægypto, imo antiquissimam esse apud Judæos traditionem in talmud tract. de paschate commemoratam, ut manducaturi pascha in signum libertatis adeptæ discumberent. Hæc illi. Sed enim cum Dominus Num. IX. 3. præcipiens celebrationem paschatos altero post egressum anno moneat, *ut faciant juxta omnia statuta ejus*, cumque spiritualis illarum ceremoniarum significatio fuerit perpetua, ideo probabilius videtur, in annua paschatis celebratione ceremonias illas non minus quam in primo paschate fuisse usurpatas (***). Verisimilius igitur est, quod alii ex

(*) Idem, iuxta præscriptum divinum, quod *Exod. XVI. 19. Lev. VII. 15. XXII. 30.* legitur, in omnibus sacris conviviis debuit observari, excepta sola carne sacrificii votivi ac voluntarii. Vid. *Lev. VII. 16, 17.* Rationem huius legis nonnulli hanc fuisse arbitrantur, ne cibi sacri corrumperentur, inque profanos usus cederent. Vid. WITSIUM *loc. cit.* §. *XXIX.*

(**) Valde probabile est, Israëlitas, intolerabili servitute oppressos, in Ægypto ut plurimum fuisse discalceatos, præsertim cum ipsi Ægyptii vulgo sine calceis incesserint, atque ita educati fuerint, teste DIODORO SICULO *libr. I. p. 12.* ubi & observat, hanc discalceationem *ob commodam locorum temperiem* omnino locum habere potuisse. Ast cum Israëlitæ in eo iam essent, ut longum, asperum & senticosum iter adgrederentur, necessarium esse duxit benignissimum numen, ut de calceis populo suo prospiceretur.

(***) Nonnullas ex istis cærimoniis, in annua paschatis celebratione non minus, quam in primo paschate usurpatas atque adeo *perpetuas* fuisse,

ex Rabbinis scribunt, in manducatione agni paschalis duplicem fuisse sacri convivii actum, primo *sacramentalem*, quo cibus agni paschalis non satietatis sed religionis gratia sumebatur a denis vel etiam vicenis, atque hunc ritum a stantibus adcinctis & calceatis fuisse peractum: alterum vero fuisse *convivium* adpositis ad famem explendam aliis cibis, atque in eo discubuisse.

Adsperſio ſanguinis in ſuperliminari & poſtibus.

§. XXXVI. Neque vero solum modo carnes agni paschalis igne assatas manducari oportebat, sed & sanguine illius superliminaria & postes ædium signari, quæ sanguinis *adsperſio*. v. 7. *Accipient de ſanguine & ponent ſuper poſtes ambos & in ſuperliminari aedium, in quibus comedent eum.* Causa hujus ritus exponitur v. 12. *Tranſibo per terram Ægypti nocte iſta, & percutiam omnem primogenitum ab homine usque ad beſtiam. v. 13. Et erit ſanguis ille vobis in ſignum in domibus, in quibus eritis, cumque videro ſanguinem, praeteribo vos & non erit in vobis plaga ad perditionem* (*). Porro adpersio illa sive signatio fiebat fasciculo hyssopi. v. 22. *Accipietis faſciculum hyſſopi, & intingetis in ſanguine, qui erit in vaſe, & adplicabitis ſuperliminari, & ambobus poſtibus de ſanguine in vaſe: vos vero non egredietur quisque ex oſtio domus ſuae usque ad mane.* Hebræi testantur, fasciculum il-

fuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Huc referimus agni paschalis immolationem, assationem, manducationem cum azymis herbisque amaris, absque ulla ossium fractione &c. Alii tamen ritus *Exod. XII.* a Deo præscripti, ita fuerunt comparati, ut non alibi, quam in Ægypto, ex intentione divina, observari debuerint. Ita verb. grat. lex illa de non egrediendo ex ædibus, procul dubio erat temporaria. Id enim in Ægypto fieri voluit Deus, ne Israëlitæ inciderent in angelum percussorem. Qua ratione cessante, cessavit ipsa lex. Hinc Christus eiusdemque apostoli, ea ipsa nocte, qua pascha celebraverant, in montem Oliveti se contulerunt, prout ipsemet GERHARDUS sub finem §. *XXXVI.* recte observavit. Vid. *Matth. XXVI. 30.* & *Joann. XVIII.* Idem de aliis quibusdam ritibus pronunciandum, qui pariter semel duntaxat, neque alibi quam in Ægypto fuerunt usurpati. Huc referenda videtur *I*) lex de superliminari & postibus sanguine agni paschalis adspergendis. Sapientissimus enim, qui eandem dedit, legislator eam mandati sui adiunxit rationem, quæ solam Ægyptum respexit *Exod. XII. 12, 13.* Manifestum quoque est ex 2 *Chron. XXX. 15, 16.* & *cap. XXXV. 5, 6, 10, 11.* eo tempore, quo Judæam inhabitarunt Israëlitæ, agnos in atrio templi fuisse mactatos, ibidemque eorum sanguinem fusum. Nec *II*) dubitaverim huc referre habitum manducantium pascha divinitus præceptum. Neque enim aliam ob rationem Israëlitæ pascha, accincti ac calceati, cum baculo in manu & cum festinatione quadam, comedere tenebantur, quam quod post pauculas horas iter idque longum atque molestum suscepturi erant. Emenso autem isto itinere, quieti ac discincti, nec stantes, nec sedentes, nec festinanter, sed pacate pascha comederunt Judæi. Luculenter id patet ex ipsius Christi servatoris exemplo, qui in strato cœnaculo, cum discipulis suis discumbens pascha manducavit. Denique *III*) in hance classem referenda quoque videtur lex de pecude paschali quatriduo ante mactationem seponenda. Hanc enim in Ægypto tantum fieri voluit Deus, ne forte Israëlitis inter gentes infensas commorantibus deessent agni, si serius iis conquirendis essent intenti. Quæ vero ratio in Judæa prorsus cessavit, siquidem Judæi ingentem agnorum copiam in templo Hierosolymitano venum exponere consueverant, *Joan. II. 13, 14.* Hinc plerique Judæorum, ii cumprimis, qui ab Hierosolyma longius aberant, non nisi festi παρασκευὴ vel ad summum προπαρασκευὴ in urbem veniebant, atque tum demum de agnis sibi prospiciebant. Quin ipsi sanctissimi servatoris discipuli primo demum azymorum die magistrum, quum pascha immolandum foret, rogabant, *ubi vis, ut tibi epulandum paſcha præparatum eamus Marc. XIV. 12.* Unde sponte consequitur, eos quatriduo ante agnum paschalem sibi haud sepositisse.

(*) Sicut sanguis agni non fuit pedibus conculcatus vel in sterquilinium projectus, sed in pelvi acceptus & adservatus, ut postes & liminaria ædium eo possent illiniri: sic multo minus Christi sanguinem oportet pedibus conculcare, sed sacrum & pretiosum habere, ut postes oris & cordis eo illiniantur. GERHARDUS.

lum factum esse ex tribus caulibus conjunctis, quod ad mysterium sacrosanctæ Trinitatis accommodari potest. Quare sanguis agni non fuerit jussus bibi aut manducari, sed postibus tantummodo illiniri? otiose fortassis quæritur. Posset tamen dici, quod sanguinem animalium edere vel bibere fuerit prohibitum, Gen. IX. 4. quod tam stricte a Judæis observatum fuit, ut in gratiam infirmiorum id aliquandiu a gentibus ad Christum conversis in novo testam. observari ab apostolis fuerit sancitum. Act. XV. 20. Adde quod illitio ista sanguinis in postibus & superliminari vi divinæ institutionis externum aliquod signum esse debebat, utique ergo non manducandus aut bibendus, sed ædibus illinendus fuit. Sunt, qui statuunt, ceremoniam illam de postibus & superliminari sanguine adspergendis ad primi paschatis celebrationem atque unica in illam noctem, qua egressus est ex Ægypto populus, tantum pertinuisse, neque in anniversaria paschatis solennitate fuisse iteratam. Sed cum illa adspersio non minus sit actus sacramentalis, quam manducatio carnium agni, cum post præceptum de illitione sanguinis immediate sequatur: v. 24. *Observabitis rem istam pro statuto in seculum;* cum Num. IX. 3. pascha fieri jubeatur *juxta omnes ritus suos & juxta omnes ceremonias suas:* præsertim vero cum illustris sit figura sanguinis Christi in eucharistia cum vino bibendi una cum corpore Christi cum pane benedicto manducando, ideo verisimilius est, eam quotannis una cum reliquis ceremoniis fuisse iteratam. Pericopen illam de non egrediendo nocte illa ex ædibus sanguine adspersis temporariam fuisse, ex eo videtur argui, quod Christus paschali epulo cum discipulis instituto trans torrentem Cydron Hierosolymis est egressus. Joh. XVIII. 1.

(*) Rectius alii ניסן *Nisan* a נס *vexillum* deducunt, ut proinde a bellicis signis, vel *vexillis*, quæ illo mense primum in campum proferuntur, hicce mensis suam acceperit denominationem. Hoc ipsum enim tempus, secundum ebrææ gentis doctores designatur 2 *Sam. XI. 1. Et factum est anno vertente, quo tempore reges ad bella procedere solent.* Eandem ob rationem duo priores verni menses Bithynis dicti sunt Στρατιὼς & Ἄρεως, uti Romanis *Martius*, a *Marte.*

Tempus institutionis hujus sacramenti.

§. XXXVII. *Tempus* hujus sacramenti itidem tripliciter ut in circumcisione considerandum, respectu *institutionis, administrationis & durationis.* Institutio facta est anno mundi 2454. annis ante natum Christum 1517. ut hac ratione a prima hujus sacramenti institutione & administratione usque ad ultimum paschale epulum, quod Christus cum apostolis celebravit, præterierint anni 1550. Institutionem hujus sacramenti præcesserunt Mosis coram Pharaone prodigia & septem plagæ Ægypti, eandem immediate secutus Israelitarum ex Ægypto exitus, quippe cujus perpetuum μνημόσυνον inter cæteros fines agni paschalis festivitas esse debebat. Tempus *administrationis* juxta diversas actiones in hoc sacro requisitas variat: I.) *Segregatio agni* fiebat die decimo mensis nisan, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet. Exod. XII. 3. *In decima die mensis hujus accipiet sibi unusquisque agnum per domum*, Dicitur autem hic mensis chaldaico nomine נִיסָן *Nisan* a *fugiendo*, quod eo mense profugerint Israelitæ ex Ægypto (*). Hebræis dicitur אָבִיב (Abib est *spica matures-cens*, spica cum calamo, quia fruges apud Judæos eo tempore matures-cunt & demetuntur (**): initium accipit a novilunio, quod proxime præcedit aut sequitur, aut incidit in æquinoctium vernum seu ingressum solis in arietem, quo tempore sol vertici eorum, qui palæstinam incolunt, ferme tam propinquus est, quam nostro solstitii tempore) Macedonibus *Chanthicus*, Ægyptiis *Pharmuti.* Ac statuitur primus mensis sive initium anni v. 2. *Mensis iste erit vobis caput mensium, primus ipse vobis in mensibus anni,*

Tempus administrationis, utpote 1.) Segregationis.

(**) Huc pertinet locus *Exod. IX. 31. nam hordeum ea tempestate jam erat* אבִיב *spicatum.* Ipse itaque mensis, qui ex parte nostro *Martio* & *Aprili* respondet, dictus fuit אביב *Abib*, quia hocce mense hordeum *spicas* emittebat. Neque enim messis orientalium ex messe nostrarum regionum æstimanda est.

anni, cum quo minime pugnat, quod תִּשְׁרִי *Tisri* (mensis septimus in ordine a *nisan*, in quo fit vindemia & ex uvis תִּירוֹשׁ *mustum* exprimitur, nostro Septembri maxima ex parte respondens) Lev. XXV. 8. initium anni statuitur. Habuerunt enim Hebræi duplicem annum, *politicum & ecclesiasticum. Politici* רֹאשׁ initium est æquinoctium autumnale, sub quod existimant mundum a Deo fuisse creatum in תִּשְׁרִי. *Ecclesiastici* seu sacri anni רֹאשׁ initium est in novilunio circa æquinoctium vernum, sub quod ex Ægypto sunt egressi in נִיסָן. *Annus naturalis* (dicunt Rabbini) *pertinet ad initium creati mundi & ad terrae sabbatum ac proventus aliasque res in foro. Sacer vero ad festorum in sacris rationem.* Josephus lib. I. antiquit. c. 3. juxta græc. distinct. *Moses nisan, qui est xanthicus, mensem primum in suis festis ordinavit, quod per hunc Hebraeos ex Ægypto eduxisset: eundem etiam omnium, quae ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: alioquin, quod ad nundinationes rerum venalium reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit.* Animadvertitur etiam quadruplex anni principium: 1.) initium anni mensium, quod est primus *Nisan*: 2.) verum anni initium, a quo numerant creationem, primus *Thisri*: 3) initium anni quoad arbores & fructus 15. Decembris, quo arbores succum suum recipiunt: 4.) regum, in quo numerant ab anno, in quo rex fuit constitutus 1 Reg. XX. &c. Vide Schindlerum in lexico in voce שנה.

2.) *Mactationis.*

§. XXXVIII. II. *Mactatio* fiebat die decima quarta mensis primi. Exod. XII. 6. *Erit vobis in custodiam usque ad decimum quartum diem mensis hujus, & immolabit eum universa congregatio coetus Israel.* Et quia paschatis celebrationi septiduana azymorum comestio erat conjuncta, ideo additur v. 18. *In die decima quarta mensis in vespera comedetis infermentata.* Sed quomodo cum his congruit, quod Lev. XXIII. 6. dicitur: *In die decima quinta mensis hujus solennitas infermentatorum?* Resp. observandum, quod duplici ratione diei initium apud Judæos consideretur. Secundum legis dispositionem dies festi incipiebant a vespera, Lev. XXIII. 24. *a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Sed juxta computationem in vita communi dies naturalis incipiebat a tempore matutino, ita ut vespera sequens esset pars diei praecedentis. Quatenus ergo vespera diei decimae quartae juxta legis dispositionem pertinet ad diem decimam quintam, eatenus & paschalis celebratio & solennitas azymorum recte dicitur incidere in diem decimam quintam. Expurgandæ erant ædes a fermento eadem die, qua agnus comedebatur, unde evangelistæ sine discrimine diem azymorum pro paschate ponunt; Marc. XIV. 1. Luc. XXII. 1. &c. quatenus vero juxta communem calculum vespera illa, in qua macta-runt agnum paschalem & cœperunt edere azyma, refertur ad diem præcedentem, eatenus dicitur dies decima quarta primus azymorum. Hoc sensu evangelistæ dicunt, Christum primo die azymorum, quo pascha immolari oportebat, misisse Petrum & Johannem, ut pararent pascha. Matth. XXVI 17. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7. Quod certe non de vespera diei decimæ quartæ, sed de principio vel certe medio ejusdem intelligendum. Augustinus ad Casulan. epist. LXXXVI. *Sexta sabbathi, qui dies passionis Christi est manifestius, primus dies azymorum fuit a vespera incipiens, sed Matthaeus evangelista quintam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum.*

§. XXXIX. Quæritur hoc loco: an Christus die divinitus constituto cum discipulis suis manducarit pascha (*)? quæstionis occasio inde

An Christus die divinitus constituto manducarit Pascha?

(*) §. Multa de hocce argumento inter viros eruditos fuerunt disputata. Plerique statuunt, Christum eodem die atque eadem hora cum Judæis agnum paschalem comedisse. Subscripserunt huic sententiæ CÆSAR BARONIUS, JULIUS BARTOLOCCIUS, JO. FRISCHMUTHUS,

inde nascitur, quod Christus pridie ejus diei celebrarit pascha, qua Judæi postea suum; testatur enim Johannes, XVIII. 28. *Judaeos non fuisse ingressos praetorium Pilati, ne contaminarentur,*

MUTHUS, SAM. BOCHARTUS, ANT. BYNÆUS, ADRIANUS RELANDUS, IGNAT. HYACINTH. AMAT DE GRAVESON, ALB. JOACH. DE KRACKEWIZ, GEORG. JEREM. HOFMANN, JO. REINHARD. RUSIUS, SIGMUND JAC. BAUMGARTEN, JO. GEORG. WALCHIUS, ac complures alii, quos nominare supersedemus. Sunt vero alii, qui admittunt quidem, Christum eodem die cum Judæis pascha celebrasse; eadem vero diei parte, eademque hora solemnia ista celebrasse negant, sibique persuadent, quod Christus die incipiente; Judæi autem vesperi agnum paschalem comederint. Horum partibus se adsociarunt JO. HORNBEKIUS, & LUDOV. FERRANDUS, refutati ab HERM. WITSIO in *meletematib. Leidensib. p. 421.* Discedunt ab his alii, statuentes, Christum anticipasse tempus legale, licet in eo inter se differant, *quantum temporis* a Christo præreptum sit, siquidem nonnulli uno, alii autem duobus diebus Christum in edendo agno paschali Judæos antevertisse, arbitrantur, diversasque causas in medium adferunt, cur non eodem tempore cum Judæis pascha comederit. In hancce classem e veteribus referendus est EPIPHANIUS, qui contendit, ultimam Christi cœnam paschalem iudaica duobus diebus fuisse priorem. Eandem sententiam e nostris SEB. SCHMIDIUS & JO. LUD. SEIFFERHELDUS in peculiari *programmate* propugnare annisi sunt. GERHARDUS vero noster supra §. *XXXIX.* itemque in *harmon. evangel. cap. CLXVI.* cum multis aliis, quos nominare nolumus, statuit, Christum uno die prius, quam Judæi, pascha celebrasse.

Quem ad modum autem ii, quos modo laudavimus, viri docti in eo prorsus consentiunt, Christum in ultima cœna agnum paschalem comedisse, licet de tempore dissentiant; ita non desunt alii, qui servatorem in cœna ista agno paschali usum esse, plane inficiantur, licet diversa id faciant ratione. Nonnulli enim contendunt, Christum *pascha* duntaxat *commemorativum* celebrasse, ita ut non agnum, sed tantum panem azymum cum herois amaris comederit, ad recolendam servitutis Ægyptiacæ memoriam; ita sentiunt HUGO GROTIUS *annotat. ad Matth. XXVI. 18.* & HENR. HAMMONDUS *observ. ad Marc. XIV. 12. p. 262.* Alii vero ne hoc quidem admittunt, sed sibi aliisque persuadere volunt, nullum plane pascha a Christo peractum esse, sed servatorem vulgarem tantum atque ordinariam cœnam cum discipulis suis habuisse. Hanc posteriorem sententiam propugnarunt ex Gallis NICOL. TOINARDUS, BERNH. LAMY, NANUS TILLEMONTIUS, RENATUS JOSEPH. TOURNEMINIUS, Jesuita doctissimus, atque AUGUST. CALMETUS; quibus ex nostris SAL. DEYLINGIUS *miscell. Lipsiens. tom. II. p. 533. seqq.* GEORG. LUDOV. OEDERUS, in *syntagm. observat. sacrar. p. 750.* GUSTAV. GEORG. ZELTNERUS, & GOTTLOB. FRID. GUDIUS suum adiecerunt calculum. Quod ad GUDIUM, quem modo laudavimus, attinet, is *demonstrationem hermeneuticam, quod Christus in cœna sua σαυρωτὸν agnum paschalem non comederit*, Lipsiæ *MDCCXXXIII. 4.* luci expositi publicæ. Sed refutatus fuit a CONRADO IKENIO in peculiari dissertatione lectu dignissima, *qua contra Gudium demonstratur, cœnam Christi σαυρώσιμον vere paschalem fuisse*, Bremæ *MDCCXLII.* edita.

In tanto virorum eruditissimorum de hoc argumento dissensu, ubi ardua fere res est, quidquam de ista definire, satius alii duxerunt, nihil heic determinare, sed rem in medio relinquere. Ita censuerunt duumviri doctissimi, THOMAS ITTIGIUS, in *sel. capp. hist. eccles. sec. I. p. 405, 406.* & b. cancell. MOSHEMIUS, qui in *notis* ad CUDWORTHI tract. *de vera notione cœnæ dominicæ*, quæ eiusdem *systemati intellectuali* subiuncta est, *p. 22.* mira modestia scripsit: *ego longe minorem & ingenio & doctrina me esse arbitror, quam ut iudicis hic partes sustinere queam.*

Nos quidem in *historia* nostra *ecclesiastica* nuper typis exscripta, *part. I. p. 230. seqq.* in not. in communi interpretum sententia tantisper adquievimus, qui statuunt, Christum eodem tempore cum Judæis sum pascha manducasse. Verum, postquam CONR. IKENII dissertationes de hoc argumento editas, quarum prima *MDCCXXXV.* reliquæ *MDCCXXXIX.* lucem adspexerunt publicam, adcuratius perlegimus, tam graves nobis visæ sunt eiusdem rationes, ut derelicta sententia priore, iis iam

nostrum

narentur, sed ut manducarent pascha, & cap. XIX. 14. diem illam, in qua Christus passus, & in cujus initio pascha cum discipulis manducavit, vocat *parasceven paschae*. Græci dicunt, Christum præveniſſe uno die celebrationem agni paschalis, cum sit dominus legis, sed cum Christus alias legem quam diligentissime observarit, cumprimis vero cum Lucas expresse dicat c. XXII. 7. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha*, significans legitimam fuisse celebrationem agni paschalis eo die, quo Christus eam observavit, ideo hæc opinio Græcorum non est verisimilis. Quidam ut Gerson in hist. pass. & alii, in ea sunt sententia, Judæos eadem die cum Christo agnum paschalem comediſſe, illi locum Johannis cap. XVIII. accipiunt de panibus azymis per integrum septiduum comedendis, alterum locum cap. XIX. de parasceve accipiunt, de die præparatoria ad sabbatum incidente in ipsas ferias paschales: sed cum hoc sit valde coactum & a textu alienum, ideo commodior est Chemnitii sententia, quod Christus tempore divinitus in Mose præscripto manducarit pascha, Judæi vero postridie. Quare vero discesserunt Judæi a divina constitutione? Latini dicunt, ipsos distuliſte pascha illud in diem alterum aviditate occidendi Christum, sed hoc vix videntur fuisse ausi in tanta multitudine populi, qui ex omnibus locis ad pascha celebrandum confluxerat; dicendum igitur id factum esse secundum traditionem majorum. Etenim Rupertus in Matthæum commemorat, *Judæos ex traditione patrum nunquam duo festa, in quibus nihil operis facere praeceptum fuit, continue celebrare solitos, quod difficile esset mortuorum corpora aut cocta olera in tertium usque diem servare in regione calida, atque ob id paschae festivitatem, quotiescunque incidit in feriam sextam, quemadmodum evenit eodem tempore, quo Dominus est passus, distuliſſe in diem sequentem, sabbatum scilicet*, ideo Johannes dicit cap. XIX. 31. *quod magnus fuerit dies ille, sabbatum* nimirum, quia in eo & paschatos & sabbati celebritas juxta observationem Judæorum conveniebat. Vide Paulum Burgenſem in annotat. adjunctis comment. Lyrani, ubi prolixe persequitur rationem, qua factum fuerit, ut Christus pridie, quam Judæi, pascha suum celebraret, adducit ex libro *seder olam* traditionem a tempore restituti templi observari solitam, quod quandocunque paschalis festivitas incidit in feriam sextam, tunc translata fuerit in diem sabbati sequentem. Sed quia traditio hæc erat legi divinæ contraria, ideo Christus tempore legitimo divinitus constituto pascha cum discipulis celebrare voluit, *tempus meum prope est*, inquit, *ut faciam pascha cum discipulis* Matth. XXVI. 18. q. d. quidquid alii, traditiones secuti, de tempore paschatis statuant, mihi convenit, legem Patris sequi, quod memorabile exemplum est, quid de traditionibus extra & contra verbum scriptum magna specie venditatis sit statuendum. Arqui si Christus uno die prius, quam Judæi, celebravit pascha, quomodo factum, ut Judæi, qui etiam falsum testimonium quæsiverunt contra Christum, accusationem hanc prætermiserint, quam certe specioſe urgere potuissent? Dicitur enim in libro seder olam; *Sic statuerunt magistri nostri judices Sanhedrin magni nominis in seculo: In domo sanctuarii secunda, cum exstructa esset & consummata, tunc adparuit solium igneum perfectissimum, super quod sedebat rex mundi sublimis valde stans inter porticum, & acceperunt coronam, adprehenderuntque coronam, adprehenderuntque sigillum reconditum & sanxerunt, ordi-*

noſtrum adiiciamus calculum, qui statuunt, Christum servatorem eum discipulis pascha suum *Sadducaeum* integro die citius, quam *pharisaeos*, & nihilo tamen minus, æque ac illos, die XIV. Nisan comediſſe cum *Karaeis*. Licet enim fixus fuerit dies huic festo destinatus, evenire tamen potuit, ut Judæorum quidam die uno citius reliquis pascha celebrarent, si scilicet novilunium mensis hujus diversis diebus constituiſſent, quod discrimen omnium facillime inter *Karaeos*, quibus addictior erat Christus, & *Rabbanitas* contingere potuit, prout laudatiſs. vir *loc. cit.* uberius comprobavit.

*ordinaverunt*que *statutum perpetuum*, *& traditum est in manus Rabbi Eliezer, qui reliquis omnibus major erat, & is ordinavit diem sortium non observari secundo, quarto, septimo hebdomadae die, neque paschа secundo, quarto, sexto, neque diem expiationis primo, tertio, sexto, in aeternum.* Potuissent ergo Judæi magnam adcusationi suæ Christo intentatæ speciem & colorem inducere, quod contra divinam illam revelationem & sanctam patrum traditionem alieno tempore pascha celebrassêt, neque id semel, sed quatuor vicibus, verisimile enim est, Christum semper eodem die divinitus constituto pascha celebrasse. Dicit enim ad discipulos Matth. XXVI. 2. *Scitis, quod post biduum pascha fiet*, id est, jam ante ex me audistis, Judæos propter traditiones suorum majorum in tempore paschatis a legis divinæ regula discessisse, sed nobis incumbit legis præscriptum sequi, ideo post biduum pascha celebrandum erit. *Resp.* non publice in templo, sed domi apud quendam patremfamilias Christus celebravit pascha, ut ex historia evangelica manifeste constat: solus igitur paterfamilias & ejus domestici una cum discipulis Christi conscii fuerunt anticipati temporis in paschatis celebratione, nec dubium, quin Christus causam illius exposuerit, propter quam neglectis Judæorum traditionibus tempore divinitus in lege præscripto pascha manducet. Quod si omnino Judas principibus sacerdotum, scribis & pharisæis hoc Christi factum manifestavit, illi tamen non ausi fuerunt publice hoc nomine Christum adcusare, metuendum enim erat, ne iterum audirent, quod in simili negotio ex ipso audierant; Matth. XV. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Adde, quod verisimile sit, in tot sectis & dissensionibus populi diversitatem quandam in paschatis die apud Judæos occurrisse, quibusdam legis præscriptum, quibusdam vero traditiones majorum sequentibus, ut etiam hanc ob causam non fuerint ausi Christo ullum crimen intendere.

§. XL. Porro mactari jubetur agnus paschalis *inter duas vesperas* בֵּין הָעַרְבָּיִם (*), hoc est post solis occasum ante noctis tenebras. R. Dav. Kimchi vesperæ initium sumit a meridie, quando sol declinat ad occidentem, & putat agnum mactandum a tempore illo, quod est a meridie ad solis occasum. Rectius Aben Ezra in hoc loco vesperam aliam dicit esse solis, aliam luminis. *Una vespera* (ait) *est solis, tempus, quo occidit sol, & absorbetur super terram, vespera secunda est lux, splendor sive irradiatio illa, quae post occasum ejus in nubibus aliquamdiu adparet, haec durat ad horam unam & partem tertiam horae* (**), Josephus lib. VII. de bell. Jud. c. 17. a nona hora usque ad undecimam agnos paschales mactari solitos scribit. Ad hanc vesperæ distinctionem referri potest, quod Matth. XIV. 15. dicitur: *Vespere facto, discipuli accesserunt ad Christum, & tamen* v. 23. subjungitur, quod Christus vespere facto *solus* fuerit. Exod. XVI. 12. *inter duas vesperas*

Quid per duas vesperas intelligatur?

(*) Quid sibi velint verba בין הערבים *inter duas vesperas*, quæ *Exod. XII. 6.* leguntur, ipse scriptor sacer nos condocet, qui *Deuter. XVI. pascha*, inquit, *immolabitis* בערב כבוא השמש *vespera, circa occasum solis.* Per *vesperam* vero intelligunt Judæi sex ultimas πυκτημέρου horas, quibus sol *occasui propior* erat, quam ortui. Proinde innuitur heic ipatium diei omne, quod ab hora sexta, id est, meridie protenditur usque ad occasum solis. Vid. BOCHARTUM *hieroz. part. II. libr. I. cap. L.* ubi has aliasque paschatis circumstantias subtiliter persequitur. Conferenda, quæ b. BUDDEUS de tempore diei, quo mactandus comedendusque fuerit agnus paschalis, differuit in *hist. eccleſiast. vet. testam. tom. I. p. 567. seqq.*

(**) Hanc ABEN ESRÆ sententiam confutant ea, quæ in præcedenti nota diximus. Oppugnavit quoque eandem post complures alios, DAVID CLERICUS *quæst. sacrar. VI.* Conferenda, quæ HADRIAN. RELANDUS *antiquit. sacr. veter. Ebræor. part. III. cap. VI. §. XVI. p. 330. seqq.* & JO. FRISCHMUTHUS in peculiari dissertatione *de iudaico eoque inter duas vesperas mactando agno paschali* Jenæ *MDCLX.* hac de re adnotarunt.

ras comedetis carnem. Thargum שְׁמַשְׁוָא *soles*, declinantem & occidentem (*).

Tempus assationis & manducationis.

§. XLI. Assatio & manducatio in primo paschate fiebant nocte diem decimam primi mensis sequente, & quidem vigilia ejus prima. Exod. XII. 8. *Comedent autem carnem nocte ipsa assam igne & infermentatu.* Causa hujus rei erat tum instans angeli intersectoris transitus, a quo ut immunes essent, sacrum hoc celebrare & superliminare cum postibus ædium sanguine agni signare jubebantur, tum vero proxime instans Israelitarum ex Ægypto exitus. Cum enim in medio illius noctis Jehovah *percuteret omne primogenitum in terra Aegypti*, Exod. XII. 29. *surrexit Pharao nocte ipsa & omnes servi ejus*, v. 30. *& vocavit Mosen & Aaronem noctu & dixit, surgite, egredimini e medio populi mei & vos & filii Israel*, v. 31. *& invaluit Aegyptus super populum festinando dimittere eos e terra.* v. 33. Idem tempus postea in reliquis agni paschalis festivitatibus εἰς μνημόσυνον priorum fuit observatum, ideo additur v. 42. לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה *nox custodiarum vel observantiarum est Domino*, vel quod ita dicta sit, quod Dominus in hac nocte custodivit filios Israel, ne læderentur a vastatore, vel quod filii Israel posthac istam noctem omnibus temporibus summa cum religione observare deberent, memores beneficiorum Dei ista nocte præstitorum, quem sensum confirmant verba sequentia.

Tempus durationis.

§. XLII. Tempus *durationis* est usque ad Messiæ adventum, mortem & sacrificium, ergo in nov. test. desiit agni paschalis celebratio. Causas hujus rei expromimus hasce: 1.) quia est vet. test. sacramentum, quare cum per adventum ac mortem Messiæ vet. test. finis sit impositus, ex eo etiam hic ritus desiisse evincitur. 2.) Fuit umbra & typus Christi venturi, ut reliquæ vet. test. ceremoniæ leviticæ, utique ergo *veniente corpore* cessavit. Col. II. 16. Heb. X. 1. Chrysostomus hom. de prodit. Judæ. *Ille agnus futuri agni fuit typus, & ille sanguis dominici sanguinis monstrabat adventum, & ovis illa fuit spiritualis ovis exemplum, ille agnus umbra fuit, hic veritas, sed postquam sol justitiae irradiavit, umbra solvitur luce.* 3.) In ipsa hujus ritus institutione dicitur: *Observabis rem istam pro sta-*

F 2

(*) Cæterum 1.) Lipomanus dicit, *tempus inter duas vesperas esse noctem, quæ inter vesperam diei præcedentis & inter crepusculum matutinum, quod dici potest vespera, diei sequentis injecta est.* At sic agnus paschalis non vesperæ diei decimæ quartæ, sed nocte pertinente non ad decimam quartam, sed ad decimam quintam diem immolatus fuisset, quod scripturæ repugnat. 2.) Rabbini, ut R. Nathan, R. Simeon, filius Jochai, R. Salomon, R. Levi, filii Gersonis, R. Moses Gerundensis (quorum verba vide apud Masium in Josuam cap. V. §. 10. p. 90.) Chaldæus, Lyranus, Abulensis: *Prima vespera* (inquiunt) *est declinatio solis a meridie versus occasum, secunda est ipse solis occasus.* Sed insolens est totum tempus pomeridianum vocari vesperam, unde R. Aben Ezra eos refellit. 3.) Oleaster, AbenEzra & alii putant, *primam vesperam esse solis occasum, secundam esse initium noctis, sive tenebrarum. Inter has enim intercedit crepusculum, puta aliquid temporis, quo lumen aliquod solis post ejus occasum in aëre adhuc adparet, perinde ut fit mane ante solis ortum.* Idem amplectitur Jacob. Faber Stapulensis, Masius in Jos. Rungius in Exod. At hoc tempore agnus non erat immolandus, sed comedendus. Nam ut patet Lev. XXIII. 5. Num. XXVIII. 16. agnus immolandus erat decima quarta die ad vesperam, sed comedendus cum azymis decima quinta, quæ incipiebat a solis occasu, quo finiebatur decima quarta, ut patet Exod. XII. 6. 8. 4.) Cornelius a Lapide: *Prima vespera est, cum jam sol declinat ad occasum, secunda est ipse solis occasus:* Chald. *inter duos soles declinantem & occidentem.* Josephus lib. VII. de bell. Jud. c. 17. & lib. XVI. antiq. c. 10. tradit, *Hebræos immolare solere hostias paschales ab hora nona usque ad undecimam, nona autem respondet nostræ tertiæ.* Idem statuunt Cajetanus, Masius, in Jos. pag. 90. Schindlerus pag. 1380. Vide quoque Scaligerum de emend. temp. pag. 269. & Casaubonum in exercit. pag. 473. ubi de duplici vespera. GERHARDUS.

ſtatuto tibi & filiis tuis עַד עוֹלָם *uſque in ſeculum*, Exod. XII. 24. id eſt, uſque ad certum ac determinatum tempus, ſicut hujus phraſeos ſenſus alibi fuit expoſitus. 4.) Celebratio agni paſchalis diſerta lege fuit ad tabernaculum & templum Hieroſolymitanum adligata. Jam vero ultra mille & quingentos annos in cineribus illud jacuit. Quare cum abrogatis per Chriſtum cultibus leviticis pertinaces Judæi nihilominus anno a Chriſti nativitate 71. ad celebrandum paſcha Hieroſolymis convenirent, factum eſt juſto Dei judicio, ut hac ipſa occaſione in manus hoſtium concluſi obſiderentur exercitu Titi Veſpaſiani, imperatoris filii, donec expugnata urbe templum dirutum & in cineres redactum, quod manifeſto indicio eſt, ſacris leviticis ad illud adligatis finem poſitum eſſe. Refero huc, quod Rabbi Aben Ezra ex Exod. XII. 25. colligit, *ſolum in terra Iſrael mactandum eſſe agnum paſchalem, non autem extra eam.* Jam vero ex illa jam dudum expulſi ſunt Judæi. 5.) In locum agni paſchalis in nov. teſt. ſucceſſit eucharistia, in qua ipſum corpus & ipſe ſanguis Chriſti ad manducandum ac bibendum ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt. Ut ergo circumciſionem abrogavit baptiſmus, ita agnum paſchalem eucharistia.

Locus. §. XLIII. *Locum* quod attinet, primum paſcha celebratum eſt in Ægypto, alterum in deſerto. Poſtea vero diſerta lege ad certum locum, ut feſtivitates reliquæ, ita quoque paſchatis celebratio fuit adligata. Deut. XVI. 2. *Immolabis peſach Iehovae Deo tuo in loco, quem elegerit Iehovah, ut habitare faciat nomen ſuum ibi.* v. 5. *Non poteris immolare peſach in aliqua urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi*, v. 6. *ſed in loco, quem elegerit Iehova Deus tuus, ut habitare faciat nomen ſuum ibi.* Ergo ad locum illum, in quo erat tabernaculum fœderis, poſtea vero templum Domini conveniendum erat omnibus maſculis ex toto regno Iſraelitico Exod. XXXIV. 23. *Tribus vicibus in anno conſpicietur omnis maſculus tuus coram Dominatore Iehovah Deo Iſrael.* Expreſſa illa loci determinatione 1.) obviam ibatur cultibus electitiis: 2.) concordia inter confeſſores unius veræ religionis alebatur, & 3.) ſacrificium Meſſiæ in urbe Hieroſolyma offerendum præfigurabatur.

Quinam ad eſum agni paſchalis admittendi? §. XLIV. Quinam ad eſum agni paſchalis *admittendi* ſint, expreſſis verbis in inſtitutione definitur. Exod. XII. 3. *Tollet ſibi unusquisque agnum per domum patrum, agnum per domum.* v. 6. *Immolabit eum univerſa congregatio cœtus Iſrael.* Et poſtea ubi de anniverſaria hujus ſacri repetitione agitur: v. 43. *Omnis alienigena non comedet ex eo*, v. 44. *omnem ſervum hominis emtum argento circumcides, tunc comedet ex eo.* v. 45. *advena & mercenarius non comedet ex eo.* v. 47. *univerſus cœtus Iſrael faciet ipſum.* v. 48. *Cum autem peregrinabitur apud te peregrinus, & faciet peſach ipſi Jehovae, circumcidetur ei omnis maſculus, & tunc accedet ad faciendum illud, eritque ſicut indigena terrae, nullus enim habens praeputium comedet ex eo*, v. 49. *Lex una erit indigenae & peregrino, qui peregrinatur in medio veſtri.* Admiſſi ergo fuerunt ad communionem hujus ſacri Iſraelitæ omnes tam fœminæ, quam mares, qua in parte diverſitas quædam intercedit huic ſacramento cum circumciſione; quia circumciſionem ſoli maſculi in carne ſua recipiebant, ſed ad agnum paſchalem & maſculi & fœmellæ admittebantur. Proſelyti (οἱ ἐξ ἐθνῶν προσελήλυθότες juxta Suidam,) non niſi percepta prius circumciſione ad ſacras haſce epulas admittebantur, nimirum, quia ſacramentum initiationis prius omnino percipi debet, quam ſacramentum confirmationis. De infantibus Iſraelitarum moveri poteſt quæſtio, an & illi ante annos diſcretionis fuerint ad eſum agni paſchalis admiſſi (*)? quod videtur negandum. 1.) Quia

An infantes Iſraelitici ad illum admiſſi?

(*) Conſtat ex antiquitatibus iudaicis, ad eſum agni paſchalis omnes ebræos, viros & mulieres, ſenes & pueros, ſanos & ægros, dominos & ſervos, iudæorum denique, quotquot pote-

1.) Quia in ipsa institutione sic habetur: v. 26. *cum dixerint vobis filii vestri, quid est cultus iste vobis?* v. 27. *tunc dicetis, sacrificium pesach est ipsi Jehovae &c.* quo ipso innuitur, illos solum admittendos, qui possunt quærere ac discere, quis & qualis sit iste cultus. 2.) Quia ad sacram cœnam, quæ agno paschali succedit, illi solum admittuntur, qui *se ipsos probare possunt*, 1 Cor. XI. 28. 3.) Quia disparest ratio sacramenti *initiationis* & sacramenti *confirmationis*; ad sacramentum initiationis infantes admittuntur, non autem ad sacramentum confirmationis: lata lege levitica illi, qui attigerant corpus mortui, aut alia aliqua levitica immunditie contaminati erant, ab esu agni paschalis excluſi mensis secundi die decima quarta celebrabant. Num. IX. 10. 11. Quod vero rex Hiskias etiam illis, qui lege levitica immundi erant, una cum reliquis pascha celebrare permisit, dispensationis fuit, quæ non solum probabili ratione, quod ex locis maxime dissitis venerant, ac post exactum mensem difficulter convenire poterant, sed etiam divina adprobatione nitebatur (*). 2 Paral. XXX. 20.

§. XLV. Quo vero *fine* instituit Deus agni paschalis ritum? respondemus breviter, ut esset ordinarium vet. test. sacramentum alterum, id est, ut esset memoriale præteriti & figura futuri ad fidem Israelitarum confirmandam & obsignandam. Memoriale præteriti erat, quia admonebat Israelitas de eximio illo beneficio, quod angelus exterminator sive interfector omnia Ægypti primogenita mirabiliter enecans sanguine in foribus Israelitarum viso pertransierit, ac primogenitis eorum pepercerit. Hic finis in ipsa hujus sacri institutione ejusdemque repetitione disertis verbis exprimitur, Exod. XII. 17. 27. XXXIV. 18. Unde ipsi Rabbini scribunt: *Pesach indicat, quod transilivit Deus domos patrum nostrorum in Ægypto. Amarae herbae significant, quod Ægyptii amaritudine adficiebant patres nostros in Ægypto. Azyma significat, quod fuerunt redemti.* Figura (**) *Fines hujus sacramenti.*

poterant comedere carnis offulam, olim fuisse admissos, ne *infantibus* quidem excluſis. Vid. PETR. ZORNII *historiam baptismi infantium p. 419. & 542.*

(*) Non tam *adprobationem*, quam potius *condonationem* quandam supremi numinis locum heic habuisse, ex iis, quæ 2 *Chron. XXX. 18, 19, 20.* leguntur, luculenter patet. Quum enim multi Judæorum, licet mundi non essent, nihilo secius tamen agnum paschalem comederent, Hiskias rex Deum precatus est, hoc ut illis condonaret. Hasce preces Hiskiæ exaudivit Deus וירפא העם & *sanavit populum*, id est, hoc condonavit, vel remisit populo. Vulgatus reddidit: *placatus est populo.*

(**) Agnum paschalem in veteri testamento Christi servatoris figuram atque imaginem fuisse, luculenter testatur scriptura sacra, *1 Petr. I. 18, 19. Apoc. V. 6.* alibique passim. Equidem JO. SPENCERUS, ut rationem typicam agni paschalis eo magis enervaret, in notissimo opere *de legibus ebræorum ritualibus libr. II. cap. IV.* ostendere annisus est, Deum tum aliis institutis, tum vel maxime agno paschali, ritibus superstitiosis Zabiorum, Ægyptiorumque obviam ire voluisse; sed ingenio suo plurimum abusum heic esse virum *alias* doctissimum, inque inanes maximeque improbabiles coniecturas delapsum esse, facili ostendi posset negotio, si instituti nostri id patereturratio. Fecerunt id sententiamque SPENCERI dudum solide confutarunt viri præstantissimi, JO. MEYERUS *de temporibus & diebus festis cap. XII. p. 255. seqq.* JO. CLERICUS in *comment. ad Exod. XII.* b. BUDDEUS in *histor. ecclesiast. vet. testam. tom. I. p. 561. seqq.* BERNH. SEBAST. CREMERUS, in *antiquitat. Mosaico-typicis, tom. II. p. 416. seqq.* atque GEORG. HIERON. SNABELIUS in *diss. de agno paschali, typo Christi*, eiusdem *amœnitatibus emblematico-typicis p. 207. seqq.* inserta, ubi & GROTIUM, qui eandem fere adoptavit sententiam, reprehendit. Nec alienus a SPENCERI sententia est JAC. SAURINUS in libro, cui titulus: *discours sur le vieux Testament, tom. I. num. XLVIII.* iure meritoque eapropter notatus a FRID. EBERH. RAMBACHIO in *notis* versioni huius operis germanicæ *tom. I. p. 657.* adiectis. Conferri quoque heic potest PETR. ZORNIUS in *bibliothec. antiquario-exeget. tom. I. p. 931. seqq.*

etiam erat futuri, quia præfigurabat Chriſtum (†). Quemadmodum enim liberatio populi Iſraelitici ex ſervitute Ægyptiaca præfigurabat ſpiritualem liberationem ab infernali Pharaone, id eſt, a ſatanæ & peccati tyrannide per Chriſtum in nov. teſt. præſtandam; ita quoque memoriale corporalis iſtius liberationis erat figura Meſſiæ, per quem præſtanda erat liberatio ſpiritualis. Confirmamus hoc ſequentibus fundamentis. 1.) Johannes evangeliſta cap. XIX. 36. id, quod de agno paſchali dicitur: Exod. XII. 46. *Os non comminuetis ex eo* (*), in Chriſto ſalvatore in ara crucis pro nobis immolato tanquam in antitypo completum eſſe pronunciat, utique ergo agnus ille paſchalis fuit typus Chriſti. 2.) Idem docet apoſtolus 1 Cor. V. 7. *Paſcha noſtrum pro nobis immolatum eſt Chriſtus*, quorum verborum quis poteſt eſſe ſenſus alius, quam quod mactatio agni paſchalis fuerit evidens typus mortis & ſacrificii Chriſti? 3.) Eodem reſpiciunt prophetæ & apoſtoli, ubicunque Chriſtum conferunt cum agno vel ove: Eſa. LIII. 7. Act. VIII. 32. *Sicut agnus ad mactationem ductus eſt, & velut ovis coram tondente ſe obmutuit.* 1 Pet. I. 19. *Redemti eſtis pretioſo ſanguine utpote agni immaculati & incontaminati Chriſti.* In Apocalypſi nihil frequentius, quam agni adpellatione Chriſtum exprimi. Johannes baptiſta itidem vocat *agnum illum Dei*, Joh. I. 29. 36. ſcilicet eum, qui per agnum paſchalem & reliquos agnos in ſacrificiis vet. teſt. oblatos fuit præfiguratus: atqui hic reſpectus in adpellatione iſta potiſſimus eſt, interim non negamus, ad innocentiam, manſuetudinem, patientiam &c. in ea reſpici.

Comparatio agni paſchalis & Chriſti.

§. XLVI. Inſtituamus ergo comparationem agni paſchalis & Chriſti (**). Agnus eſſe debuit 1.) immaculatus & perfectus: ſic Chri-

(†) Juſtinus in dial. cum Tryph. p. 200. *Myſterium arcanumque agni, quem paſcha immolare Deus mandavit, typus & figura erat Chriſti, cujus ſanguinem juxta rationem noſtræ in illum fidei, ædes ſuas, hoc eſt, ſe ipſos adſpergunt in eum credentes.* GERHARDUS.

(*) Equidem HUGO GROTIUS & JO. SPENCERUS, quem modo notavimus, *loco excitato fol. 311.* exiſtimant, Joannem *cap. XIX. 36.* ubi impletam ſcripturam *de oſſe non frangendo* in Chriſto crucifixo dicit, non reſpexiſſe ad *Exod. XII. 46* ſed potius ad *dictum pſalm. XXXIV. 20, 21. Multæ ſunt adflictiones iuſti, ſed ex omnibus illis eripiet eum Jehova. Cuſtodit omnia oſſa eius,* אחת מהנה לא נשברה *unum ex illis non frangetur.* Sunt & alii, qui utrumque locum coniungunt, veluti JAC. CAPELLUS ad *pſalm. XXXIV. 20. oper. fol. 661.* SAL. VAN THILL ad locum *pſalmi* modo recitatum, CAMP. VITRINGA *obſerv. ſacrar. libr. II. cap. X. §. XL. p. 399, 400.* Aſt GROTIUM ex noſtris refutarunt FRISCHMUTHUS & CALOVIUS; ille quidem in *exercitat. de iudaico agno paſchali cap. II. §. 9.* hic vero in *bibliis illuſtr.* ad *Joann. XIX. 36.* Conferri meretur LAMPIUS in *comment. evangelii ſecundum Joannem, tom. III. p. 631. ſeqq. nor. (u).*

(**) Non abs re fore arbitramur, ſi ſcriptores præcipuos, qui poſt GERHARDI tempora, in evolvendo agni paſchalis myſterio ſtudium ſuum operamque collocarunt, heic commemoremus. Pertinent huc præter auctores, qui contra SPENCERUM calamum ſtrinxerunt, atque ſupra *pag. 45. not.* (**) itemque in *notis* ad *tom. VI. loc theolog.* GERHARDI *p. 52.* iam fuerunt adlegati, IO. ANDR. DANZIUS in *programmate de paſchate Iudæorum abrogato* &c. quod MEUSCHENII *novo teſtam. ex Talmude illuſtrato* inſertum legitur. *p. 504. ſeqq.* GEORG. ELIEZ. EDZARDI in *notis ad avoda ſara, cap. II. p. 236.* IO. LUNDIUS in *den alten jüdiſchen Heiligthümmern, libr. V. cap. XIV. num. 27. p. 1133. ſeqq.* edit. recentiſſ. BERNH. WALTHER. MARPERGERUS *de agno ad aræ cornua ligando ad illuſtrandum pſalm. CXVIII.* Dresdæ MDCCXXX. 8. SALOM. DEYLINGIUS *in diſſ. de agno paſchali egregio Chriſti crucifixi typo*, quæ in eiusdem *obſervationib. miſcell.* exſtat, *p. 838. ſeqq.* IO. IAC. RAMBACHIUS in libro germanice edito, cui titulus: *Chriſtus in Moſe, part. I. p. 272.* HERM. WITSIUS in *œconomia fœderum Dei libr. IV. cap. IX. §. XXXV-LVIII. p. 723. ſeqq.* CAMP. VITRINGA, in *obſerv. ſacr. libr. II. cap. X.* IO. BIERMANNUS in *Moſe & Chriſto, p. 391. ſeqq.* HENR. WILH. SNABELIUS *de agno paſchali, illuſtri ſervatoris I. C. pro nobis mactati typo*, Bremæ MDCCII. 4. FRID. ADOLPH. LAMPIUS im *Gradenbunde*,

Christus est absque omni peccati tum originalis tum actualis macula. Esaj. LIII. 9. 1 Pet. II. 22. *Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit inventus in ore ejus.* Hebr. VII. 26. *Talis decebat ut esset nobis pontifex,* ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, *segregatus a peccatoribus,* 1 Petr. I. 19. agnus ἄμωμος καὶ ἄσπιλος vocatur. 2.) Agnum paschalem oportuit esse masculum, sic Christus est *vir ille, quem circumdedit fœmina in utero,* Jer. XXXI. 22 quo nomine adpellatur, tum ratione sexus, tum ratione roboris, ut constat ex Hebræo גֶּבֶר, est filius hominis, uti se ipsum passim adpellat. 3.) Agnum oportuit esse anniculum, in perfecto ætatis flatu: sic Christus in ipso ætatis flore, videlicet anno 34. currente immolatus est. Immaculata mundities Christi arguit sanctitatem sacrificii pro nobis præstiti, ætatis perfectio ejusdem absolutissimam perfectionem demonstrat.

§. XLVII. Eadem comparatio instituenda respectu actuum sacramentalium. I.) Agnus paschalis ex communi grege petendus erat. Sic Christus ex genere humano veram carnem adsumsit. Deut. XVIII. 18. *Prophetam suscitabo eis* מִקִּרֶב, *de interiore sive medio fratrum tuorum.* Hebr. II. 11. *Qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno omnes.* v. 14. *Quia pueri communicarunt carni & sanguini, etiam ipse similiter participavit eisdem.* Naturæ communio beneficii communicationem arguit. Segregatio agni paschalis fiebat die decima mensis primi: sic Christus eodem die Hierosolymam solenniter & peculiari modo per eandem portam, per quam agni & oves ad sacrificia duci solebant, ingressus, eo ipso demonstravit, quod typus agni-paschalis in se compleatur. Agnus segregatus funibus constringebatur, & toto quatriduo ligatus in ædibus Israëlitarum jacebat: sic Christus non solum sanctæ obedientiæ vinculis, sed etiam externis funium nexibus propter nos constrictus fuit; nec primo statim ministerii sui tempore, sed in quartum usque annum per miracula ab omnibus omnino hominibus semet ipsum segregavit, seque singularem illam personam in ara crucis pro peccatis humani generis immolandam esse ostendit. II.) Decimo quarto die finito, id est, in vespera, quæ juxta legis computum ad sequentem diem 15. pertinet, agnus paschalis mactabatur sanguine largiter effuso: sic Christus eodem die 15. in ara crucis velut agnus ille Dei, pro nobis mortuus sanguinem suum largissime effudit; non gutta, sed urda sanguinis, primum in horto oliveti, deinde in prætorio Pilati aç denique in cruce, per quinque corporis partes largiter emanavit. Psalm. XXII. 15. *Sicut aqua effusus sum, separata sunt omnia ossa mea.* Hebræi multa præclara commemorant, quæ multis annis ante paschatis institutionem eo die contigerint, præcipuum autem hoc est, quod statuunt, eadem die redimendum populum Israel per Messiam, quem venturum exspectant: quia cabbalistæ eorum sic loquuntur: *In eadem die, videlicet decima quinta die mensis Nisan, scilicet Martii, redimendus est Israel in diebus Messiæ, quemadmodum redemti sunt eo die, de quo scribitur, in diebus egressionis tuæ ex Ægypto ostendam mirabilia.* Refragari igitur gens pertinacissima non potest, quin ille sit verus Messias, quem nos colimus. Fagius in cap. XII. Exod. Mactatio fiebat *inter duas vesperas;* sic Christus circa *horam mundi novissimam,* 1 Joh. II. 18. *in extremitate seculorum,* 1 Cor. X. 11. *temporibus novissimis* 1 Pet. I. 20. immolatus est, ipse etiam paulo ante vesperam, hora scilicet nona, quæ est nostra tertia, exspiravit, quo tempore solebant in templo ad preces & sacrificia vespertina convenire. Act. III. 1. III.) Agnus paschalis igne assabatur: sic Christus duplici igne assatus fuit, primum igne iræ divinæ, tum in horto oliveti, cum sanguineum sudorem profunderet, *er schwitzte als ein Braten,* tum in ara crucis, cum anxie exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* inde conqueritur: Psalm. XXII. 15. *Factum est cor meum ut cera, liquefecit*

bunde, part. III. p. 1424. sqq. atque Io. David. Michaelis in *dem Entwurf der typischen Gottesgelahrtheit §. 54.*

fecit se medio viscerum meorum. v. 16. *Aruit tanquam testa fortitudo mea.* Deinde igne amoris interioris, sicut canit ecclesia: *Er ist an des Creutzes Stamm in heisser Liebe gebraten.* Hic amor Christi fuit quasi flamma quædam Cant. VIII. 6. *Fortis ut mors dilectio, prunae ejus prunae ignitae, utque flamma vehementissima* (*).

§. XLVIII. IV.) Agnus paschalis non solum segregabatur, mactabatur & assabatur, sed etiam manducabatur: ita quoque Christi corpus & sanguinem tum *sacramentaliter*, tum etiam *spiritualiter* manducamus ac bibimus. Sacramentalis manducatio instituta est hoc fine, ut spiritualem manducationem confirmet & obsignet. Joh. VI. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* 1.) Agnus paschalis manducabatur a singulis familiis, quo denotatum fuit, beneficia Christi ad totum genus humanum pertinere, interim tamen in ecclesia eadem solummodo dispensari; quicunque ergo illorum particeps fieri desiderat, eum oportet esse membrum familiæ Christi, id est, ecclesiæ. Vicini ac peregrini ad esum agni paschalis admittebantur: quo denotatum fuit, etiam gentes ad Christi communionem vocandas esse. 2.) Agnus paschalis manducabatur cum panibus azymis, id apostolus exponit hoc modo: 1 Cor. V. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* v. 8. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Matth. XVI. 6. *Cavete a fermento Pharisaeorum & Sadducaeorum*, v. 12. id est, a doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Quemadmodum severe edicit Dominus Exod. XII. 15. *Quicunque comederit fermentatum, exscindetur ejus anima ex Israel:* ita quoque de illis, qui fermento falsæ doctrinæ & vitæ flagitiosæ corrupti sunt, eadem severitate pronunciat apostolus: Rom. VIII. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 3.) Agni paschalis comestioni addebantur herbæ amaræ, quibus adpetitus excitabatur: hæ denotant amaritudinem ac compunctionem cordis, sive seriam pœnitentiam, dolorem de peccatis cum flagranti gratiæ desiderio conjunctum ac mortificationem reliquiarum veteris Adami, quin & calamitates ac crucem, qua accenditur in cordibus nostris desiderium gratiæ & bonorum cœlestium. 4.) Agnus paschalis manducabatur totus, non crudus, nec elixatus, sed assus, neque quidquam ex eo relinquendum erat: sic vera fides totum Christum amplectitur cum omnibus ipsius beneficiis. Vera fides omnia Christi verba respicit, non quædam tantum, sed omnia omnino sincere amplectitur. Assatum Christum comedunt, qui agnoscunt igneam Dei iram propter peccata nostra in ipsum veluti effusam. Crudum comedunt, qui vocem evangelii audiunt, sed sunt sine vera pœnitentia, sine agnitione ac sensu iræ divinæ adversus peccata. Coctum aqua comedunt; qui carnales opiniones de Christo habent, & falsis opinionibus sinceram evangelii doctrinam, ut caupones aqua vinum, diluunt ac corrumpunt. Esa. I. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua.* 2 Cor. II. 17. *non sumus sicut plurimi* καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Per aquam intelligitur sapientia humana. Ut enim aqua diffluit, & infirmum est elementum, sic humana sapientia in mysteriis fidei non consistit, ergo aqua coctum comedunt, qui rationis & sapientiæ humanæ tenebras in rebus fidei sequuntur. Per ignem intelligitur operatio Spiritus sancti, qui cruditates intellectus nostri tollit, ut mysterium de Christo in cibum faciliorem & suaviorem a nobis adsumatur. Si toti agno comedendo, id est, integro mysterio capiendo non sufficis, residuum igni devo-

(*) Isidor. Pelusiota paulo aliter lib. I. epist. 219. *Igni assas agni carnes edebant Hebræi magnum divinæ incarnationis mysterium per hujusmodi esum typice adumbrantes ac Dei agnum prædicentes, qui divinæ essentiæ ignem modo sermone omni præstantiore cum ea carne connectit, quæ nunc a nobis editur, vitiorumque remissionem affert.* GERHARDUS.

devove, hoc est, Spiritui sancto commenda. 5.) Agnus paschalis comedebatur ab Israëlitis festinanter, ita, ut lumbi ipsorum essent præcincti, ac calceos in pedibus, baculum vero in manibus haberent. Sic beneficia Christi absque omni cunctatione debemus amplecti, memores, *nos hic non habere civitatem manentem*, Hebr. XIII. 14. *sint ergo & lumbi nostri præcincti & lucernae ardentes*, Luc. XII. 35. *simus hominibus illis similes, qui exspectant dominum suum.* v. 36. *Cingulo* indigemus, tanquam freno ad coërcendas & mortificandas cupiditates carnis: *calceis* opus est, *ut parati simus ad confessionem evangelii pacis*, Eph. VI. 15. neve scandalis ac lapsuum occasionibus pedes nostri saucientur: *baculo* etiam opus est; hoc est, præsidio verbi ad pedes nostros in via vocationis & vitæ nostræ firmandos. Psalm. XXIII. 4.

§. XLIX. Agnus paschalis non solum certis ritibus manducabatur, sed & sanguis illius postibus & superliminari ædium Israelitarum fasciculo hyssopi adspergebatur. Hyssopus est humilis & abjecta herbula, 1 Reg. IV. 33. denotat igitur ministerium verbi coram mundo contemtum, per quod corda nostra *sanguine* Christi virtute Spiritus sancti *adsperguntur*. 1 Pet. I. 2. *Electis in sanctificatione Spiritus, in obedientiam & adspersionem sanguinis Christi.* Hyssopus herba est amara, denotat igitur prædicationem legis, quæ sit salutaris, quando tingitur Christi sanguine. Justinus in dial. cum Tryphone p. 200. *Mysterium arcanumque agni, quem pascha immolare Deus mandavit, typus & figura erat Christi, cujus sanguinem juxta rationem nostrae in illum fidei in aedes suas, hoc est, se ipsos adspergunt in eum credentes.* Gregorius hom. XII. pasch. *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, cum non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur, & ad imitationem intenta mente cogitatur. Nam qui sic redemtoris sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem posuit, qui & in superliminaribus domus ponendus est. Domus enim mentes nostrae, in quibus per cogitationem habitamus; superliminare vero intentio est, quae praeeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis ad imitationem passionis Christi dirigit, in superliminaribus domus sanguinem agni ponit.* Huc respicit David Psalm. LI. 9. *Adsperges me hyssopo, & mundabor;* nimirum, petit propheta regius, se mundari a labe peccati sanguine illo, qui per Christum, agnum illum Dei, agno paschali præfiguratum, erat effundendus. Angelus interfector ædes Israeliticas, sanguine agni paschalis signatas, præteribat, nec ullum nocumentum inquilinis adferebat: sed per Christi sanguinem liminibus cordium nostrorum adspersum infernalis exterminator avertitur, nosque ab ira Dei & æterno exitio protegimur. Domus, qua egredi prohibentur Israelitæ, denotat ecclesiam, *domum illam Dei.* 1 Tim. III. 15 (*).

An agnus paschalis fuerit sacrificium proprie sic dictum.

§. L. Quæritur h. l. an agnus paschalis fuerit sacrificium proprie sic dictum (**)? *Adfirmantem* quæstionis partem comprobare videtur: 1.) quod Exod. XII. 27. expresse

(*) Justinus in dial. cum Tryph. p. 200. *Agnus ille, de quo, ut assus to us fieret, praeceptum est, supplicii crucis, quod subiturus erat Christus, symbolum & nota fuit. Agnus namque assus in figuram cruci similem conformatus ad ignem torretur, nam veru unum ab imis partibus ad caput usque adactum perfigitur & aliud rursum secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni.* GERHARDUS.

(**) Multum de hac quæstione disputatum est inter viros eruditos. Ii, qui cœtus romani sacra sequuntur, adfirmantem amplexi sunt sententiam, statuentes, *agnum paschalem, utpote typum sacrae eucharistiae, per modum sacrificii cuiusdam proprie dicti Deo oblatum fuisse.* Ex iis, qui ita sentiunt, cumprimis nominandus hic est ROBERTUS BELLARMINUS, pater purpuratus, qui *tom. III. oper. libr. I. de missa cap. VII.* statim sub initium, sequens nectit ratiocinium: *celebratio agni paschalis figura erat expressa celebrationis eucharistiae; sed illa immolatio quaedam erat victimae Deo oblatae. Ergo celebratio eucharistiae immolatio victimae Deo oblatae*

latæ esse debet, ut figura figurato respondeat. Nec ab hac sententia abludit MARTINUS BECANUS, celebris societatis Jesu sacerdos, qui *tom. II. opusc. XI. cap. VII.* ita scribit: *hoc sacrificium agni paschalis a Deo institutum est, paulo ante egressum filiorum Israël ex Ægypto.* Ut FRANC. SUAREZIUM, GREGORIUM DE VALENTIA, aliosque romani pontificis adsectatores, qui BELLARMINUM secuti, ex agno paschali eiusque immolatione argumentum pro adstruendo Missæ sacrificio desumunt, haud commemoremus. Et sane ipsi, qui Tridenti congregati erant antistites, raticinium illud, quod ex BELLARMINO supra adduximus, veluti consecrarunt *sessione XXII. cap. I. p. 130. Nam celebrato*, inquiunt patres Tridentini, *veteri pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit pascha, se ipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad patrem.*

Nec tantum cœtus Romani doctores, sed & complures ecclesiæ Reformatæ theologi, qui sacrificium Missaticum alias negant pernegantque, in hanc ingressi sunt sententiam, pascha Israëlitarum veri nominis fuisse sacrificium. Eminent ex iis, qui hoc fecerunt, SAMUEL BOCHARTUS, *part. I. hieroz. libr. II. cap. I. fol. 573.* atque HERM. WITSIUS, theologus quondam Lugduno-Batavus, in *œconomia fœderum Dei libr. IV. cap. IX. §. VI. p. 711. seqq.* ubi quatuor argumentis hancce stabilire sententiam adnisus est, quam & JO. HENR. REIZIUS, in *notis* ad THOMÆ GODWINI *Mosen & Aaronem, p. 239.* JO. BRAUNIUS, in *doctrina fœderum, vol. II. part. IV. cap. X. loco XVIII. §. IV. p. 682. seqq.* ANTON. BYNÆUS *libr. I. de morte Jesu Christi p. m. 32.* CONRAD. IKENIUS, in *antiquitat. ebraicis part. I. cap. XIII. §. XXXIV. p. 170.* multique alii propugnarunt, dissentiente tamen ANDR. RIVETO, theologo olim Lugdunensi, *tom. I. oper. p. 890. seqq.* ad *Exod. cap. XII.* Ex Anglorum gente RADULPHUS CUDWORTHUS, theologus quondam Cantabrigiensis, isque doctissimus, communem reformatorum sententiam defendendam ornandamque in se suscepit in dissertatione *de notione cœnæ domini*, quæ *systemati* eius *intellectuali* a b. canc. MOSHEMIO edito, subiuncta est, *cap. II. p. 11. seqq.*

Quod ad nostræ ecclesiæ attinet doctores, non una omnium de hocce argumento est sententia. Equidem JO. CONR. DANNHAUERUS, theologus quondam Argentoratensis, in *mysteriosophia, sect. II. art. II. p. 261, 262.* iis sese adsociavit, qui statuunt, agni paschalis cærimoniam habuisse rationem sacrificialem. Idem fecit THEODORICUS HACKSPANIUS, theologus quondam Altdorffensis, in *notis philologico-theolog. part. I. p. 334. seqq.* ad *Exod. XII. 27.* Verum JO. GEORG. DORSCHÆUS, celebris academiæ Argentoratensis doctor, hoc diu antea disertis verbis negaverat, in *dissert. de agno paschali Judæorum*, quæ ann. *MDCXXVIII.* lucem adspexit publicam. Deseruit tamen DORSCHÆI sententiam eiusdem in cathedra theologica successor SEBAST. SCHMIDIUS. Is enim in peculiari tractatu *de paschate* ann. *MDCLXXXV.* edito, & quidem in eius *part. III. cap. II. p. 283.* illam ipsam quæstionem: *an agnus paschalis fuerit sacrificium vet. testam. proprie sic dictum?* copiosius pertractavit, sententiamque adfirmantem, in quam ipsemet descendit, variis argumentis confirmare adlaboravit.

Nihilo tamen minus permulti ex ecclesiæ nostræ theologis, in b. DORSCHÆI partes concedunt, & contra cœtus Romani doctores, qui sacrificium Missæ ex agno paschali Judæorum adstruere conantur, negant, agni huius cærimoniam habuisse rationem sacrificialem. Ipse b. GERHARDUS non tantum supra §. *L.* sed & in *confess. cathol. libr. II. part. II. art. XV. cap. I. de sacrif. Missæ, p. 1185.* viam iis hac in re præivit; cuius vestigia secuti sunt AUG. VARENIUS, ABRAH. CALOVIUS, JO. AD. OSIANDER, JO. ANDR. QUENSTEDIUS aliique, quos nominare supersedemus.

Sunt tamen nonnulli ex nostris theologis, tum antiquioribus, tum recentioribus, qui media hoc via incedunt, statuuntque, agnum paschalem habuisse quidem rationem veri sacrificii, sed non integram. Legenda, quæ ÆGYD. HUNNIUS *oper. lat. tom. I. col. 996.* itemque BROCHMANNUS in *system. theol. cap. IV. de agno pasch. p. 170. seqq.* hanc in rem scripserunt; quibus ex recentioribus C. M. PFAFFIUS in dissert. *de oblatione veterum eucharistica §. 2. seqq.* in *anecdotis Irenæi p. 166. seqq.* atque in *institut. theolog. dogmat. part. II. cap. III. §. IX. p. 315.* edit. secund. itemque SAL. DEYLINGIUS *observar. sacrar. part. I. p. 321. seqq.* & ROMANUS TELLERUS in *notis* ad HOLLAZII *examen theolog. acroam. p. 1053.* iungi merentur.

Atque huic posteriori virorum præstantissimorum sententiæ nos quoque subscribimus, statuimusque, agnum paschalem non tantum *sacra-*

expresse adpelletur זֶבַח sacrificium (*). 2.) Quod τὸ πάσχα dicitur θύειν Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7. 8.) quod apostolus de Christo, in ara crucis se ipsum offerente Deo in sacrificium, pronunciat. 1 Cor. V. 7. τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη χριστός. *Negativae* sententiæ hæc sunt fundamenta: 1.) sacrificia proprie sic dicta offerebantur a solis sacerdotibus, agnus paschalis non a solis sacerdotibus, sed a quibusvis patribusfamilias mactabatur. Exod. XII. 3. Quamvis vero, constituto levitico sacerdotio, agni paschales Levitis adducerentur, ut probabiliter

 osten-

sacramenti veri, sed & *sacrificii* proprie sic dicti, si ad pascha non tam *Ægyptiacum*, quam *Hierosolymitanum* respiciamus, habuisse rationem, licet in nonnullis partibus a sacrificiorum indole recesserit. Hoc ipsum ut clarius pateat, per certas ibimus positiones, easque singulas partim illustrabimus, partim vero comprobabimus. Dicimus

I) agnum paschalem habuisse rationem veri *sacramenti*. Hoc ipsum vero exinde facile probari potest, quoniam omnia sacramenti requisita heic deprehenduntur, prout apud omnes in confesso est. Addimus autem

II) nihil obstare, quo minus simul fuerit veri nominis *sacrificium*. Conveniunt quippe *sacramentum* & *sacrificium*, & quidem in eo, quod utraque sunt actiones sacræ a Deo institutæ, quæ divinam promissionem habent adiunctam. Et licet, quod

III) notamus, binæ istæ actiones in eo quam maxime inter se differant, quod in *sacramento* Deus offert confertque gratiam suam hominibus, cum contra in *sacrificio* homines munus aliquod Deo offerant, ut eius consequantur gratiam; vid. *apolog. Aug. confess. p. 253.* nihil tamen impedit, quo minus agnus paschalis

IV) fuerit aliquid ex utroque genere ita compositum, ut alia atque alia ratione & *sacramentum* fuerit & *sacrificium*. Recte vero, quod

V) notamus, agnum paschalem *sacrificiis* adnumerari, id sequentibus comprobamus argumentis: 1) quia ipsa sacra scriptura agnum illum disertis verbis זבח *sacrificium Exod.. XII. 27. XXIII. 18. XXXIV. 25.* itemque קרבן *oblationem* adpellitat, *Num. IX. 7, 13.* 2) quia *Christus*, antitypus agni paschalis, *pro nobis* (ut victima certe) *mactatus esse* dicitur, *1 Cor. V. 7.* 3) quia sanguis agni paschalis, ut veri sacrificii, oblatus fuit domino, prout ex verbis Mosis *Exod. XXIII. 18. XXXIV. 25.* colligere licet; 4) quia de paschate dicitur, sacerdotes sparsisse sanguinem e manu levitarum acceptum, *2 Chron. XXX. 16. XXXV. 11.* quæ quidem adsperso sanguinis omnino ad sacrificium pertinet, quin ab ebræa gentis doctoribus עקר הקרבן *fundamentum oblationis* dicitur. Alludit ad huncce ver. testamenti ritum, eiusdemque rationem typicam evolvit apostolus Petrus *1 epist. I. 2.* Observandum tamen

VI) agnum paschalem in aliis quibusdam partibus ab indole sacrificiorum recessisse. Nam 1) de eo nihil carnis vel adipis super altare domini ponebatur, Deoque offerebatur; 2) agnus iste in ædibus privatis sine sacerdotibus consumebatur, & denique 3) reliquiæ ipsius igne vulgari concremari poterant. Nec

VII) prætermittendum heic est, quod discrimen quoddam intercesserit inter agnum paschalem *Ægyptiacum*, atque *Hierosolymitanum*. Prior ille non habebat indolem sacrificii. Nullum enim tum temporis erat altare, nullus sacerdos, nulla adsperso sanguinis, nisi privata. Verum erecto tabernaculo, ac vel tandem templo Hierosolymitano, res secus se se habebat. Tunc enim, docente MAIMONIDE *cap. I. de paschate*, agnus paschalis in templo publico rituque solemni mactatus, intestina eius in altari solito igne cremata, & sanguis ad basin altaris effusus est. Nec tamen, quod

VIII) recte monent doctrinæ sanctioris professores, exinde efficitur, ut agnus paschalis isque Hierosolymitanus pro pleno & integro sacrificio haberi queat, cum, ut *num. VI.* iam notavimus, in nonnullis ab indole sacrificiorum recesserit, neque adeo pro sacrificio *stricte* & *rigorose* sic dicto haberi queat.

(*) Argumento primo, supra adducto, b. auctor in nota margini huius libri adscripta, aliud ad latus posuit ex *Num. IX. 6.* desumtum, hisque verbis expressum: Qui immundi erant, non poterant facere pascha in illa die, nimirum quia immundis prohibitum erat offerre sacrificia, Lev. VII. 19. Ergo pascha numeratur inter sacrificia. Vers. 7. dicunt ad Mosen & Aaron: *Cur prohibemur? offeramus* קָרְבָּן *oblationem nostram Domino.* Ergo paschalis agnus fuit oblatio Deo adducta, quod lege sancita etiam confirmatur. Hactenus GERHARDUS.

ostendimus superius, id tamen non fuit perpetuum, ut ex prima agni paschalis celebratione constat, nec factum fuit hoc fine, ut agnus paschalis sacrificaretur, sed ut inquireretur, an qualitates divinitus requisitæ in eo præsto essent. 2.) Sacrificia proprie sic dicta ad altare Domini mactabantur. Agnus paschalis per familias & domus mactabatur (*). 3.) Proprium & essentiale sacrificii est, quod vel totum vel certe pars quædam ex illo Deo offertur, atque igne absumitur, sed de agno paschali nihil fuit Deo oblatum vel igne consumtum, sed potius totus fuit assatus & manducatus. 4.) Sacrificium & sacramentum differunt *formaliter*. In sacrificio homines offerunt aliquid Deo : in sacramento Deus aliquid offert hominibus. Jam vero agnus paschalis est sacramentum. Ergo non fuit sacrificium proprie sic dictum. 5.) *Nullum potest sacrificium fieri in Ægypto propter abominationes Ægyptiorum*, dicit Moses Exod. VIII. 26. Agnus paschalis fuit legitime mactatus & manducatus in Ægypto. Ergo non fuit sacrificium proprie sic dictum. Quid vero fiet argumentis pro parte quæstionis *adfirmante* adductis? *Resp.* 1.) Agnus paschalis dicitur sacrificium, quia fuit figura sacrificii Christi & effusionis sanguinis ejus in ara crucis factæ, sed ex eo nondum sequitur, quod fuerit *essentialiter* & proprie sic dictum (**). 2.) זָבַח est verbum generale, *mactavit, jugulavit*, occidit pecudem ad convivium per sacrificium, ut constat ex Gen. XXXI. 54. Deut. XXVIII. 24. 1 Reg. XX. 21. Ezech. XVI. 20. &c. 3.) Θύειν itidem generale est, quamvis mactationem significans, uti constat ex Matth. XXII. 4. Luc. XV. 23. 27. Joh. X. 10. &c. Immolatio igitur sola non sufficit ad constituendum sacrificium proprie sic dictum, quia immolabatur agnus paschalis, non ut Deo offerretur, quod est proprium sacrificiorum, sed ut ab Israelitis manducaretur. Vide tract. germ. de sacra cœna cap. 24. object. 2.

§. LI. Quamvis vero sacramentum agni paschalis institutione cœnæ dominicæ nov. test. sit abrogatum, non tamen nullus hujus doctrinæ usus, siquidem pulcerrima illa figura agni paschalis & Christi pias mentes non mediocriter adficit. Intelligimus etiam ex eo, umbræ successisse corpus & expressam *εἰκόνα*, cum non amplius typicum Christi corpus & sanguinem, (ut in agni paschalis sacramento) sed verum Christi corpus & verum ejus sanguinem in sacra eucharistia manducemus ac bibamus, quæ certe sunt digniora ac pretiosiora salutis nostræ pignora ac fidei sustentacula, quam agni paschalis caro & sanguis. Quemadmodum etiam non licebat manducare agnum paschalem nisi circumcisis; ita eucharistia non est administranda nisi baptizatis, qui se

Usus doctrinæ de agno paschali.

(*) Differunt igitur *agni* paschales & *sacrificia* paschalia. Agni paschales erant vel ex agnis vel ex hœdis, Exod. XII. 5. Sacrificia vero paschalia sumebantur ex ovibus & bobus Deut. XVI. Agni paschales non proprie immolabantur, sed mactabantur ab omnibus patribusfamilias, in omnibus domibus. Exod. XII. 3. Sacrificia paschalia tantummodo instituebantur a sacerdotibus in loco, quem elegit Jehovah, ut habitaret ibi nomen ejus. Agni paschales inter duas vesperas unius diei mactabantur & comedebantur, Exod. XII. sed sacrificia paschalia per septem continuos dies offerebantur. Lev. XXIII. 8. Sacrificia tantum in publico fiebant; at Exod. XII. Marc. XIV. pascha intra privatas ædes perficiebatur. *Non omnis mactatio infert sacrificium, sed ea demum, quæ cum combustione conjuncta.* Huttertus in loc. p. 622. *Hoc quidem commune habuit cum reliquis sacrificiis, quod in eo facta fuit mactatio religiosa agni & significatio typica adumbrans Christi immolationem.* Kungius Ex. p. 402. GERHARDUS.

(**) Vocatur sacrificium : 1.) quia mactabatur non ad usum vulgarem, sed sanctum & peculiarem, videlicet ut esset sacramentum & figura sacrificii Christi. 2.) Quia peculiaria sacrificia præter illa vulgaria & quotidiana erant agni paschalis mactationi & comestioni adeoque paschatis solennitati conjuncta. Numer. XXVIII. 19. 3.) Quia sanguis agni paschalis templo inferebatur, ubi a sacerdote spargebatur, & pinguedo in altari incendebatur. 2 Paralip. XXXV. 11. GERHARDUS.

se probare possunt. Quemadmodum in celebratione agni paschalis canebatur hymnus octo psalmorum Davidicorum, a centesimo undecimo usque ad centesimum decimum nonum exclusive, quem vocabant Alleluja magnum: ita quoque cum gratiarum actione & mortis Christi adnunciatione sacra cœna percipienda. 1 Cor. XI. 26.

Definitio hujus sacramenti.

§. LII. Ex superioribus talis potest constitui *definitio*. Agnus paschalis est sacramentum vet. test. alterum, in quo agnus immaculatus masculus anniculus decima die primi mensis e grege communi segregatus, & decima quarta die inter duas vesperas mactatus & igni assatus manducabatur cum panibus azymis & herbis amaris ritu & habitu divinitus præscripto, a sanguine illius agni postibus & superliminari ædium adspersio, in memoriam liberationis Ægyptiacæ & figuram veri illius agni Dei, qui tollit peccata mundi, ad adplicandam & obsignandam promissionem de spirituali liberatione per Christum præstandam ac confirmandam Israelitarum fidem.

CAPUT V.

DE NUMERO SACRAMENTORUM NOVI TESTAMENTI.

Numerus sacramentorum nov. test.

§. LIII. Expositis vet. test. sacramentis, restaret, ut ad specialem sacramentorum nov. test. tractationem accessum faceremus, nisi prius explicanda esset quæstio de illorum numero. Pontificii septem numerant sacramenta, videlicet *baptismum*, *confirmationem*, *pœnitentiam*, *eucharistiam*, *unctionem*, *ordinem* & *matrimonium*. Nostra autem sententia est, duo tantum esse vere, proprie & specifice dicta nov. test. sacramenta, videlicet *baptismum* & *cœnam dominicam*; interim libenter concedimus, in latiore & in propria vocabuli significatione plura numerari posse. Fundamentis nitimur sequentibus (*). I.) Illi ritus sunt vere, proprie & specifice dicta nov. test. sacramenta, quibus definitio & essentialia requisita sacramentorum competunt; *ratio* est, quia a definitione ad definitum, & a positione adjunctorum propriorum & essentialium ad positionem essentiæ, & contra a remotione adjunctorum propriorum & essentialium ad essentiæ remotionem rite proceditur. Jam vero duobus tantum ritibus, videlicet baptismo & cœnæ dominicæ, definitio & essentialia sacramentorum nov. test. requisita competunt, reliquis vero,

Quod duo tantum sint nov. test. sacramenta, videl. baptismus & sacra cœna.

1.) Quæ illis solis definitio & requisita sacramentorum competunt.

(*) Rationibus istis mox adducendis b. auctor in adnotationibus margini huius libri adspersis sequens præmisit ratiocinium: Quibus non competit essentia baptismo & eucharistiæ proxime communis, illa non possunt esse sacramenta nov. test. propriissime, hoc est, eo dicta modo, quo baptismus & eucharistia sunt sacramenta. At confirmationi, pœnitentiæ, extremæ unctioni, ordini & matrimonio non competit essentia baptismo & eucharistiæ proxime communis. Ergo. *Major* probatur, quia illud commune, in quo per se & proxime conveniunt species, est generica specierum natura. Atqui baptismus & eucharistia sunt species sacram. in nov. test. Ergo in quo per se & proxime conveniunt baptismus & cœna dominica, est generica illorum natura. *Minor* probatur ex indagatione prædicatorum essentialium utrique & baptismo & eucharistiæ communium. Nam ambo sunt actiones solennes a Christo institutæ; ambo constant externo & visibili elemento & symbolo a Christo ipso & apostolis definito; ambo per verbum institutionis certum atque expressum res cœlestes nobis dispensant; ambo denique adnexam habent promissionem conferendæ & obsignandæ gratiæ evangelii propriæ. At fictitia illa sacramenta vel omnibus, vel aliquibus tantum his essentialibus conditionibus destituuntur. Hactenus GERHARDUS.

qui hisce adduntur, tribui non possunt. Ergo duo tantum sunt vere, proprie & specifice sic dicta nov. test. sacramenta. Adsumtum constat ex diligenti examine eorum, quæ ad sacramentum aliquod nov. test. proprie sic dictum constituendum requiri ostendimus, ex Chemnitio in tractatu proxime præcedenti §. 11. videlicet 1.) ut adsit externum aliquod materiale & visibile elementum sive signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & usurpetur. 2.) Ut elementum seu signum illud & certus ejus ritus habeat expressum mandatum divinum seu institutionem divinam. 3.) Ut institutum & mandatum sit in nov. test. 4.) Ut non ad tempus institutum sit, sed usque ad consummationem seculi. 5.) Requiritur ad sacramentum promissio divina de gratia, effectu seu fructu sacramenti. 6.) Illam promissionem oportet non simpliciter, nude & per se tantum habere testimonium in verbo Dei, sed oportet eam divina ordinatione adnexam esse signo sacramenti, & eo quasi vestitam esse. 7.) Promissionem illam oportet esse non de quibusvis donis Dei sive corporalibus sive spiritualibus, sed promissionem gratiæ sive justificationis, hoc est, gratuitæ reconciliationis, remissionis peccatorum & in summa de toto beneficio redemtionis. 8.) Illa promissio in sacramentis non in genere tantum vel significatur vel adnunciatur, sed virtute Dei offertur, exhibetur, adplicatur & obsignatur singulis, qui fide sacramentis utuntur. Breviter: ad essentiam sacramenti requiritur, *tum* universale mandatum Dei, complectens universam ecclesiam nov. test. de externo seu visibili aliquo elemento: *tum* promissio evangelii propria de gratuita Dei misericordia propter Christum ita ritui addita, ut per illum offeratur, & credentibus exhibeatur, adplicetur & obsignetur. Hæc requisita omnia & singula baptismo & cœnæ dominicæ competunt, reliquis vero ritibus, qui illis ad numerum septenarium complendum adduntur, non competunt, destituuntur enim vel elemento externo divina institutione perspicue expresso, vel promissione gratiæ evangelii propriæ de remissione peccatorum, ut ex speciali eorundem consideratione manifestum erit. Quod Bellarminus libr. II. de effectu sacrament. cap. 24. regerit, *definitionem sacramenti competere non solum baptismo & eucharistiae, sed etiam confirmationi, pœnitentiae, extremae unctioni, ordini & matrimonio*, de eo paulo post videbimus.

§. LIV. II.) Illa sunt, vere & proprie dicta nov. test. sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis profluxit. Ut enim recte disputat Thomas part. III. quæst. 62. art. 5. *Virtus remissiva peccatorum specialiter quodammodo pertinet ad passionem Domini, ergo quod virtus sacramentorum ordinatur ad tollenda peccata, praecipue est ex fide passionis Christi.* Atqui ex latere Christi in cruce pendentis profluxerunt tantum *sanguis & aqua*, Joh. XIX. 34. geminorum sacramentorum, baptismi & cœnæ dominicæ, materia, ut locum illum exponunt Ambrosius libr. X. in Luc. cap. 105. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in cap. XIX. Joh. Augustinus lib. II. de symb. cap. 6. in Psalm. XL. Lib. XV. de civ. Dei cap. 26. Tract. IX. & CXX. in Joh. lib. de cataclysmo cap. 4. Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 10. Ergo duo tantum sunt vere & proprie dicta sacramenta, videlicet baptismus & S. cœna. Bellarminus lib. II. de effectu sacram. cap. 27. regerit. 1.) *Testimonium hoc probare, quod sint duo sacramenta, non autem, quod tantum duo sint: duo solum posita esse, quia illa sint magis communia & magis principalia, non autem propterea reliqua excludi, sicut & Hebr. VI. duo tantum ponantur sacramenta, baptismus scilicet & manuum impositio, id est, confirmatio.* Resp. imo vero argumentum nostrum probat esse *tantum* duo nov. test. sacramenta, cum major propositio sit *exclusiva.* Illa tantum sunt vere & proprie dicta sacramenta, quorum materia ex latere Christi in cruce pendentis profluxit, quo pertinet egregius locus Thomæ part. III. q. 64. art. 2. *Apostoli & eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen ecclesiae a Deo institutae per fidem & fidei sacramenta, unde sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta, sed per sacramenta, quae de Christi latere fluxerunt,*

2.) *Quia illorum materia profluxit ex Christi latere.*

xerunt, dicitur esse fabricata ecclesia. Hebr. VI. 2. Apostolus non agit de numero sacramentorum, sed per præteritionem quandam dicit se nolle differere de elementis christianæ religionis, utpote de pœnitentia, de fide generali in Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, de baptismate aquæ, quod est regenerationis lavacrum, de baptismo ignis, id est, de donis illis miraculosis Spiritus sancti, qualia in die pentecostes in apostolos effusa, quæ dona postea per impositionem manuum credentibus conferebantur, de resurrectione mortuorum, de æternis pœnis ac præmiis &c. Hæc non possunt transferri ad sacramenta proprie sic dicta, alias ex uno baptismi sacramento duo fabricari poterunt, cum in plurali τῶν βαπτισμῶν mentio fiat. 2.) *Esse maxime literalem expositionem, ut per sanguinem intelligatur redemtionis pretium, per aquam baptismus, hoc sensu, quod ex Christi latere fluxerit baptismus, qui omnem suam vim habet ex Christi sanguine: priori autem Graecorum patrum expositioni repugnare ordinem, cum primo dicatur sanguis effluxisse, jam vero baptismus praecedit eucharistiam.* Resp. ordo ille nihil quidquam impedit, quo minus ex Christi latere gemina ecclesiæ nov. test. sacramenta profluxisse cum veteribus adseramus. Per sanguinem redemtionis nostræ pretium intelligendum esse libenter concedimus, sed addimus, sanguine illo non solum in baptismo a peccatis nos ablui, sed etiam in sacra cœna eodem ad vitam æternam potari. Adde, quod Bellarminus ex hypothesi suæ de baptismo Johannis & Christi sententiæ concedere cogitur, prius eucharistiam, quam baptismum in nov. test. fuisse institutam, ut hac ratione ordini institutionis ille sanguinis & aquæ ex Christi latere fluxus optime correspondeat. Denique 1 Joh. V. 6. priori loco ponitur aqua, posteriori sanguis: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine*; ubi Johannes apostolus ipsi Bellarmino videtur explicare mysterium, quod posuerat in historia evangelica c. 19.

3.) *Quia aqua & sanguis in terra dicuntur testificari.*

§. LV. III.) Ex 1 Joh. V. 8. *Tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, aqua & sanguis*, ubi per Spiritum denotari ministerium evangelii; per aquam baptismum; per sanguinem cœnam dominicam intelligi, ostendimus in tractatu proxime præcedente §. 89. repudiatis aliorum expositionibus. Aut ergo plures tribus erunt testes, aut duo tantum erunt sacramenta. Non autem plures tribus testes, ut ostendit collatio, v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* v. 8. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis; & hi tres in unum sunt.* Ut ergo tres, non plures nec pauciores testes in cœlo, ita quoque tres nec plures, nec pauciores testes in terra. v. 6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine;* ubi aqua a sanguine distinguitur, nimirum, quia baptismus & cœna dominica sunt duo distincta nov. test. sacramenta. Bellarminus l. d. disputat, *Johannem voluisse ostendere differentiam inter baptismum Christi & Johannis, quod Johannes venerit in aqua solum, id est, baptismum adtulerit non efficacem, Christus autem adtulerit baptismum efficacissimum, cum aquam dederit sanguini suo admistam.* Sed hæc expositio nititur falsa hypothesi, quod baptismus Johannis non fuerit efficax ad remissionem peccatorum & regenerationem, cujus contrarium ostendemus suo loco.

4.) *Quia in vet. test. duo tantum fuerunt proprie dicta sacramenta.*

§. LVI. IV.) Sacramenta nov. test. correspondent sacramentis vet. test. in eorum enim locum successerunt. Atqui duo tantum fuerunt vet. test. sacramenta proprie sic dicta, videlicet circumcisio & agnus paschalis, ut ostendimus in tractatu proxime præcedente §. 65. & seqq. Ergo etiam nov. test. sunt tantum duo sacramenta, videlicet baptismus, qui successit circumcisioni, Col. II. 11. *In Christo circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis peccatorum carnis in circumcisione Christi;* & cœna dominica, quæ successit agno paschali, Matth.

Matth. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus nov. test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Referri huc potest locus apostolicus: 1 Cor. X. 1. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt*, v. 2. *& omnes in Mosen baptizati sunt in nube & mari.* v. 3. *& omnes eandem escam spiritualem comederunt* v. 4. *& omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus*: ubi tantum duorum sacramentorum, videlicet baptismi & sacræ cœnæ typos & analogias apostolus ex vet. test. quærit.

5.) Quia hæc duo ad fidei confirmationem & salutem sufficiunt.

§. LVII. V.) Duo illa sacramenta a Christo instituta sufficiunt nobis ad fidei confirmationem & salutem. Ergo non opus est plura addere: ut per baptismum ad spiritualem vitam regeneramur: ita per sacram cœnam in ea nutrimur. Ut baptismus est sacramentum initiationis; ita sacra cœna est medium augmentationis & corroborationis. Ut per baptismum in fœdus Dei recipimur; ita per usum sacræ cœnæ in eodem conservamur. Ut per baptismum salutare illud regenerationis ac renovationis lavacrum Spiritus sanctus in nobis accendit & excitat fidem: ita per sacræ cœnæ usum eandem auget, confirmat & obsignat. Theophylactus in cap. IX. Joh. *Per aquam baptismi quidem regeneramur, per corpus autem & sanguinem Christi pascimur.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 8. lit. A. *Per baptismum mundamur, per eucharistiam in bono consummamur: baptismus actus vitiorum exstinguit, eucharistia spiritualiter reficit.*

Testimonia veterum.

§. LVIII. Veteres prout vocabulum *sacramenti* latius vel strictius usurpant, quandoque pauciora, quandoque plura sacramenta numerant. Quando autem agunt de illis ritibus, qui divinitus in nov. test. instituti, externum visibile elementum & promissionem evangelii propriam illi adnexam habent, duo tantum sacramenta numerant. Justinus apol. II. pro christ. pag. 73. describens ritus ecclesiæ, sive in Palæstina, ubi natus fuit, sive in Italia, ubi hanc apologiam edidit, duorum tantummodo sacramentorum mentionem facit. Locus est egregius, ideo præcipua ejus membra adscribemus. *Quomodo* (inquit) *Deo nos dicaverimus per Christum renovati, jam exponemus. Quicunque persuasi fuerint & crediderint vera esse, quae a nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobiscum illis una & orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur, nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei & servatoris nostri Iesu Christi & Spiritus sancti in aqua tum lavantur &c.* pag. 74. *Vocatur vero illud lavacrum illuminatio,* (φωτισμὸς) *quod eorum, qui haec discunt, mentes illuminentur,* pag. 76. *Nos autem secundum hujusmodi lavationem credentem jam & nobis adscitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces & supplicationes eum pro se ipsis tum pro illuminato & aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas, ut digni ideoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsi boni atque officiosi rerum administratores & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna. A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praest, τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν, offertur panis & poculum aquae & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum parenti per nomen Filii & Spiritus sancti offert, & eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exsequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis fausta adprobatione adclamat, dicens Amen! Praesidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus adprecatione laeta eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc*

apud

apud nos vocatur eucharistia &c. Tertullianus libr. I. adv. Marcionem cap. 9. p. 174. itidem duo tantum sacramenta numerat. *Sed ille quidem* (inquit) *usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat, etiam in sacramentis propriis, egens mendicitatibus creatoris.* (Per oleum ac lactis mellisque societatem intelligit ceremonias tunc conjunctas actioni baptismi, non autem peculiaria sacramenta a baptismo distincta. Lib. IV. adv. Marcionem c. 51. p. 313. *Si omnino negas permitti divortium a Christo, quando tu nuptias dirimis, nec conjungens marem & faeminam, nec alibi coniunctos ad sacramentum baptismi & eucharistiae admittens, nisi inter se conjuraverint adversus fructum nuptiarum, ut adversus ipsum creatorem.* (ubi Rhenanus in margine notavit: *baptisma & eucharistia duo sacramenta primitivae ecclesiae*) Libr. de corona militis. p. 519. *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia, sub antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo & pompae & angelis eius: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis & mellis concordiam praegustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiae sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus.* Libr. de resurrect. carn. p. 52. *Videamus nunc de propria christiani nominis forma, quanta huic substantiae frivolae ac sordidae* (carnem intelligit,) *apud Deum praerogativa sit &c. Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur;* (hæ ceremoniæ unctionis, signationis, χειροθεσίας erant olim in baptismi sacramento usitatæ,) *caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Cyprianus libr. II. epist. 1. ad Steph. *Tunc demum plene sanctificari & esse filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur.* Ambrosius cum in libro de iis, qui initiantur mysteriis, & in libris de sacramentis, ex professo explicationem doctrinæ de mysteriis seu sacramentis ecclesiæ polliceatur, tamen tantum de ritibus baptismi & cœnæ dominicæ tractat. Cyrillus Hierosolymitanus, ubi ex professo catecheses & μυσταγωγίας describit, tantum de mysteriis baptismi & cœnæ dominicæ agit, per chrisma, cujus mentionem facit, non intelligit peculiare aliquod sacramentum, sed ceremoniam actioni baptismi adjunctam. Augustinus vocabulum *sacramenti* sæpissime in lata significatione usurpat, pro quovis sacræ rei signo, (ita enim definit epist. V. ad Marcell. & libr. X. de civit. Dei cap. 5.) sive id mandatum sit a Christo in nov. test. sive ex vet. test. desumtum, vel a viris ecclesiasticis introductum: sive gratia per illud signum detur, sive tantum significetur: item sive sit gratia reconciliationis, sive aliud aliquod donum Spiritus, ut ex variis locis adparet, ubi chrismati, signo crucis, ordinationi & aliis ritibus *sacramenti* nomen tribuit; interim tamen ita numerat plura sacramenta, ut primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto loco ponat baptismum & eucharistiam. Epist. CXVIII. ad Januarium: *Primum tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in evangelio loquitur, leni jugo nos subdidisse & sarcinae levi, unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communio corporis & sanguinis eius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur.* Libr. III. de doctr. christ. c. 9. de sacramentis nov. test. loquens: *Pauca pro multis, eaque factu facillima et intellectu augustissima & observatione castissima ipse Dominus & apostolica tradidit disciplina, sicut est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini* (*). Paschasius in libr. de cœna Domini.

(*) Vide etiam epist. CLVII. In enchir. ad Laurent. cap. 120. Libr. IV. qq. super Num. q. 33. Libr.

mini. *Sunt autem sacramenta Christi in ecclesia catholica, baptismus, corpus quoque & sanguis Domini.* Bessarion cardinalis de sacram. euch. *Haec duo sola sacramenta in evangeliis manifeste tradita legimus* (**). Alexander Alensis part. IV. q. 8. art. 2. disputat, *a Christo tantum duo esse instituta sacramenta, baptismum & eucharistiam*, idque probat ex fluxione sanguinis & aquæ de Christi latere & ex testimonio 1 Joh. V. *reliquorum sacramentorum formam dicit Christum voluisse ordinari per ministros ecclesiae.* Cap. Multi secularem 1. q. 1. *ex Gregorio tantum tria numerantur sacramenta: baptismus, eucharistia & chrisma* Joh. Ferus in c. XIX. Joh. *Sanguis & aqua duo certissima fidei nostrae & ecclesiae sacramenta sunt* (***). Breviter, non potest proferri ex vera antiquitate expressum aliquod testimonium de septenario sacramentorum numero.

Exceptiones Bellarmini.

§. LIX. Bellarminus l. d. regerit: I.) *Justinum tantum meminisse duorum sacramentorum, quia id requirebat argumentum illius operis contra gentiles scripti.* Resp. ita meminit horum duorum sacramentorum, ut nec in hoc libro, nec alibi aliorum mentionem faciat. Diligenter describit ritus primitivæ ecclesiæ, nec tamen eorum ullibi meminit, quæ ritibus illis a Christo institutis adduntur, & sacramentorum nomine venditantur. Idem dicimus de Irenæo, ex quo pro stabiliendo septenario sacramentorum numero nullus apex proferri potest. II.) *Tertullianum loco de resurrectione carnis quatuor diversa ponere, baptisma, chrisma, eucharistiam, ordinationem.* Resp. per chrisma & manus impositionem non intelligit nova sacramenta, sed ceremonias baptismo adnexas. Damascenus libr. IV. orth. fidei c. 10. τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται μυούν τὴν χρίσιν ἡμῶν ἢ χρίσας ἡμᾶς ἐργαζόμενον ἢ τὸν τῆς θεᾶς ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τῆς ἁγίας πνεύματος ἔλαιον. *Oleum in baptismate adsumitur unctionem significans & Christos, id est, unctos nos efficiens & misericordiam Dei nobis adnuncians per Spiritum sanctum.* Bellarminus regerit, *singulis tribui proprios effectus, & manus impositionem eucharistiae postponi.* Atqui editio Rhenani manifeste ostendit, manus impositionem eucharistiæ præponi. Quod si ex peculiaribus illis effectibus, quos Tertullianus enumerat, peculiaria & diversa sacramenta inferri possent, consequens foret, signum crucis itidem peculiare sacramentum constituere. Libr. I. adv. Marc. oleo conjungit societatem lactis & mellis, ex quo manifeste adparet, non diversa sacramenta, sed ceremonias unius sacramenti, videlicet baptismi, diversas ab ipso describi. III.) *Ambrosium & Cyrillum chrisma distinguere a baptismo & eucharistia, ac tria tantum numerare sacramenta, cum scribant ad catechumenos, quibus uno die tria illa sacramenta*

33. Libr. XIX. contra Faust. c. 16. Libr. II. cont. lit. Petil. c. 37. Libr. contr. Donatist. de bapt. cap. 14. Libr. V. cap. 13. in enarrat. Psalm. XL. p. 320. in enarr. Psalm. LXXIII. p. 802. GERHARDUS.

(**) Nov. 137. c. 1. θεία λειτουργία Domini, quæ in praef. vocatur ἡ ἁγία προσκομιδὴ καὶ ἅγιον βάπτισμα, unde illud conjicere liceat, fuisse tum duas tantum θείων λειτουργῶν species in ecclesia cognitas, sanctum scilicet baptisma & sacram coenam. GERHARDUS.

(***) Cassander in consult. art. XIII. p. 97. *In hoc controversia nulla est, duo esse praecipua salutis nostrae sacramenta, in quibus principaliter salus constat & praecipitur, quoniam loquuntur Rupertus Tuitiensis de vict. verb. Dei libr. XII. c. 11. Hugo de S. Victore part. VIII. c. 2. de sacramentis, nempe sacrum baptisma & sacramentum corporis & sanguinis Domini; baptismati tamen ab Isidoro & eum secuto Rabano & Hugone de S. Victore sacramentum impositionis manuum seu chrismatis & confirmationis adjungitur, quo fit ut apud auctores paulo vetustiores inter sacramenta proprie dicta nunc duo ponantur, ut baptismus & eucharistia, nunc tria, cum baptismati chrismatis confirmatio adjungitur, nunc vero quatuor, cum corpus & sanguis Domini in duo sacramenta secantur, reliqua vero sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus scriptoribus comprehensa legimus.* GERHARDUS.

ta miniſtrantur. Reſp. imo vero in genere de ſacramentis tractant, ſi ergo plura agnoſcerent eſſe proprie dicta ſacramenta, plura etiam explicarent. Per chriſma intelligunt unctionem in baptiſmo olim uſitatam, ut late probat Chemnitius. IV.) *Patres ſolum ad propoſitum ſuum mentionem feciſſe aliquorum ſacramentorum, de aliis nihil dixiſſe, ex quo non poſſit colligi, eſſe tantum duo, vel non eſſe ſeptem.* Reſp. ſufficit nobis, quod ex vera antiquitate non poſſit evidens & diſertum proferri teſtimonium pro ſeptenario ſacramentorum numero, quem tamen ut fidei articulum ſub anathematis fulmine nobis Bellarminus obtrudit. Quod veteres alicubi etiam aliis ritibus nomen *ſacramenti* in ſenſu laxiori tribuunt, id nobis non adverſatur, cum hac ratione non ſolum ſeptem, ſed etiam plura ſacramenta numerent. Sic Auguſtinus in pſalm. LXV. omnes ritus, qui præter baptiſationem in actione baptiſmi tunc adhibebantur, vocat ſacramenta. Bernhardus in ſerm. de cœna Domini contendit, lotionem pedum eſſe ſacramentum remiſſionis peccatorum quotidianum. Quandoque pauciora numerant. Sic Dionyſius Areopagita in libr. de hierarch. eccleſ. inter myſteria ſeu ſacramenta eccleſiæ non numerat pœnitentiam, non matrimonium, non unctionem infirmorum, ſed pro ea habet unctionem mortuorum. Auctor ſerm. de ablutione pedum, qui Cypriano tribuitur, cum recenſere velit ſacramenta, quæ & Chriſtus ipſe inſtituit, & quæ poſtea apoſtoli dictante Spiritu ſancto tradiderint, non ſeptem, ſed quinque tantum numerat.

An noſtrates diſſentiant in numero ſacramentorum?

§. LX. Videamus, quid pro ſtabiliendo ſeptenario ſacramentorum numero Bellarminus adferat? Libr. II. d. off. ſacram. c. 23. de diſſenſu noſtrorum in hoc doctrinæ cœleſtis capite conqueritur, & novem diſtinctas opiniones recenſet. Prima, inquit, *opinio eſt Lutheri, qui in lib. de capt. Babylonica ſcribit, unum tantum eſſe ſacramentum, quamvis ſint tria ſacramentalia ſigna.* Reſp. in fine libri diſſertationes priores ſic concludit: *Proprie ea ſacramenta vocari viſum eſt, quae adnexis ſignis promiſſa ſunt, cetera quia ſignis adligata non ſunt, nuda promiſſa ſunt, quo fit, ut ſi rigide loqui velimus, duo tantum ſint ſacramenta, baptiſmus & panis, cum in his ſolis & inſtitutum divinitus ſignum & promiſſionem remiſſionis peccatorum videamus. Nam pœnitentiae ſacramentum, quod ego his duobus accenſui, ſigno viſibili & divinitus inſtituto caret.* Ex quo intelligitur, quod in laxiori ſignificatione ſacramentis pœnitentiam adnumeret. *Principio*, inquit, *neganda mihi ſunt ſeptem ſacramenta, & tria pro tempore ponenda, baptiſmus, pœnitentia, panis;* quæ omnia juxta ſcripturæ uſum unum ſacramentum eſſe diſputat, videlicet quia ad unum finem nempe fidei confirmationem ſpectant, licet ſigna ſacramentalia in illis ſint diverſa. Quod autem poſtea ſeptem ſacramenta ſe non damnare ſcribit, eo ſenſu intelligit, quod matrimonium, ordinationem & pœnitentiam non improbet, quodque confirmationem ritu apoſtolico adminiſtratam non damnet, licet ex ſcripturis probari nequeat, quod in ſacramentorum proprie ſic dictorum cenſum hæc omnia ſint referenda. Sic enim ſcribit in cap. de confirm. *Non haec dico, quod damnem ſeptem ſacramenta, ſed quod e ſcripturis ea probari negem. Atqui utinam eſſet in eccleſia talis manuum impoſitio, qualis erat apoſtolorum tempore, ſive eam confirmationem, ſive curationem adpellare vellemus &c. Nos autem pro hac vice ſacramenta divinitus inſtituta quaerimus, inter quae ut confirmationem numeremus, nullam invenimus cauſam; ad ſacramenti enim conſtitutionem ante omnia requiritur verbum divinae promiſſionis, quo fides exerceatur.* Secunda *opinio* (inquit Bellarminus) *eſt eorum, qui tantum duo numerant ſacramenta proprie dicta, baptiſmum & euchariſtiam.* Reſp. hæc non eſt opinio, ſed immota veritas, cui adſenſum præbent omnes eccleſiæ, ductum verbi divini ſecutæ. Tertia *opinio eſt eorum, qui tria numerant ſacramenta, baptiſmum, euchariſtiam & pœnitentiam.* Apologia Aug. conf. art. XIII. Reſp. quo ſenſu & reſpectu abſolutio in apologia ſacramentis proprie dictis adnumeretur, expoſuimus in tract. de pœnit. §. 22. Mi-

mirum respectus habetur ad principaliores quasdam sacramentorum proprietates, quæ in absolutione deprehenduntur, utpote, quod in ea singulis in specie peccatorum remissio adnunciatur, quodque ritus χειροθεσίας eidem conjunctus, aliquibus partibus quam proxime ad sacramentorum naturam accedit: interim tamen cum impositio manuum, quæ in absolutione adhibetur, non sit tale quoddam externum & visibile elementum, quale est in baptismo aqua, in sacra cœna panis & vinum; sed tantum ritus ac ceremonia quædam: cumprimis vero cum hic ritus non sit divina institutione expressus & absolutioni essentialis, sed indifferens & libere ab ecclesia usurpatus, ideo absolutio sacramentis propriissime & specifice sic dictis accenseri nequit. Colligitur hæc responsio ex ipsis verbis apologiæ: *Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus est addita promissio gratiae, facile est judicare, quae sint proprie sacramenta &c.* Atqui ad sacramentum propriissime & *specifice* sic dictum requiritur præter hæc etiam visibile & externum aliquod elementum. Quarta *opinio est Zwinglii, qui in libr. de vera & falsa religione matrimonium sacramentis adnumerat.* Quinta *opinio est Calvini, qui ordinationem illis accenset.* Resp. illorum opiniones ad nos nihil attinent, dicimus interim, quod accipiant vocabulum *sacramenti* in sensu latiori, ut evidenter adparet ex cap. de sacramentis in eodem libro Zwinglii, & ex libr. IV. c. 18. institut. Calvini, ubi duo tantum ordinaria & tori ecclesiæ communia sacramenta nobiscum numerant. Sexta *opinio est Philippi & Lossii, qui quatuor numerant sacramenta, baptismum, cœnam, pœnitentiam & ordinationem.* Septima *opinio est ejusdem Philippi, qui in locis ultimo editis matrimonium illis addit.* Resp. quo sensu ac respectu id factum fuerit, ex ipsa locorum inspectione manifeste patet. Octava *opinio est Postelli, qui sex numeravit sacramenta.* Resp. ea vero nos non attingit, cum ipse Bellarminus addat, Postellum *catholice*, id est, in fide Romana obiisse. Nona *opinio est Interimistarum, qui receperunt septem sacramenta.* Resp. nos metaxycum illud scriptum nunquam agnovimus vel recepimus, proinde Interimistarum vafricies veritati præjudicare nequit.

§. LXI. Gloriatur quidem Bellarminus, suæ fidei homines in septenario sacramentorum numero convenire, sed audiat Gregorium de Valentia in l. de num. sacrament. c. 3. & c. 7. *Catholici alii negant matrimonium, alii confirmationem, alii extremam unctionem esse univoce sacramentum.* Audiat Cassandrum libr. consult. art. XIII. *Apud auctores paulo vetustiores inter sacramenta proprie dicta nunc duo ponuntur, nunc tria, baptismus, eucharistia & confirmatio. Non temere quemquam reperies ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem ac definitum sacramentorum numerum statuerat, & de his septem non omnes quidem Scholastici aeque proprie sacramenta vocabant.* Verum hic fuisse Cassandrum, ex particulari eorum, quæ sacramentis accensentur, examine erit conspicuum. Durandus libr. IV. sent. dist. 26. q. 3. disputat, *matrimonium non nisi aequivoce sacramentum dici posse.* Agnoscit hoc ipse Bellarminus libr. I. de sacram. matrim. c. 5. *Ex nostris catholicis unus est Durandus, qui matrimonium sacramentum non nisi aequivoce dici posse disputat.* Sed non unus Durandus, verum etiam alii Pontificii ita statuunt. Sic enim Cassander l. d. *De matrimonio non modo Lombardus negavit in eo conferri gratiam, sed etiam post eum Durandus negat, matrimonium esse proprie dictum sacramentum.* Erasmus in 1 Cor. VII. p. 331. *Haud scio, an hoc sacramentum septimum* (matrimonium) *fuerit veteribus cognitum; primum quod Dionysius enumerans nominatim singula & singulorum vires, ritus ac ceremonias explicans de conjugio nullam facit mentionem: deinde cum tot voluminibus tractatum sit de matrimonio vel a graecis vel a latinis, nullus est locus, unde liqueat, illos conjugium inter septem sacramenta numerare &c.* Vide locum inregrum. De Melchiore Cano, scriptore pontificio, Bellarminus libr. I. de matrim. c. 6. *Canus, dum totis suis viribus probare conatur, matrimonium sine forma verborum a mi-*

An pontificii dissentiant in numero sacramentorum?

a ministro ecclesiastico prolata celebratum non esse sacramentum, simul etiam probat, quantum in se est, nullum revera in ecclesia esse conjugii sacramentum. De confirmatione scribit Alensis part. IV. q. 24. art. 1. *quod nec a Christo, nec ab apostolis, sed per concilium Meldense sit instituta*, quam esse Alensis sententiam agnoscit Gregorius de Valent. l. de num. sacram. c. 3. pag. 337. unde Biel libr. IV. sent. dist. 7. *Tres* (inquit) *contrariae de confirmatione sunt sententiae. Nam Alensis & Bonaventura docent, sacramentum hoc neque a Christo neque ab apostolis institutum, sed ab ecclesia in concilio Meldensi: quidam adserunt hoc sacramentum institutum & ministratum ab apostolis. Thomas, Scotus & alii dicunt a Christo institutum.* Holcottus, referente Cassandro l. d. negat, *confirmationem esse proprie sacramentum.* Scotus lib. IV. sent. dist. 7. q. 1. resp. ad 1. fatetur, *hoc sacramentum non posse probari ex scripturis.* Rationale divinorum officiorum indicat, *iamdudum quosdam fuisse, qui illud improbaverint, quos vocat Arnoldistas.* Bellarminus libr. II. de confirm. c. 8. ex scripturis conatur probare, *chrisma esse materiam consecrationis;* sed Toletus in instit. sacerdot. disputat, *apostolos in hoc sacramento non esse oleo usos, sed sola manuum impositione*, & addit: *Quaestio est, utrum balsamum sit necessarium in confirmatione ex necessitate sacramentorum? Communis opinio ait, alii negant.* De extrema unctione Suarez tom. IV. disp. 39. sect. 1. num. 2. *Inter catholicos nonnulli negarunt, Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo consequebatur*, (ipsi vero consequens non admittunt) *non esse verum sacramentum.* Cassander in consult. *Olim cum aeger oleo, quod infirmorum seu energumenorum dicebatur, ungebatur, haec verborum forma adhiberi solebat: Ungo te oleo sancto in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti obsecrans, ut per hanc sancti olei unctionem & nostram deprecationem sanitatem recuperes, per Dominum nostrum. Quapropter haec unctio olim, non, ut hodie fit, ad extremum vitae periculum & valetudinem jam deploratam differebatur.* Maldonatus in comm. cap. VI. Marc. *Idem, quod Lutherus & Calvinus docent,* (scilicet non agi ibi de sacramento extremae unctionis) *nonnulli, (mitto vetustiores, quos prohibet reverentia nominare) nuper catholici docuerunt.* Cajetanus in comment. cap. V. Jacobi: *Ex hoc loco nec ex verbis nec ab effectibus colligitur extrema unctio, sed unctio illa miraculosa, quam Christus instituerat sanandis aegrotis in initio evangelii: nam textus promittit allevationem infirmi, & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur: at unctio extrema non nisi in extremo mortis articulo adhibetur, & directe tendit ad remissionem peccatorum. Illa multos presbyteros vexabat, quod est ab extrema unctione alienum, sequitur enim in textu: Confitemini invicem, at quod in extrema unctione fit, non fit invicem, sed tantum a sacerdotibus.* De dissensionibus in sacramento poenitentiae suo loco diximus, de ordine alibi differemus. Eat nunc Bellarminus & jactet, sententiam Romanensium unam esse ac semper fuisse, quod septem sint proprie dicta sacramenta, quae ex divina institutione adnexam habeant promissionem gratiae justificationis.

§. LXII. Quae vero fulcra septenario sacramentorum numero supponit? Cap. 24. tria argumentorum genera profert: 1.) *Ex testimoniis scripturae & patrum, quae quidem non numerant sacramenta, tamen re ipsa omnia ista septem sacramenta vera & propria esse testantur.* 2.) *Ex testimoniis aliis conciliorum & doctorum, quae praecise numerum istum septenarium ponunt.* 3.) *Ex rationibus seu congruentiis quibusdam.* Ex scripturis & patribus hoc profert fundamentum, quod *definitio sacramenti non conveniat pluribus vel paucioribus ritibus, quam septem.* Talem igitur exstruit definitionem, quod *sacramenta sint ritus seu signa externa & sensibilia, quae ex divina institutione adnexam habeant promissionem gratiae justificationis.* Hanc definitionem competere dicit non solum baptismo & eucharistiae, sed etiam confirmationi, poenitentiae, extremae unctioni, ordini & matrimonio. *Resp.* quaenam sint essentialia requisita, ex quibus

Fundamenta numeri septenarii sacramentorum.

bus propria & adæquata sacramenti definitio exstruitur, ostendimus suo loco, eademque ab exceptionibus Bellarmini vindicavimus. Ea vero non habere locum in pœnitentia ostendimus in tract. de pœnit. §. 23. & seqq. nec locum illis esse in matrimonio & ordine, in explicatione illorum articulorum docebimus. Restat igitur, ut de confirmatione & extrema unctione hac vice agamus, an scilicet omnia & singula requisita sacramenti proprie sic dicti illis competant?

An confirmatio sit sacramentum?

§. LXIII. De *confirmatione* docet Bellarminus, quod sit *sacramentum vere ac proprie sic dictum;* libr. II. de confirm. c. 2. & seqq. quod *ejus materia remota sit oleum balsamo admixtum atque ab episcopo consecratum: proxima vero unctio ex praedicto oleo in fronte adhibita ad formam seu figuram crucis;* c. 8. quod *forma ejus sit: Consigno te signo crucis & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti;* c. 10. quod *effectus eius sit duplex: unus, conferre gratiam gratum facientem & quidem majorem, quam ipse baptismus, in ordine ad roborandam animam contra diaboli impetus, sed minorem in ordine ad remissionem peccati: alter, imprimere characterem, quo adscribimur in Christi militiam;* c. 11. quod *minister ejus sit solus episcopus;* c. 12. quod *certis quibusdam ceremoniis chrisma consecretur, & in ipsa collatione hujus sacramenti adhibeatur* c. 13. Nos in his omnibus desideramus mandatum & institutionem divinam. Ubi enim præcepit Christus homines ungi chrismate? ubi mentio sit elementi illius externi, videlicet olei? ubi exstat forma illa consecrationis: *Exorcizo te per Deum omnipotentem Patrem, qui cœlum & terram & mare condidit, omniaque, quae in iis sunt, ut omnis virtus satanae omnisque exercitus diaboli, omnes insultus, omnes praestigiae satanae radicitus inde evellantur, & fiat illud chrisma cunctis, qui eo unguntur, utile ad adoptionem Dei per Spiritum sanctum in nomine † Dei omnipotentis Patris & in charitate Jesu Christi † Filii ejus, qui cum illo vivit Deus verus & in unitate † Spiritus sancti?* ubi exstat forma administrationis: *Consigno te signo crucis? &c.* ubi effectus illi tribuuntur chrismati, quod conferat gratiam gratum facientem, & characterem indelebilem inprimat? Ergo præter institutionem divinam desideratur etiam promissio, quod Deus per hoc medium spiritualia dona largiri velit; desideratur etiam exemplum, neque enim ullus apostolorum legitur baptizatos chrismate unxisse, ut ad spiritualem luctam adversus satanam hac ratione armarentur.

Argumenta pro stabiliendo confirmationis sacramento.

§. LXIV. Regerit Bellarminus libr. II. de effectu sacrament. c. 24. quod repetit libr. II. de confirmat. c. 2. *In scripturis haberi 1.) promissionem gratiae, 2.) signum sensibile cum verbo, quod sit medium seu organum, quo adplicetur promissio, 3.) mandatum divinum, quo id jubeatur ministrari. Promissio,* inquit, *amplissima habetur* Joh. XIV. *ubi Dominus promittit paracletum, quae* cap. XV. *&* XVI. Joh. *uti &* Luc. XXIV. *&* Act. I. *repetitur. Medium seu organum sive signum sensibile, quo adplicetur illa promissio, fuit manus impositio cum oratione, cuicunque enim baptizato apostoli manus imponebant, super eum veniebat Spiritus sanctus. Pro mandato damus mandati executionem: nunquam enim apostoli ita ordinarie & secure imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset.* Resp. hæc nondum probant, chrismatis unctioni promissionem gratiæ evangelii propriæ divinitus adnexam esse, ut sit ordinarium & perpetuum nov. test. sacramentum. Quod enim attinet promissiones illas de Spiritu sancto, illæ non sunt unius generis: *quaedam* enim solos apostolos & christianos in primitiva ecclesia concernunt, quibus miraculosa illa Spiritus sancti dona fuerunt a Christo promissa, & apostolis quidem in die pentecostes, reliquis vero per χειροθεσίαν apostolicam collata, quæ temporibus succedentibus desierunt: *quaedam* vero sunt generales promissiones, quæ omnes omnium temporum fideles concernunt, quibus communia illa & omnibus

ad

ad salutem necessaria Spiritus sancti beneficia a Christo promittuntur. Quod ad medium sive signum sensibile attinet, utebantur apostoli ad collationem miraculosorum illorum Spiritus sancti donorum manuum impositione, quæ fuit etiam in vet. test. usitata ceremonia, nullo autem unquam chrismate certis exorcismis consecrato usi leguntur, tantum abest, ut peculiare & perpetuum nov. test. sacramentum, ac ordinarium conferendi Spiritus sancti dona medium illa manuum impositione introducere voluerint. Neque enim in miraculosa illa donorum Spiritus sancti collatione tantummodo hac ceremonia usi sunt, sed etiam ad morbos pellendos, ad cœcitatem tollendam, ad ordinationem episcoporum &c. Jam vero externum elementum est cuilibet sacramento peculiare ac proprium. Non sufficit ad sacramentum constituendum qualiscunque externa ceremonia libere & indifferenter una cum oratione in collatione qualiumcunque beneficiorum divinorum adhibita, sed requiritur certum elementum, cui divina institutione promissio gratiæ evangelii propriæ sit adnexa, illam si chrismati suo adnexam esse probaverint, res erit expedita. Denique quod Bellarminus hoc loco scribit: *Nunquam apostoli ita ordinarie & secure imposuissent omnibus baptizatis manus, ut veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus id eis mandasset*, ejus contrarium statuit libr. II. de confirm. cap. 2. §. Hæc quoque solutio: *Inprimis* (inquit) *non ostendent adversarii, ubi mandaverit Dominus apostolis, ut manus imponerent ad Spiritum sanctum recipiendum &c. neque ostendent, apostolis usquam factam esse promissionem, ut cui manus imponerent, daretur Spiritus sanctus.*

An extrema unctio sit sacramentum?

§. LXV. Extremam *unctionem* Bellarminus statuit *esse vere & proprie sacramentum nov. testam. a Christo Domino nostro apud Marcum insinuatum, per Iacobum autem apostolum fidelibus commendatum & promulgatum, in quo organa sensuum, oculi, aures, nares, labia, manus, pedes & renes oleo exorcizato in morituris inunguntur:* libr. I. de extrema unct. cap. 2. & seqq. *materiam ejus esse oleum olivae ab episcopo benedictum, ita ut consecratio & benedictio episcopalis in hoc sacramento sit de essentia materiae: formam esse illa verba: Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* cap. 7. *effectus illius sacramenti duos esse, unum quod sanet corpus, si ita expediat animae saluti, alterum quod absergat reliquias peccatorum*, c. 8. *ministrum esse presbyterum, id est, sacerdotem & consequenter episcopum, si is velit*, cap. 9. *ceremonias esse duas, ut recitentur litaniae, & ut septem corporis partes ungantur.* cap. 10. Resp. nos itidem in hoc sacramento desideramus verbum institutionis & promissionis. Ubi enim illa morti vicinorum unctio mandata? ubi exprimitur elementum externum? ubi habentur exorcismi, quibus oleum illud consecrandum? ubi tribuitur unctioni illi remissio peccatorum? *Sanent te*, dicitur in illa unctione, *omnes angeli, archangeli, omnes sancti patriarchae, prophetae, omnes apostoli & evangelistae, martyres, confessores, virgines &c.* ubi vero a defunctis sanctis animæ sanatio peti vel sperari jubetur? ubi exprimuntur partes corporis inungendæ?

Fundamentum extremæ unctionis ex Iac. V. Orent super eum ungentes.

§. LXVI. Regerit Bellarminus libr. II. de effect. sacram cap. 24. Jacobi V. haberi ritum: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini;* item promissionem: *& allevabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittetur ei. Mandatum colligi ex eo, quod apostolus non auderet ita absolute promittere tantum effectum, nisi a Domino id accepisset.* Libr. I. de extrema unctione c. 2. disputat contra Thomam Waldensem, Alphonsum de Castro & alios, Marc. VI. *non describi unctionem illam sacramentalem, sed tantum figuram quandam & adumbrationem illius.* Resp. 1.) Cajetanus in comment. Jac. I. diserte scribit, *nec ex verbis, nec ex effectis colligi posse, quod locus ille de sacramento extremae unctionis agat.* 2.) Jacobus non de alia, sed eadem plane unctione agit, de qua Marc. VI. Chri-

Christus loquitur, ut ostendunt non solum circumstantiæ textus, sed etiam Beda, Theophylactus & Oecumenius in comment. Agnoscit hoc quodammodo ipsum concilium Tridentinum, quod cap. 1. de extrema unctione dicit, hoc sacramentum esse a Christo domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, (can. I. dicunt, a Christo esse institutum) per Jacobum autem apostolum ac fratres Domini fidelibus commendatum & promulgatum. Jam vero Marci VI non instituitur peculiare aliquod & perpetuum nov. test. sacramentum; sed miraculosa infirmorum sanatio describitur, quam oleo adhibito apostoli in primitiva ecclesia conferebant, quæque fuit donum in ecclesia primitiva singulare & temporaneum. 3.) Idem ergo statuendum de loco Jac. III. Ex ipsis enim verbis textus adparet, sanitatem corporalem adsignari unctionis illius finem ac fructum, *Dominus allevabit eum.* Atqui unctio illa sacramentalis non adhibetur, nisi iis, quos morituros esse adparet, unde etiam extrema dicitur. 4.) Remissio peccatorum non unctioni, sed deprecationi presbyterorum, quæ pro infirmantibus ad Deum facta propriam fidem ejusque augmentum & confirmationem ipsis impetrare potest, adscribitur. 5.) Quod si vel maxime ex loco Jacobi materiale hujus sacramenti evinci posset, unde consecratio olei, quam ad essentiam materiæ pertinere Bellarminus disputat, probari posset? unde forma? unde objectum hujus sacramenti, septem scilicet partes corporis inungendas esse, non plures nec pauciores, quod itidem ad essentiam sacramenti requiri autumat? 6.) Unctione illa apostoli & alii fideles θαυματέργοι in primitiva ecclesia utebantur ad sanationes miraculosas, non ex necessario quodam Domini mandato, sed velut externo quodam symbolo libere usurpato, quandoque enim solo verbo, Act. III. 6. quandoque impositione manuum, Marc. XVI. 18. quandoque contactu, umbra, sudariis, semicinctiis ad sanandos infirmos usi leguntur. Act. V. 15. & cap. XIX. 12. Atqui si illa unctio esset sacramentum ægrotis adhibendum, certe apostoli ea semper fuissent usi, quando ipsis cum ægrotis res fuit. 7.) Ut interim de auctoritate epistolæ Jacobææ nihil dicamus, quam Eusebius libr. II. eccles. histor. cap. 23. expresse adserit νοθεύεσθαι (*).

§. LXVII. In eodem capite Bellarminus movet quæstionem de lotione pedum a Christo usurpata, Joh. XIII. quam non esse sacramentum probare conatur, sed non satisfacit argumentis contrariis. Est enim ibi mandatum Christi v. 14. *Si ego lavi pedes vestros Dominus & magister vester, & vos debetis alter alterius pedes lavare*, v. 15. *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Est ibi externa ceremonia, videlicet lotio pedum, est ibi elementum externum, scilicet aqua, adest promissio gratiæ: v. 8. *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* v. 10. *Qui lotus est, mundus est totus.* Cyprianus in serm. de ablutione pedum, Ambrosius libr. III. de sacram. cap. 1. Bernhardus in serm. de cœna Dom. vocant sacramentum. Definitio sacramenti, quam proponit catechismus Tridentinus, & quam laudat Bellarminus libr. I. de sacram. c. 11. *quod sit res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis & justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet*, lotioni pedum adcommodari potest. Respondet Bellarminus, 1.) *lotionem pedum non habere promissionem gratiae justificantis*, at postea ex Ambrosio scribit, per illam lotionem remitti reliquias originalis peccati. 2.) *Non haberi mandatum frequentandi illius ritus.* Atqui v. 14. diserte dicitur ὀφείλετε *debetis invicem pedes lavare, mandatum dedi vobis.* Excipit Bellarminus, *praecipi humilitatem & caritatem, ut exponunt Cyrillus & Chrysostomus, non autem materialem pedum lotionem, ut ex praxi ecclesiae*

An lotio pedum sit sacramentum?

(*) Integrum Eusebii locum supra indicatum recitavit Gerhardus *tom. II. loc. theolog. p. 122, 123.* ubi & de epistola Iacobi eiusque auctoritate copiose differuit. Conferenda, quæ nos ibidem in notis textui subiectis hanc in rem diximus.

fiae conſtet. Atqui obverti poſſet, utrumque a Chriſto requiri (*). Praxis eccleſiæ adverſatur Bellarmino, ipſe enim ex Ambroſio recitat, lotionem illam fuiſſe in quibusdam eccleſiis, præſertim Mediolanenſi uſitatam, & Romæ a pontifice ſimulachrum ejus proponitur, quando cardinalibus unum pedum in die paraſceves lavat: præterea illa pedum lotio commendatur ab apoſtolo, 1 Tim. V. 10. ac denique epiſcopi quotannis lavant pedes quorundam pauperum, ut ſcilicet Chriſtum imitentur. Patrum teſtimoniis reſpondet, loqui ea de unico lotionis a Chriſto tunc adminiſtratæ actu. Atqui diverſum oſtendit inſpectio textus apud Ambroſium & Bernhardum. Stapletonus in cap. XIII. Joh. agnoſcit, *patres non loqui ſaltem de unica illa lotione*: adde, quod hæc expoſitio Bellarmini ſit incommoda, quia illa pedum lotio ad nos nihil attinet, niſi eam ut exemplar ex Chriſti mandato ſequamur. Vera ſententia eſt, quod ſcopus Chriſti Joh. XIII. non ſit inſtituere novum ac peculiare aliquod nov. teſt. ſacramentum, ſed ritu lotionis pedum in orientalibus regionibus uſitato tum humilitatem, tum mutuam caritatem commendare, ut latius expoſuimus in poſt. eccleſ. conc. die Viridium. Et eſt in verbis Chriſti locutio *ſynecdochica*, ponitur enim ſpecies pro genere, ſiquidem apud Judæos familiare erat, ut frequenter lavarent pedes, quia propter caliditatem regionis pulvere & ſudore pedes facile inquinabantur; fuit autem officium illud lotionis ſervile, quod contemtis & vilibus perſonis demandari ſolebat, ut patet ex 1 Sam. XXV. 41. quo modo intelligendus etiam locus Paulinus 1 Tim. V. 10. Eo igitur reſpicit Chriſti concio, quod non debeamus proximo deeſſe, ſed ex vera & ſincera caritate atque humilitate ipſi inſervire etiam in viliſſimis quibusque officiis. In dictis patrum vox *ſacramenti* late accipitur pro quolibet ſacræ rei ſigno. Verba Chriſti: *niſi lavero te, non habes partem mecum*, loquuntur vel de fructu paſſionis Chriſti, cujus *ſanguis emundat nos ab omnibus peccatis*, 1 Joh. I. 7. nam & hujus rei ſymbolum in hac lotione myſtice propoſitum fuiſſe, non abſurde ſtatuitur; vel de pœna inobedientiæ reluctantis Petri.

§. LXVIII. Cap. 25. profert Bellarminus pro ſtabiliendo ſeptenario ſacramentorum numero teſtimonia Scholaſticorum & conciliorum poſteriorum Florentini ac Tridentini, quorum auctoritas quanti æſtimanda ſit, illis, qui norunt inter verbum Dei & traditiones humanas, inter lucem & tenebras atque inter glandes & fruges diſcernere, non eſt ignotum. Addit autem ſub finem hujus capitis immane pronunciatum, quod *omnium dogmatum firmitas pendeat ab auctoritate praeſentis* (Romanæ) *eccleſiae*; quam eſſe ultimam ἀνάλυσιν ac reſolutionem fidei papiſticæ in ſcrinium ſc. Romani Pontificis, quem auguſto eccleſiæ nomine inſignire ſolent, libenter concedimus. Cap. 26. profert rationes, quas propter infirmitatem vocat congruentias. Prima ducitur *a ſimilitudine vitae corporalis & ſpiritualis. Ut enim in vita corporali requiritur regeneratio, augmentatio nutritio, remedium contra morbos & morbi reliquias: parentes etiam ac magiſtratus: ita haec omnia in vita ſpirituali requiruntur & per ſacramenta homini conferuntur, utpote per baptiſmum regeneratio, per confirmationem augmentatio, per euchariſtiam nutritio, per pœnitentiam remedium contra peccatum, per unctionem extremam remedium contra reliquias peccati: per matrimonium propagantur homines ad cultum Dei deputandi, per ordinem ſacrum reguntur ac gubernantur.* Altera ratio du-

Rationes pro ſtabiliendo ſeptenario ſacramentorum numero excogitatæ.

(*) Venator, theologus Remonſtrantium, theol. veræ & meræ pag. 13. quæſt. *An non Jeſus diſcipulis ſuis etiam inſtituit ac mandavit externum aliquod & viſibile ſacramentum humilitatis & mutuorum officiorum?* Reſp. *Lotionem pedum, uti nobis prolixe hoc deſcribit Johannes XIII. a v. 1. ad 18.* GERHARDUS.

ducitur *ex numero peccatorum*; Tertia *ex numero virtutum*, Quarta *ex numeri septenarii celebritate in expiationibus*. Resp. 1.) Hæ congruentiæ fortassis locum habere possent, si firma fundamenta ex scripturis prius essent posita. Numeri, ut nullam operandi, sic & nullam probandi vim habent. 2.) Eædem rationes locum habuissent etiam in vet. test. ergone & illic septem fuerunt sacramenta? Bellarminus regerit, *sacramenta vetera non fuisse instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali*: sed contrarium ostendimus suo loco; adde, quod hoc effugium argumenti nostri vim nequaquam infringat, quæritur enim, an a septenario ad numerum sacramentorum valeat consequentia? id si adseritur, utique etiam in vet. test. fuerunt septem sacramenta. Vide Meisnerum part. II. sob. philos. sect. 2. c. 3. q. 7. 3.) Requisita illa vitæ spiritualis, uti etiam morbi ac virtutes, vel in arctiorem numerum contrahi, vel in latiorem expandi possent, si quis otiosis illis speculationibus indulgere vellet. 4.) Agnoscit hoc ipsum Biel, qui libr. IV. sent. dist. 8. q. 1. art. 3. dub. 2. quærit, *an consecratio sit sacramentum*, & respondet, quod sic. Postea sibi objicit, *sic fore plura sacramenta, quam septem*. Respondet autem: *in veritate & simpliciter loquendo plura sunt, quam septem sacramenta, ut patet de sacramento ordinis, quod sub se continet septem vel octo sacramenta a se ipsis distincta; sed illa sacramenta, quae ad idem ordinantur, licet sint plura in se, dicuntur tamen adgregatione & ordine ad eundem finem proximum unum sacramentum.* 5.) Cur non addit Bellarminus etiam reliquas congruentias a scriptoribus pontificiis usurpatas? Synodus Petri Covienfis c. 33. *Quid vel evangelicae doctrinae adversatur, vel eam obscurat, si qui Spiritui sancto familiaris est numerus, eo sacramenta comprehendi voluit ecclesia? cum etiam dona Spiritus sancti septem recenseantur, cum septem sigillis, quibus fuit vet. test. pagina signata, quae agnus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, reseravit, septem tubis, quibus angeli cecinerunt, septem stellis, quas habebat similis Filio hominis in manu, septem panibus, quibus Dominus turbas pavit, septem oculis super lapidem, septem lucernis tabernaculi super unum candelabrum positis &c. adumbrata esse existimentur?* (*). Biel libr. IV. sent. dist. 1. q. 1. præfert omnibus aliis congruentiis eam, quam primo loco Bellarminus profert & addit; *sunt etiam aliae, sed minus pertinentes, quae plures patiuntur instantias.* Ergo etiam illa, quæ omnibus præfertur, instantias patitur. Atque hæc de sacramentorum numero dicta sunto, restat, ut ad specialem sacramentorum nov. test. ἐξήγησιν descendamus.

(*) Blasius Viegas in cap. I. Apoc. pag. 75. *De Samsone dicitur* Jud. X. 19. *quod in septem crinibus maximam suam fortitudinem haberet, quibus resectis fortitudo ab eo recessit. Sic in septem sacramentis quasi in septem crinibus Christus suam fortitudinem ostendit, quia ea ad gratiam communicandam instituit, quae cum haeretici negant, quasi Christo fortitudinem exscindere moliuntur.* GERHARDUS.

LOCUS

LOCUS XXI.

DE

BAPTISMO.

PROOEMIUM.

§. I.

Connexio cum loco præcedente.

Absoluta generali sacramentorum θεωρία, expositis etiam vet. test. sacramentis, restat ut in specie de sacramentis nov. test. videlicet de sacro *baptismo* & sacra *cœna* tractetur (*). Priorem vero tractationis locum sibi vendicat sacramentum *baptismi*, eum sacra Cœna prius sit 1.) *institutione*; constat enim baptismum in primo statim nov. test. exordio divinitus institutum; sacramentum autem cœnæ dominicæ immediate ante passionem Christi, hoc est, triennio integro, &c, quod excurrit, post baptismi institutionem. 2.) *Administratione*, quia Johannes & discipuli Christi baptizarunt, cum sacra cœna nondum esset instituta. Matth. III. 6. Joh. IV. 2. &c. 3.) *Ordine*, quia baptismus est προπύλαιον seu πρόθυρον prima porta gratiæ, est sacramentum *initiationis*; cœna dominica est sacramentum *confirmationis*, per baptismum regeneramur; per sacram cœnam nutrimur atque alimur ad vitam æternam. Ut ergo in natura, ita quoque in gratia prius est nasci, quam pasci, generari quam augmentari. Per baptismum in fœdus Dei recipimur, per usum sacræ cœnæ in eo conservamur. Per baptismum fides & reliqua Spiritus sancti dona in nobis accenduntur, per usum sacræ cœnæ augentur & confirmantur. Baptismi figura præcessit in circumcisione; sacræ vero cœnæ in agno paschali. Nec cuiquam patet ad sacram cœnam aditus, nisi sacro baptismate prius fuerit tinctus, quemadmodum in vet. test. non nisi circumcisi ad esum agni paschalis admittebantur. Exod. XII. 48. 49. (**).

(*) Quæritur hic, *an dogma baptismi sit fundamentale fidei dogma?* Ostorodus Photinianus miratur & conqueritur, *tantopere eaque cum vehementia pro integritate baptismi depugnari, ac si universam religionem christianam corruere oporteat, ubi error in hoc articulo commissus fuerit.* inst. cap. 39. §. 1. p. 346. Ex quo intelligitur per Ostorodi hypothesin corrupta doctrina de baptismo nihilominus religionem christianam consistere integram; quod eos sentire, mirum non est, cum baptismum statuant tantum ritum externum omni spirituali effectu destitutum. Sed observa contra: 1.) Quod fidei dogma sit, ostendit medium nostræ spiritualis restitutionis, per quod regeneramur & renovamur, Christum induimus, a peccatis mundamur, in fœdus a Deo recipimur, & ad salutem æternam pervenimus, illud est fundamentale fidei dogma. At tale est dogma de baptismo aquæ. Ergo. 2.) Omnis articulus, quo corrupto vera doctrina de officio Christi salva & integra esse nequit, est *fundamentalis*, quia fundamentalis fidei articulus est non solum, qui constituit fundamentum, sed etiam quo læso consequenter ipsum fundamentum læditur. Doctrina de baptismo ita est comparata. Ut enim de officio Christi recte doceatur, opus est, ut salutariter tractentur hæc duo, beneficiorum impetratio & impetratorum adplicatio. Adplicationis media sunt verbum & sacramenta &c. GERHARDUS.

(**) Doctrina de baptismo complectitur illius ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν. Ονοματολογία monstrat vocis 1.) notationem. 2.) ὁμωνυμίαν. Aliter enim sumunt patres, aliter scriptura. Patres *late* pro *baptismo flaminis, sanguinis, pœnitentiæ, lachrymarum*. Scriptura vel *tropice* vel *proprie*. Tropice vel *metaphorice*: 1.) pro effusione Spiritus sancti, 2.) pro cruce & calamitatibus, 3.) pro transitu Israelitarum

CAPUT I.

DE ETYMOLOGIA ET HOMONYMIA BAPTISMI.

§. II. Βαπτισμὸς & βάπτισμα ἀπὸ τῦ βαπτίζειν *immergere, intingere* & proprie quidem aquæ (*). Cognationem habet cum verbo βυθίζω & βαθύνω, quorum utrumque significat in profundum *demergere*: illud originem trahere videtur a βύω, unde βύθος seu βυθὸν, quod *fundum* significat, & *profundum* sive profunditatem; item ἄβυσσος, εἰς ἣν ὰθεὶς εἰσέρχεται δια τὸ βάθος, ut Græci interpretantur. Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας: βαπτίσον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν *merge te ipsum in mare.* Idem recitat versiculum Sibyllæ de Athenis in vita Thesei, (quem de ecclesia Christi rectius usurpaveris) ἀσκὸς βαπτίζη δύναι δέ τοι ὰ θέμις ἔςι.

Etymologia.

Mergeris uter aquis, sed non submergeris unquam.

Idem in vita Galbæ μεταφορικῶς dixit βεβαπτισμένος ὀφειλήμασι, *immersus debitis.* In moralibus, βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν πραγμάτων *opprimi mole negotiorum.* In vita Phocionis, βαπτίζεσθαι τοῖς πόνοις ὑπερβάλλεσι *submergi laboribus immodicis.* Aphroditus libr. I. probl. βεβαπτισμένος τῷ σώματι *demersus in corpus.* In hac immergendi significatione usurpatur 2 Reg. V. 14. καὶ ἐβαπτίσατο ἐν τῷ Ιορδάνη ἑπτάκις, *mergebatur in Iordane septies.* Esaj. XXI. 4. ἡ ἀνομία με βαπτίζει *immergit, ac submergere me nititur.* Gregorius Nazianzenus orat. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα p. 643. μὴ γεννώμεθα χρισοκάπηλοι καὶ χρισέμποροι, μηδὲ φορτιθῶμεν πλέον ἢ δυνάμεθα φέρειν, ἵνα μὴ ἀυτάνδρωτῇ νηὶ βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ χάρισμα ναυαγήσωμεν. *Non caupones Christi, non institores fiamus, neque majus suscipiamus onus, quam ferre possimus, ne una cum navi submergamur, & ipsi & gratiam naufragio perdamus.* Quia vero illi, qui aquis immerguntur, & ex illis emergunt, loti & mundi adparent, ideo βαπτισμὸς & βαπτίζειν ex consequenti pro quavis *ablutione* usurpantur, si vel maxime fiat tantum adspersione, vel adfusione, vel particulari tinctione, βαπτίζειν enim descendit a βάπτειν, quod in genere significat *tingere, lavare, imbuere, immergere*, Judith. XII. 8. ἐβαπτίζετο τῆς πηγῆς ἐπὶ τῷ ὕδατος, *lavabat se in aqua.* Sir. XXXIV. 30. βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, *qui se lavat, postquam mortuum tetigit.* Marc. VII. 4. οἱ Ιουδαῖοι ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι, *nisi laverint sese*, quod v. 3. præcedente sic exponitur: ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, (τὸ πυγμῇ plerique secuti vulgatam versionem reddiderunt *crebro*; existimant enim esse ductum a pugna pugilum, quæ dicitur πυγμὴ. Syriace *adcurate & diligenter*, Arabice: *frequenter & saepissime.* Theophylactus interpretatur

tarum per mare rubrum: vel *synecdochice* pro institutione seu doctrina. Proprie: a.) *generatim* pro quavis ablutione. b.) *speciatim* pro sacramento initiationis. 3.) συνωνυμίαν. Synonyma alia *patrum*, alia *scripturæ*. Patribus vocatur *prima porta gratiæ, investitura christianismi, ecclesiæ janua &c.* Scripturæ sunt vel synecdochica, *aqua* Hebr. X. 22. 1 Joh. V. 6. vel *periphrastica*, partim ab essentialibus: *lavacrum aquæ in verbo*; Eph. V. 26. partim ab effectu: *lavacrum regenerationis & renovationis*, Tit. III. 5. *interrogatio bonæ conscientiæ in Deum*; 1 Petr. III. 21. vel typica: *circumcisio, quæ fit sine manibus*, Col. II. 11. *diluvium*, Psalm. XXIX. 10. πραγματολογία versatur circa necessaria & libera. GERHARDUS.

(*) Eandem cum verbo βαπτίζω significationem habet βαπτω *tingo.* Βαπτειν ὑδριαν dicitur, qui aquam e puteo, vel flumine haurit, quod fieri haud potest, nisi tota situla sub aqua mergatur. Ecclesiæ latinæ patres pro βαπτίζειν verbum latinum *mergito* olim adhibuerunt. Vid. TERTULLIANUM de *coron. milit. cap. III. p. 289.* itemque HIERONYMUM *adversus Luciferianos.* A *propria* itaque verbi βαπτίζειν *significatione* βαπτισμα vel βαπτισμὸς proprie *immersionem, intinctionem* denotat. Vid. SUICERUM in *thesauro ecclesiast. tom. I. p. 622. segq.*

tatur ἄχρι τῦ ἀγκῶνος, ut significet Judæos consuevisse manus a cubito ad digitos usque lavare; Græci enim illud spatium inter mensurarum nomina ponentes vocant πυγόνα: de hac lotione vide Drusium lib. II. præterit p. 66. ex Manahemo Ricinensi comment. in Mosen 198.) v. 4. & 8. referuntur βαπτισμοὶ ποτηρίων καὶ ξεστῶν καὶ χαλκείων, καὶ κλινῶν, *baptismata calicum urceorum, aeramentorum & lectorum*, quod in genere de lotionibus istorum utensilium accipiendum esse constat. Luc. XI. 38. Pharisæus mirabatur, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, *quod non prius lavaret se.* Hebræis τὸ βαπτίζειν respondet טָבַל Lev. IV. 6. Job. IX. 31. 2 Reg. V. 14. &c. & טָבַע Exod. XV. 4. Psalm. IX. 16. LXIX. 3. &c. quorum utrumque significat *mergere, immergere, intingere, infigere* (*). Germanicum *Tauff*, Alstedio in lex. theol. c. 12. p. 315. videtur descendere ab hebraico *Tau*, quod alii legunt *Taf*, hoc est, signum, sed rectius deducitur a *Teuffen*, quod est intingere *eintauchen*, quia mersio in aquam in locis calidioribus circa admirationem hujus sacramenti fuit usitata. Lutherus serm. de sacram. bapt. tom. I. Jen. germ. f. 186. *sine dubio in lingua germanica vocabulum baptismi descendit a voce Tieffe, quia baptizatus alte immergitur.* Quod si omnino placet vocabuli & origine & usu germanici hebræam originem quærere, posset a טָבַע deduci, a quo germanicum *Badt*, per *metathesin* literarum descendit, item טַבַּעַת *annulus*, sic dictus, quod digitus illi immergatur vel infigatur. Ut autem annulus datur in desponsatione novorum conjugum: ita per baptismum fit stipulatio & spiritualis desponsatio inter Christum sponsum & ecclesiam sponsam. Quod Phavorinus scribit βάπτισμα dictum quasi πίπτον τὸ παιδίον, *quod delicatum quodammodo ibi ruat*, quædam allusio potius, quam etymologia habenda est.

§. III. (**) Βαπτισμὸς igitur & βαπτίζειν in sacris literis, præsertim in nov. test. usurpantur vel *proprie*, vel *tropice*. *Proprie* significant 1.) γενικῶς quamvis lotionem atque immersionem, quo pertinent lavacra Israelitis divina lege tradita, quæ dicuntur διαφοροι βαπτισμοὶ Hebr. IX. 10. ac superstitiosæ illæ Judæorum lotiones e traditione veterum acceptæ Marc. VII. 4. & 8. Luc. XI. 38. 2.) εἰδικῶς καὶ ἐξοχικῶς sanctum illud nov. test. sacramentum, quo homo abluitur in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, ad remissionem peccatorum, regenerationem & salutem, quæ significatio in scriptis evangelistarum & apostolorum est frequentissima. *Tropica* significatio est vel *metaphorica* vel *synecdochica*. Metaphorice significat 1.) crucem, calamitates & adflictiones, Matth. XX. 22. Marc. X. 38. *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Chrysostomus hom. LXV. in Matth. *Propter me & praedicationis meae gratiam moriemini, meaeque passionis participes eritis?* Luc. XII. 50. *Baptismo oportet me baptizari, & quomodo coarctor, usque dum hoc perficiatur?* Ratio adpellationis potest esse *duplex:* Etenim vel respectus habetur ad illa scripturæ loca, in quibus piorum adflictiones gurgitibus aquarum conferuntur. Quemadmodum illi, qui aquis immerguntur, sibi sub illis pereundum esse cogitant: ita quoque sub cruce cogitamus, nobis omnino pereundum esse, sed postea sequitur divina liberatio. Psalm. XVIII. 17. *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. XXXII. 6. *In aquarum multarum mundatione ad eum non adproximabunt.*

Ὁμωνυμία.

(*) Syris עְמַר est *tingere, lavare, baptizare*, inde מְעַמּוּדִיתָא *baptismus* Marc. I. 4. עְמָרָא item מַעְמְרָנָא *baptista, βαπτίζω* etiam idem est, quod Hebræis יָרַד Esai. XLIV. 3. vel שָׁפַךְ Joel. II. 28. & tum βαπτισμὸς significat quamcunque lotionem vel tinctionem partialem, ut Marc. VII. 4. Hebr. IX. 10. Lev. XIV. 7. Ezech. XXXVI. 25. 1 Petr. I. 2. GERHARDUS.

(**) Hebr. VI. 2. βαπτισμῶν διδαχὴ a quibusdam exponitur *doctrina de variis baptismi generibus.* Alii sic explicant: *doctrina, cujus confessio a baptizandis adultis requirebatur.* GERHARDUS.

bunt. Psalm. LXIX. 1. *Intraverunt aquae usque ad animam meam.* v. 2. *Veni in altitudinem aquarum, & alveus plenus inundatione circumvenit me.* Vel respicitur ad significationem immersionis in baptismo, quod vetus noster homo per quotidianam mortificationem debeat submergi & interire, quæ est crux illa quotidiana omnibus piis necessaria. Matth. XVI. 24. *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum, & tollat crucem suam.* 2.) Miraculosam & visibilem effusionem donorum Spiritus sancti in die pentecostes super apostolos & in primitiva ecclesia super reliquos credentes factam. Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16. *Ego baptizo aqua, qui vero post me venit, baptizabit vos Spiritu sancto & igne;* hoc est, in figura linguarum ignearum peculiaria Spiritus sancti dona in die pentecostes distribuet: quam explicationem confirmat vox *futuri* temporis βαπτίζει, cum primis vero dictum Christi: Act. I. 5. XI. 16. *Johannes baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, non longe post hos dies.* Quidam referunt huc locum Act. XIX. 4. qua de re postea dicendum erit. Ratio adpellationis potest esse *duplex*, vel enim a copiosa effusione donorum Spiritus sancti petenda est; quemadmodum illis, qui baptizantur, adsatim aqua superfunditur: ita quoque Spiritus sancti dona opulente super credentes sunt effusa. Esai. XLIV. 3. Joel. II. 28. Act. II. 17. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem &c.* Tit. III. 6. *Spiritum sanctum effudit in nos πλουσίως abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum.* Vel respectus habetur ad illud, quod in primitiva ecclesia in baptismo miraculosa illa dona conferebantur.

§. IV. Miraculosam transitionem Israelitarum per mare rubrum, nubis lucidæ ductum secutorum. 1 Cor. X. 1. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt,* v. 2. *& omnes in Mosen baptizati sunt in nube & mari.* Ratio adpellationis est *typica*, siquidem transitus ille Israëlitarum fuit typus sacramenti baptistici. Sicut Israelitæ per hunc transitum ex Ægyptiaca servitute liberati sunt, *nisi per mare transiissent, tyrannum non evasissent:* ita per baptismum ex spirituali infernalis Pharaonis servitute liberamur. Sicut Pharao cum toto suo exercitu in mari rubro submergitur: ita vetus noster homo cum exercitu vitiorum in baptismo interit. Arator Poeta:

\- - - - *Omnia daemonis arma*
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans,
Qui captivus erat. - - - -

Quemadmodum per miraculosam illam transitionem, ductu & auspicio Mosis factam, confirmabantur Israelitæ, quod Deus velit esse defensor hujus populi, ideo etiam Deo ac Mosi ejus ministro ad credendum & obediendum obligabantur: ita quoque per baptismum de gratia & auxilio Dei confirmati Christo servatori nostro ad servitium & obedientiam obligamur. Concil. Toletanum quartum cap. 5. tom. II. concil. p. 198. *Mare rubrum significat baptismum Christi sanguine consecratum, per quod populus sub columna ignis & nubis semel transit, ubi tamen tota Trinitas erat, praecedente populum columna nubis & ignis; in igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus sanctus.* Vide etiam Augustinum in Psalm. LXXVII. Basilium de Spiritu sancto c. 14. tom. I. p. 187. & in exhort. ad bapt. p. 445. *Synecdochice* Johannis baptismus usurpatur pro doctrina, adeoque toto ministerio Johannis. Quamvis enim Johannes non solum baptizarit, sed etiam prædicaverit; Matth. III. 1. Marc. I. 4. totum tamen illius ministerium Matth. XXI. 25. Marc. XI. 30. Luc. XX. 4. Act. I. 22. X. 37. XVIII. 25. XIX. 3. baptismus vocatur, usitata in scripturis συνεκδοχῇ, qua ex parte intelligitur totum (*).

§ V. Ex

(*) Photiniani etiam urgent, vocem *baptismi* quandoque significare *doctrinam*, & exinde colligunt, *non protinus nominato baptismo intelligendum esse eum, qui fit aqua.* Ostorodus c. 39. §. 2. p. 349. Smalcius contr. Franz. disp. X. p. 308. Resp. 1.) Baptismi vox *grammatice* non

Distinctio inter baptismum fluminis, flaminis & sanguinis.

§. V. Ex hac vocis baptismi ὁμωνυμία in sacris literis usitata distinctio veterum in baptismum *fluminis*, *flaminis & sanguinis* profluxit. Lombardus IV. sent. dist. 4. comp. theol. verit. l. 6. c. 9. per baptismum *fluminis* intelligunt illud, de quo agimus, nov. test. sacramentum, salutare lavacrum regenerationis & renovationis, quod fluminis baptismum vocant, non quod sit simpliciter & solum aqua, sed quia ad essentiales & συστατικὰς ejus partes aquæ elementum concurrit, quod cum verbo plenum & integrum sacramentum constituit. Augustinus tract. LXXX in Joh. *Accedat verbum ad elementum & fit sacramentum.* Per baptismum *flaminis* intelligunt, vel miraculosam illam donorum Spiritus sancti effusionem in oculos incurrentem, quæ in primitiva ecclesia locum habuit, vel extraordinariam Spiritus sancti operationem in catechumenis, qui morte præventi baptismum fluminis nondum acceperunt. Per baptismum *sanguinis* intelligunt martyrium illorum, qui sacro baptismi non percepto, pro fide confessioneque Christi decertantes, *ad sanguinis usque profusionem restiterunt*, ut loquitur epist. ad Hebr. XII. 4. Basilius hom. de quadrag. Martyr. de illis dicit, quod ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι ὑπὸ τῆς οἰκείας ἐβαπτίσθησαν. Augustinus, vel quicunque auctor fuerit lib. de eccles. dogmat. c. 74. *In martyrio tota baptismi sacramenta complentur. Baptizandus* (catechumenus) *confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet, hoc & martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam & interrogatus respondet: ille post confessionem vel adspergitur aqua, vel intingitur; & hic vel adspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat eucharistiae in commemorationem mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renunciaturum, hic ipsi renunciat vitae: illi peccata omnia dimittuntur, in isto exstinguuntur* (*).

Quid de ea statuendum sit?

§. VI. Observandum vero, hanc distinctionem esse potius distinctionem nominis in sua significata, quam divisionem rei seu definiti in suas species. 1.) Quia divisum seu definitum baptismi non est univocum ex æquo tam definitione & nominis ratione, quam nomine tribus illis speciebus competens, sed est æquivocum, solo nomine illis commune. 2.) Quia effusioni sanguinis humani non potest tribui meritum remissionis peccatorum, quod solius Christi sanguini competit, 1 Joh. I. 7. nec medium adplicationis dici potest, quod ex parte Dei tantum verbo & sacramentis, ex parte nostra tantum fidei competit; martyrium autem pro Christo susceptum est evidens & luculenta testificatio illius fidei in Christum, in quo solo remissionem peccatorum & vitam vera fides quærit, non in nostris operibus vel passionibus. Improbamus igitur, quod Bellarminus scribit lib. I. de bapt. c. 6. *Tam martyrium, quam pœnitentia peccata remittit.* Ibidem: *Martyrium convenit cum baptismo aquae in tribus effectibus, nimirum*

significat doctrinam. 2.) Quæ ex scripturis producuntur loca, omnia includunt ipsum aquæ baptismum. 3.) Nomen *baptismi* absolute positum, nisi aliud sentire textus cogat, semper accipitur de baptismo aquæ, quæ est illius propria & nativa significatio. Hunnius disp. de bapt. GERHARDUS.

(*) Cyprianus de exhort. Martyr. ad Fortunatum in princ. p. 246. *Nos qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes & docentes hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma, in quo angeli baptizant, & in quo Deus & Christus ejus exsultant; baptisma, post quod nemo jam peccat, baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat, baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ baptismo percipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum.* GERHARDUS.

nimirum quod primo configurat hominem Christi passioni & morti. Secundo remittit peccatum originale & reliqua omnia, si quae sint admissa. Tertio quod remittit omnem pœnam peccato debitam tam aeternam, quam temporalem. Et Costerus in ench. p. 59. *patet, eandem esse vim martyris ex opere operato, quae est baptismi.* Cum enim martyrium non sit λύτρον, sed species ab eo distincta, quomodo erit meritum remissionis? 3.) Quia *forma* baptismi consistit in adspersione vel effusione aquae in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti facta, quæ in baptismo flaminis & sanguinis nequaquam occurrit.

Aliæ baptismi divisiones ex veteribus.

§. VII. Idem statuendum de aliis baptismi divisionibus quæ apud veteres leguntur Athanasius tom. II. operum pag. 296. τεία βάπτίσματα καθαρκτικὰ πάσης ὕιας δήποτε ἁμαρτίας ὁ Θεὸς τῇ Φύσει τῶν ἀνθρώπων ἐδωρήσατο, λέγω δὴ τὸ ὕδατος καὶ πάλιν τὸ διὰ μαρτυρίας τὸ ἰδίου ἁίματος καὶ τρίτον τὸ διὰ δακρύων. *Tria baptismata purgantia cujuslibet peccati Deus naturae hominum donavit, puta aquae & rursus sanguinis proprii & tertium per lacrimas* (*). Nazianzenus orat. XXIXX. in sacra lumina, p. 634. περὶ διαφορας βαπτισμάτων φιλοσοφήσωμεν, 1.) ἐβάπτισε Μωυσῆς, ἀλλ' ἐν ὕδατι καὶ πρὸ τούτου ἐν νεφέλῃ καὶ ἐν θαλάσσῃ, τυπικῶς δὲ τοῦτο ἦν. 2.) ἐβάπτισε Ιωάννης ἐκ ἔτι μὲν Ιουδαϊκῶς, ἐ γὰρ ἐν ὑδατι μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς μετάνοιαν, ἄνω δὲ ὅλον πνευματικῶς. 3.) βαπτίζει καὶ Ιησοῦς, ἀλλ' ἐν πνεύματι, τέτο ἢ τελειότης. 4.) οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα τὸ διὰ μαρτυρίας καὶ ἁίματος, ὃ καὶ αὐτὸς χρισὸς βαπτίζετο, καὶ πολὺγε τῶν ἄλλων αἰδεσιμώτερον, ὅσω δευτέροις ῥύποις ἢ μολύνεται. 5.) οἶδα καὶ πέμπτον ἔτι τῶν δακρύων, ἀλλ' ἐπιπονώτερον. 6.) Sub finem addit baptismum *ignis* in futuro seculo. Damascenus lib. IV. orthod. fid. c. 10. ex Athanasio tom. II. oper. q. 347. octo recenset baptismata: πρῶτον τὸ κατακλυσμὸ εἰς ἐκκοπὴν ἁμαρτίας, *diluvii in abscissionem peccati*: δεύτερον τὸ διὰ τῆς θαλάσσης καὶ τῆς νεφέλης, *per mare & nubem*: τρίτον τὸ νομικὸν *legale*; τέταρτον τὸ Ιωάννε εἰσαγωγικὸν ὑπάρχον καὶ εἰς μετάνοιαν ἄγον τὰς βαπτιζομένας, ἵνα εἰς χρισὸν πιςεύσωσι, *introductorium ad pœnitentiam*, πέμπτον τὸ τῆς κυρίε βάπτισμα, ὃ αὐτὸς ἐβαπτίσατο, *quo ipse Deus baptizatus fuit*, ἕκτον τὸ διὰ μετανοίας καὶ δακρύων ὄντως ἐπίπονον *per pœnitentiam & lacrimas vere laboriosum*, ἕβδομον δι' ἁίματος καὶ μαρτυρίε *per sanguinem & martyrium*: ὀγδοον τὸ τελευταῖον σωτήριον, ἀλλὰ τῆς μὲν κακίας ἀναιρετικὸν, κολάζον δὲ ἀτελεύτητα, *odavum, quod & ultimum, non salutare, sed malitiam quidem auferens, puniens tamen sine fine.* Ad baptismum lacrimarum *metaphorice* sic dictum respicit Sedulius, quando de muliere peccatrice Luc. VII. canit:

Per gemitum propriique lavans in gurgite fletus
Munda suis lacrimis redit & detersa capillis.

§. VIII.

(*) Chrysostomus hom. V. in Matth. (vel quisquis auctor imperf. oper.) quinque baptismata describit, 1.) *in verbo*, 2.) *in aqua*, 3.) *in Spiritu*, 4.) *in igne*, 5.) *in morte*: postea subjungit: *Ideo Dominus, postquam baptizatus est in verbo, factus est sub lege, a Johanne autem in aqua, a Patre vero in Spiritu, nunc a Spiritu ducitur in desertum, ut baptizetur igne tentationis, postmodum baptizandus in morte.* Ambrosius in Psalm. CXVIII. lit. 3. *Non unum est baptisma. Unum est quod hic tradidit ecclesia, per aquam & Spiritum sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos. Est & aliud baptisma, de quo dicit Dominus Jesus, baptismo habeo baptizare, quod vos nescitis, & utique jam baptizatus in Jordane fuerat, sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur. Est etiam baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat: sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus, quæ antea non erat, quando peccatum non erat: culpa cœpit, & baptismum cœpit, quo purificentur, qui in paradisum redire cupiebant.* GERHARDUS.

Synonymae baptismi ex scripturis. Adpellationes propriae.

§. VIII. *Adpellationes*, quae baptismo initiationis sacramento in scripturis sacris tribuuntur, ad has classes revocari possunt, quod quaedam sint *propriae*, quaedam vero *typicae*. Propriae adpellationes petitae sunt 1.) vel a parte *essentiali altera*, externo scilicet elemento, utpote quod baptismus dicitur *aquae* Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum coelorum.* (quem locum de baptismo intelligendum esse, postea demonstrabimus) Hebr. X. 22. *Abluti corpus aqua munda.* 1 Joh. V. 6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem.* v. 8. *tres sunt, qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua & sanguis*, (quem locum de sacramentis nov. test. intelligendum esse ostendimus in tract. de sacram. in genere §. 89.) quo pertinent vaticinia vet. test. in quibus *aquae mundae, aquae vivae, fontis salutis &c.* mentio fit. 2.) Vel ab *utraque essentiali* huius sacramenti parte, utpote quod dicitur *lavacrum aquae in verbo*, Eph. V. 26. quia baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua divino mandato inclusa, verbo Dei comprehensa; *aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua & non baptismus, sed si verbum Dei adjicitur, est baptismus, hoc est, salutaris aqua vitae &c.* ut loquitur Lutherus in catech. minori. 3.) Vel a salutari *efficacia* ejusdem, utpote quando baptismus dicitur lavacrum *regenerationis & renovationis Spiritus sancti*; Tit. III. 5. quia per hoc salutare lavacrum Spiritus sanctus hominem regenerat & renovat. Item ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν *interrogatio*, sive *stipulatio bonae conscientiae in Deum.* 1 Petr. III. 21. hoc est, obligatio mutua Dei & hominis baptizati, constans interrogatione & responsione, cujus loci emphasin exposuimus in tract. de sacram. §. 88. Item ἀπέκδυσις τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *exspoliatio corporis peccatorum carnis*, Col. II. 11. quia per baptismum vetus noster homo exstinguitur, ut non amplius dominetur. Quo pertinet, quod Luc. VII. 30. baptismus dicitur *Dei consilium*. Ambrosius lib. II. de sacram. c. 6. *Quanta est gratia, ubi consilium Dei est?*

Adpellationes typicae.

§. IX. *Typicae* adpellationes sunt duae, vocatur enim baptismus 1.) περιτομὴ ἀχειροποίητος *circumcisio, quae fit sine manibus*, Col. II. 11. περιτομὴ τοῦ χριστοῦ *circumcisio Christi*, v. eod. quia circumcisio fuit typus baptismi. Quemadmodum enim circumcisio fuit sacramentum initiationis in vet. test. ita eandem vicem obit baptismus in nov. test. Quemadmodum in circumcisione Deus cum circumcisis *foedus* inibat, Gen. XVII. 10. ita quoque baptismus est *stipulatio bonae conscientiae erga Deum.* 1 Petr. III. 21. Quemadmodum per externum circumcisionis sacramentum simul interiorem cordis circumcisionem Deus operabatur, Deut. XXX. 6. ita quoque per baptismum caro peccati submergitur. 2.) *Diluvium*, Psalm. XXIX. 10. *Sedet Dominus ad diluvium immittendum.* Gen. IX. 11. promisit Deus, quod nullum amplius universale diluvium orbi terrarum sit metuendum: ergo hic locus de spirituali diluvio intelligendus est juxta interpretationem Petri 1 epist. III. 20. *In diebus Noae cum fabricaretur arca, in qua paucae, hoc est, octo animae salvae factae sunt per aquam.* v. 21. ᾧ ἀντίτυπον νῦν ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, *cui respondens baptisma etiam nos salvat*, ubi relativum ᾧ vel ad τὸ ὕδωρ vel (quod commodius) ad totum complexum, hoc est, integram salvandi actionem per arcam in diluvio referendum est. Proinde baptismus dicitur *diluvium*, quia typus baptismi in diluvio praecessit. Quemadmodum Deus in universali illo cataclysmo mundum quasi renovavit, cum terram submergeret, & Noahum cum suis in arca vivum conservaret: ita quoque Christus mediante baptismo veterem nostrum hominem suffocat & novum creat, quem ad vitam aeternam conservet. Sicut aqua diluvii & sanguis hominum suffocatus per aquam concurrerunt, ut peccatum destrueretur: ita in baptismo aqua & sanguis Christi peccatum delent. Ut in diluvio aqua sanguinem, in quo est vita,

dele-

delevit; sic in baptismo aqua per sanguinem Christi, in quo est vera vita, servat vitam hominum. Quemadmodum diluvium non modo adultos, sed etiam infantes absumsit; ita per baptismum non solum adultorum, sed etiam infantum peccata abolentur. Occurrit autem quædam dissimilitudo. Illud enim pristinum erat diluvium iræ, hoc vero est diluvium gratiæ: in illo omnes peribant, in hoc vero omnes servantur. Lutherus serm. de bapt. tom. I. Jenens. germ. f. 187. *Baptismus est majus diluvium, quam illud a Mose descriptum, quia plures homines baptizantur, quam in diluvio suffocati sunt.* Cyrillus libr. VI. in Joh. XIV. *Aquis diluvii totius mundi expiata sunt peccata, & qui in arca reconditi erant, per aquam salvi facti sunt, id baptismi typum gessit, per quem sordes omnes peccatorum deponuntur & vitae vetustas tollitur.* Ambrosius de iis, qui initiant. myst. c. 3. in med. *Vides aquam? vides lignum, columbam, adspicis & dubitas de mysterio? aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est, in cujus specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in nov. test. qui tibi pacem, animae tranquillitatem mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit & non revertitur, si in te quoque justi custodia & forma servetur.* Vide eundem libr. II. de sacram. cap. 1. tom. 4. p. 432.

Encomia & periphrases baptismi ex patribus græcis.

§. X. Ecclesiastici scriptores varia encomia & periphrases baptismo tribuunt, quibus dignitatem & efficaciam ejus luculenter exornant (*). Dionysius Areopagita libr. de eccles. hierarch. cap. 2. & alibi passim vocat ἀναγέννησιν *renascentiam*, θεογενεσίαν *generationem divinam*, ἀρχὴν τῆς τῶν σεπτοτάτων ἱερουργίας ἐντολῶν, *principium sacre peragendi augustissima mandata*, προοδον *praegressum ad observationem divinorum mandatorum*, ὁδοπόρησιν *iter ad divinam haereditatem*, παράδοσιν *traditionem regni caelestis*. Justinus apol. II. pro christian. p. 74. baptismi mentionem faciens subjungit, καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, *Vocatur autem hoc lavacrum illuminatio*, (quam adpellationem passim veteres (**) repetunt) propter lucem veræ agnitionis & fidei, quæ per baptismum accenditur: quidam existimant adpellationem transsumtam ex Hebr. VI. 4. In dial. cum Tryph. p. 178. vocat λοῦτρον τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λῶν τοῦ θεοῦ γέγονεν. Et postea: τὸ βάπτισμα τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντες δυνάμενον, τοῦτο ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς. Irenæus libr. I. adv. hæres. c. 18. τὸ βάπτισμα τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως. Clemens Alex. libr. I. pædag. c. 6. vocari ait χάρισμα, φώτισμα, τέλειον, λοῦτρον. Λοῦτρον μὲν δι' ἃ τὰς ἁμαρτίας ἀπορρυπτόμεθα, χάρισμα δὲ, ὧν τὰ ἐπιτοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται, φώτισμα δὲ, δι' ὃ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύεται, τέλειον δὲ τὸ ἀπροσδεές φαμεν. *Lavacrum quidem, per quod a peccatis abstergimur; gratiam vero, qua remittuntur poenae peccatis debitae; illuminationem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur; perfectionem, quod ei nihil desit qui*

(*) De diversis baptismi nominibus atque adpellationibus in ecclesia primitiva usitatis legi merentur, quæ Jos. Binghamus in *originib. s. antiquitat. ecclesiast. vol. IV. libr. XI. cap. I. p. 138. seqq.* ex scriptoribus antiquis adnotavit.

Ratio vero, cur baptismus φωτισμα sive φωτισμος *illuminatio* subinde fuit vocatus, repetenda nobis videtur partim ex prævia catechumenorum, qui ad baptismum erant præparandi, institutione; partim vero ex *illuminatione*, baptismum consequente. Erat enim baptismus quasi introductio quædam ad cognitionem veritatum divinarum, sensim sensimque ad maiorem perfectionis gradum evehendam. Alii alias huius denominationis adducunt rationes, a Binghamo *loco exstato p. 142. seqq.* recensitas.

(**) Occurrit hæc baptismi adpellatio in Chrysostomo *homil. XIII. in Ebr. p. m. 1848.* Gregorio Nazianzeno *orat. XL. de bapt. p. 638.* Dionysio Areopagita *hierarch. eccles. c. III.* concilio Laodiceno *cap. XLVII.* alibique passim apud veteres.

qui Deum novit, sive ob perfectam Dei cognitionem. Athanasius tom. I. p. 342. 367. tom. II. p. 226. & Nazianzenus in orat. funebr. Basilii vocant τελείωσιν *perfectionem*, μὴ γὰρ τέλειοι χριστιανοὶ εἰσι οἱ κατηχούμενοι πρὶν ἢ βαπτισθῶσι, βαπτισθέντες δὲ τελειοῦνται. *Catechumeni ante susceptum baptismum non sunt perfecti christiani.* Nazianzenus orat. XL. p. 6. 8. τὸ φώτισμα λαμπρότης ἐστι ψυχῶν, βίου μετάθεσις, ἐπερώτημα τῆς εἰς θεὸν συνειδήσεως, τὸ φώτισμα βοήθεια τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμετέρας, τὸ φώτισμα σαρκὸς, ἀπόθεσις, πνεύματος ἀκολούθησις, λόγου κοινωνία, πλάσματος ἐπανόρθωσις, κατακλυσμὸς ἁμαρτίας, φωτὸς μετουσία, σκότους κατάλυσις, τὸ φώτισμα ὄχημα πρὸς θεὸν, συνεκδημία χριστοῦ, ἔρεισμα πίστεως, νοῦ τελείωσις, κλεῖς οὐρανῶν βασιλείας, ζωῆς ἄμειψις, δουλείας ἀναίρεσις, δεσμῶν ἔκλυσις, συνθέσεως μεταποίησις. Et paulo post: δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λουτρὸν παλιγγενεσίας σφραγῖδα &c. quorum singulorum rationem postea subjungit. Cyrillus Hierosol. in præf. ad catech. p. 6, & Basilius in exhort. ad bapt. tom. I. p. 446. vocant *captivitatis liberationem, peccatorum remissionem, mortem peccati, animae regenerationem, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currum ad cœlos, delitias paradisi, regni cœlestis conciliationem & charisma υἱοθεσίας.* Gregorius Nyssenus de baptismo: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Epiphanius libr. I. tom. 1. hæres. 8. Nazianzenus orat. in sacr. lavacr. pag. 615. &c. vocant μεγάλην περιτομὴν μυστήριον, σφραγῖδα, χρίσμα, τὴν κλεῖδα τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ὄχημα πρὸς θεὸν, εἴσοδον τῆς ζωῆς αἰωνίου &c. Damascenus libr. IV. c. 10. διὰ βαπτισμοῦ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν, ἡ παλιγγενεσία καὶ σφραγὶς καὶ φυλακτήριον καὶ φωτισμὸς, *per baptismum fit in nobis initium alterius vitae, regeneratio & signaculum & tutela & illuminatio.* Optatus Milevitanus libr. V. adv. Parmen. *Baptisma est vita virtutum, criminum mors, nativitas immortalis, cœlestis regni comparatio, innocentiae portus, peccatorum naufragium.* Augustinus libr. II. contra Crescon. c. 13. vocat *sacramentum novae vitae, ac salutis aeternae.* Libr. I. de peccat. merit. & remiss. c. 27. *ecclesiae januam.* Libr. V. de bapt. contra Donat. c. 21. *sacramentum remissionis peccatorum.* Libr. II. de catech. rad. c. 1. *portam gratiae & primum introitum sanctorum ad aeternam Dei & ecclesiae consuetudinem.* Prosper. libr. I. de vocat. gent. 4. *originem verae vitae veraeque justitiae.* Cassiodorus in Cant. c. 7. *fontem divinum, quo fideles in novam creaturam regenerantur.* Bernhardus serm. de cœna, *sacramentum initiationis & intrantium, christianismi investituram &c.* Lutherus tom. III. lat. p. 151. eleganter adpellat *puerperam regni cœlorum.* Tom. IV. pag. 46. *aquam Domini*, fol. 115. *potentissimam & efficacissimam rem.* Tom. III. in Gen. f. 91. in c. 28. *aquam non creatoris, sed Dei salvatoris.* Tom. VI. Jen. germ. fol. 306. *Baptismum respiciendum* scribit, *ut merum sanguinem Christi & merum ignem Spiritus sancti.* Tom. VII. germ. fol. 464. *esse aquam Christi sanguine mixtam.* Neander in theol. christ. cap. de bapt. p. 481. *Baptismus est prima ad regnum cœlorum janua, brachiaque Christi & oscula, quibus e gremio parentum nos transfert in cœlestia, numero electorum Dei & civitati cœlesti inscribit, ac corporis sui membra facit, quae cum capite unum sunt, omnium cœlestium bonorum participes.*

& Latinis.

CAPUT II.

DE VATICINIIS ET TYPIS BAPTISMI.

Vaticinia de baptismo

§. XI. Quamvis autem baptismus in nov. demum test. institutus sit, tamen in vet. test. & dictis & typis de illo prænunciatum fuit, id quod dignitatem adeoque *maiestatem* ejus (ut loquitur Lutherus tom.

ex nov. test.

tom. IV. Jen. lat. f. 115.) evidentissime comprobat. Dicta potiora hæc sunt

1.) *Ex Psalmis.* I.) Psalm. XXIII. 2. *Super aquam refectionis educavit me.* (Cassiodorus in hunc Ps. *Aqua refectionis est baptismi lavacrum, quo anima sterilis ariditate peccati ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur.* Eundem psalmum ad sacramenta nov. test. adcommodat Ambrosius libr. V. de sacram. c. 3.) Psalm. XXIX. 10. *Sedet Deus ad diluvium* (celebrat David in toto hoc psalmo majestatem regni Christi, quomodo per evangelii prædicationem & sacramentorum administrationem res maximas & admirandas in mundo effecturus, & ex genere humano ecclesiam sibi collecturus sit, quo etiam pertinet baptismi institutio, cujus typus in diluvio præcessit, ut paulo ante ostendimus (*). Psalm. XLVI. 5. *Rivuli fluminis laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes altissimi.* (inter hos rivulos lætificantes civitatem Dei, hoc est, ecclesiam, locum etiam habet baptismus, qui est fons salutis a peccatorum sordibus nos abluens, sitim spiritualem restinguens & in æstu tentationum recreans) Psalm. CIII. 5. *Renovabitur ut aquilae juventus tua.* (hunc locum Joachimus Westphalus de bapt. pag. 188. ex Ambrosio libr. IV. de sacram. c. 2. ad baptismum adcommodat, quia per spiritualem regenerationem quasi rejuvenescimus, ac novas vires adquirimus, *ut adscendamus alis velut aquilae.* II.) Esa. XL. 31. Jam vero *baptismus est lavacrum regenerationis ac renovationis* Tit. III. 5.

2.) *Ex prophetis.*

Deposuisti (inquit Ambrosius loco. d.) *peccatorum senectutem, sumpsisti gratiae juventutem. Haec praestiterunt tibi sacramenta cœlestia. Bona aquila esse cœpisti, quae cœlum petis, terrena fastidis. Bonae aquilae circa altare. Ubi enim corpus, ibi & aquilae. Forma corporis altare est & corpus Christi est in altari. Aquilae vos estis renovatae ablutione delicti*) (**). Esaj. XII. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salutaribus.* (fontes illi sunt verbum evangelii, consolatio Spiritus sancti, adspersio sanguinis Christi, fructus baptismi) (***). Esai XLIV. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridum, effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam,* v. 4. *& germinabunt inter herbas, quasi salices juxta praeterfluentes aquas.* (per aquas & fluenta intelligitur Spiritus sanctus, qui in baptismo opulente super nos effunditur, & ad omnis generis opera bona nos frugiferos reddit. Tit. III. 5.) Esa. XLIX. 22. *Adferent filios suos in ulnis, & filias suas super humeros portabunt;* (adducent infantes suos ac petent, ut per baptismum ecclesiæ inserantur, sicque fient filii tui & filiæ tuæ, imo ipsius Dei filii & filiæ. Quemadmodum infantes Israelitici Christo adferebantur, *ut manus illis imponeret, & benediceret;* Matth. XIX. 13. Marc. X. 13. Luc. XVIII. 15. ita per baptismum nos infantes Christo adferimus.) Esa. LII. 15. *Adsperget sanguine suo gentes multas,* (hæc adsperso sanguinis Christi fit in baptismo, ideo dicimur *baptizari in remissionem peccatorum.* Act. II. 38. *Baptizari nihil aliud est,* scribit Lutherus cap. XLIX. Gen. *quam absolvi in sanguine vel virtute sanguinis Filii Dei*) Esaj. LXI. 10. *Induit me vestimentis salutis & indumento justitiae operuit me.* (illud fit in baptismo, in quo Christum

(*) Basilius in illa verba Psalm. XXIX. βαπτίσματος χάρις κατακλυσμὸς ὥστε τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἐπιτήδειον εἶναι λοιπὸν πρὸς κατακοιτήριον τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι. *Baptismatis gratiam nominat diluvium, quoniam aqua a peccatis mundata & a veteri homine expurgata redditur apta in posterum, ut Dei sit habitaculum in Spiritu.* GERHARDUS.

(**) Esai I. *Lavamini & mundi estote.* (Hunc locum interpretantur Hieronymus, Cyrillus comment. in eum locum, Cyrillus Hierosol. catech. I. Theodoretus in Psalm. L. Basilius in orat. de bapt. de hoc sacramento.) GERHARDUS.

(***) Esaj. XXVI. 1. *Salutem ponet murus & antemurale.* (Hoc *antemurale* & προπύλαιον salutis in ecclesia est baptismus, quem veteres etiam vocant *portam gratiæ,*) GERHARDUS.

ſtum induimus, cujus juſtitia teguntur peccata noſtra, Gal. III. 27. *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*) Ezech. XVI. 9. *lavi te aqua & ablui ſanguinem tuum a te.* (Eph. V. 26. *Chriſtus mundat eccleſiam lavacro aquae in verbo* a ſanguinibus ſcilicet peccatorum. Pſalm. LI. 16.) Ezech. XXXVI. 25. *Adſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* v. 26. *Dabo vobis cor novum & ſpiritum novum ponam in medio veſtri* (*). Baptiſmus eſt *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti*, Tit. III. 5. per quod mundamur ab omni inquinamento peccati. Eph. V. 26. Ezech. XLVII. 1. *Aquae egrediebantur ſubter limen domus Domini adorientem.* v. 8. *Aquae iſtae tum in mare fluxerint, ſanabuntur aquae illae.* v. 9. *Omnis anima vivens, quae movetur, quocunque venerit torrens ille, ſanabitur & vivent omnia, ad quae venerit torrens ille.* (per aquas illas intelligitur miniſterium evangelii, ad quod etiam pertinet baptiſmus, per quod ſanantur, imo vivificantur, qui in peccatis mortui erant. Eph. II. 1. Vide Hafenrefferum in comment. h. l.) Joel III. 23. *Fons de domo Domini egredietur & irrigabit torrentem Sitim.* (fons baptiſmi in eccleſia irrigat animas noſtras & perpetuam conſolationem contra tentationes præſtat, ut ſimus velut *arbor plantata ad decurſus aquarum.* Pſalm. I. 3.) Mich. VII. 19. *Mundabit iniquitates noſtras, & projiciet eas in profundum maris.* (hunc locum Hieronymus epiſt. LXXXIII. Rupertus in h. l. Auguſtinus in pſalm. CXIII. de baptiſmo exponunt. Peccatum in fluberrimo baptiſmi mari ſubmergitur, ut nunquam in conſpectum Dei poſtea veniat) Zach. XIII. 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccati & immunditiei.* (apertus ille ac omnibus patens fons eſt baptiſmus peccata actualia & immunditiem originalem abluens. Eph. V. 26.)

§. XII. *Typos* baptiſmi varios ex vet. teſt. collegerunt pii veteres, nos potiores enumerabimus. Gen. I. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* (Quemadmodum in prima creatione Spiritus Domini aquis incubabat, easdemque frugiferas reddebat: ita quoque ad noſtram regenerationem, quæ eſt velut ἀνάκτισις καὶ ἀνάπλασις quædam, utitur Spiritus ſanctus aqua baptiſmi, ſalutari illo παλιγγενεσίας lavacro. Joh. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu &c.* Tertullianus libr. de bapt. *Primus liquor, quod viveret, edidit, ne mirum ſit in baptiſmo, ſi aquae animas renovarunt.* Confer Hieronymum epiſt. LXXXIII. ad Occanum. Ambroſius de iis qui myſter. initiantur cap. 3. *Conſidera, quam vetus myſterium ſit in ipſius mundi praefiguratum origine. In principio ipſo, quando fecit Deus cœlum & terram; Spiritus, inquit, ferebatur ſuper aquas. Qui ferebatur ſuper aquas, non operabatur ſuper aquas? &c.* Libr. III. de ſacr. c. 1. *Tibi reſervatum eſt, ut aqua te generet ad gratiam, ſicut illa generavit ad vitam.* Beda in cap. I. Gen. *Allegorice aquae producunt reptilia animarum vivarum, homines ſcilicet renovatos in vitam per baptiſmi ſacramentum.* Damaſcenus libr. II. orth. fid. c. 9. πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ Θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν, ἐπειδὴ ἤμελλε διὰ ὕδατος καὶ τῷ ἐν ἀρχῇ ἐπιτερομένῳ τοῖς ὕδασιν ἁγίῳ πνεύματι ἀνακαινίζειν τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο γὰρ ὁ Θεῖος ἔφη Βασίλειος.) Gen. III. 21 commemoratur, quod Deus primos parentes induerit *veſtibus pelliceis*, quibus nuditas ipſorum tegeretur. (id quidam ad baptiſmum referunt, in quo *Chriſtum induimus*, Gal. III. 27. ne adpareat ſpiritualis noſtra nuditas coram Deo. Apoc. III, 18.) Gen. VI. & VII. deſcribitur *diluvium*, quod baptiſmi fuiſſe typum ſuperius docuimus. (Tertullianus libr. de bapt. diluvium vocat *baptiſmum mundi.*) Gen. VIII. 8. refertur, quod Noah tempore diluvii in arca conſervatus fuerit, quodque in locum corvi ex arca emiſſi columba folium olivæ portans redierit. (id Petrus 1 epiſt. III. 21. ad baptiſmum adcom-

Typi baptiſmi.

(*) Hunc locum Hieronymus, Theodoretus in ſuo exponunt. GERHARDUS.

h. l. Cyprianus epiſt. LXX. & LXXVI. de bapti-

commodat. Quemadmodum illi solum in diluvio servabantur, qui in arca erant, reliqui omnes aquis absorbebantur: ita quoque per baptismum reddimur membra ecclesiæ, in qua ad vitam æternam conservamur: quin & infernalis corvus, diabolum intelligo, a baptizatis recedere cogitur, contra vero Spiritus sanctus datur, qui adfert conscientiis pacem & gaudium, quemadmodum in baptismo Christi in figura columbæ descendebat. Matth. III. 16. &c. Sicut arca Noæ solius Dei manu in mediis procellis conservata fuit: sic baptizati in ecclesia inter procellosos fluctus solius Dei manu sustentantur & halcyonia habent. Sicut arca Noahum & reliquos a terra elevavit: sic baptismus a terrenis ad superiora nos subvehit. &c.) Gen. XVII. præcipitur Abrahæ *circumcisio.* (eam baptismi typum fuisse docet apostolus Col. II. 11. membra comparationis proposuimus superius. Epiphanius contra Cerinthianos: *διήρκεσε ἡ περιτομὴ χρόνῳ ὑπηρετήσασα, ἕως ἦλθεν μείζων περιτομὴ παρεγένετο, τυτέστι τὸ λύτρον τῆς παλιγγενεσίας, Duravit circumcisio tempori serviens, donec major circumcisio succederet, hoc est, lavacrum regenerationis*) Gen. XXIV. 43. Rebecca *circa fontem Isaaco sponso suo adducitur.* (ita per lavacrum baptismi Christo cœlesti sponso adducimur, eique per fidem conjungimur) Exod. XIII. 22. *Dominus præcedebat Israelitas ad ostendendum viam in deserto per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis.* (nubes præfigurat sacramentum baptismi, ignis cœnam dominicam, 1 Cor. X. 2. per sacramenta & lucem & umbraculum Deus nobis præstat. Psalm. LXXXIV. 1. *Sol & clypeus est Dominus.*) Exod. XIV. describitur *transitus Israelitarum per mare rubrum* exstincto interim Pharaone totoque illius exercitu. (hunc typum apostolus 1 Cor. X. 2. adcommodat ad baptismum; membra comparationis exposita sunt superius. Cyprianus libr. IV. ep. 7. ad Magnum. *In baptismo omnes nequitiae vires diabolus amittit: quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus & in sua perfidia demoratus tam diu resistere potuit & praevalere, donec ad aquam veniret, quo cum venisset, victus est & exstinctus. Mare autem illud sacramentum baptismi fuisse declarat apostolus Paulus dicens: Nolo enim vos ignorare fratres &c* (*). Ambrosius de iis, qui initiantur mysteriis cap. 3. Tom. IV. p. 422. *advertis, quod in illo Hebraeorum transitu tunc sacri baptismatis figura praecesserit, in quo Ægyptius perit, & Hebraeus evasit. Quid enim aliud in hoc quotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, & error aboletur? pietas autem & innocentia tota permansit. Audis, quia sub nube fuerunt patres nostri. Et bona nubes, quae carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat, quos revisit Spiritus Sanctus: denique supervenit in Mariam virginem & virtus altissimi obumbravit ei, quoniam redemtionem genti genuit humanae.* Chrysostomus in dictum Pauli 1 Cor. X. Nolo vos ignorare, &c. *Transitus ille Judaeorum futuri baptismi typus erat. Nam ibi aqua & hic aqua. Lavacrum hic & ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Ibi quidem liberati sunt ex Ægypto, hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharao submersus est, hic autem diabolus: ibi Ægyptii submersi sunt; hic autem vetus homo peccatis defoditur &c.* Augustinus tract. XI. in Joh. *Christus per baptismum suum trajecit credentes occisis omnibus peccatis tanquam hostibus consequentibus, sicut in illo mari omnes Ægyptii perierunt.* Damascenus libr. IV. orthod. fid. c. 10. *σύμβολον ἡ μὲν νεφέλη τὸ πνεύματος, ἡ θάλασσα δὲ τὸ ὕδατος.*) Exod.

(*) Origines homil. V. in Exod. *Tu baptizaris in aqua & in Spiritu sancto. Scias, insectari te Ægyptios,* id est, *spirituales nequitias, sed tu descendis in aquam, & evadis incolumis, Ægyptii vero sequentes demerguntur in abyssum.* Tertullianus libr. de bapt. *Populus de Ægypto libere expeditus vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua exstinxit, quae figura manifestior in baptismi sacramento? liberantur de seculo nationes per aquam scilicet, & diabolum dominatorem pristinum in aqua oppressum derelinquunt.* Conferatur Hieronymus epist. LXXXIII. GERHARDUS.

Exod. XV. 25. aquæ in Mara redduntur dulces *ligno quodam divinitus ostenso* per Mosen iisdem injecto, quibus Israelitarum sitis in deserto tollitur. (Christus *lignum illud vitae* Apoc. XXII. 2. cum omni suo merito sese in baptismi aquam velut immittit, inde fit salutaris aqua spirituali animarum siti tollendæ commoda. Ambrosius de iis, qui initiantur myst. c. 3. post medium: *Aqua sine praedicatione dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est. Cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris populi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moses missit lignum, hoc est, propheta: ita & in hunc fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.*) Exod. XVII. 6. aqua *ex petra* Mosis baculo percussa ubertim emanat, qua Israelitæ in vita conservantur. (Petra illa denotabat *Christum*, 1 Cor. X. 4. ex cujus latere profluxit *sanguis & aqua*. Joh. XIX. 34. gemina illa nov. test. sacramenta, quibus ad vitam æternam Deo colligitur ecclesia.) Exod. XXX. 18. XXXVIII. 8. XL. 7. jubetur fieri *labrum aeneum cum basi sua, idemque aqua impleri, ac collocari inter tabernaculum congregationis & altare, ut Aaron & filii ejus manus & pedes in eo lavent, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, ac Domino sacrificia oblaturi, ne moriantur.* (Quemadmodum sacerdotes non poterant tabernaculum ingredi, nisi prius aqua lavarentur: ita quoque in tabernaculum ecclesiæ non nisi per baptismum patet aditus: nec placent Deo spiritualia piorum sacrificia, nisi prius per lavacrum baptismi fuerint a peccatis mundati.) Lev. XIV. 6. ad purificationem leprosi jubetur *avis munda ligno Cedrino, filo coccineo, & hyssopo alligari, atque in sanguinem alterius avis mundae in vase fictili super aquas viventes mactatae tingi, quo septies leprosus ad mundationem adspergatur.* (sicut sanguis avis mactatæ mixta aquæ ad leprosi mundationem salutarem & efficacem eam reddebat: sic sanguis Christi aquam baptismi ad spiritualem peccati lepram abolendam salutarem efficit.) Lev. XV. variæ describuntur *lotiones*, quibus Israelitæ a leviticis immunditiis expiabantur. (illas epist. ad Hebr. IX. 10. vocat *varios baptismos*, quia fuerunt typi baptismi, per quem ab omni peccati labe mundamur.) Num. XIX. 8. jubetur ex cineribus vaccæ rufæ parari *aqua lustralis*, qua expiandi erant, qui quacunque occasione immundi fuerant facti. (Hebr. IX. 13. *Si sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulae adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum obtulit se ipsum Deo, mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis:* hic sanguis Christi, in ara crucis mortui, & caritatis ardore exusti, in baptismo nobis adspergitur ad spiritualem peccati immunditiem abolendam (*). Jos. III. commemoratur, quod Josua populum Israeliticum per Jordanem in terram promissam introduxerit. (Ambrosius in psalm. XXXVII. ad baptismum hoc adcommodat, per quem *cælestis Josua Christus ad promissam regni cælestis haereditatem nos introducit.* Conf. Ambrosium in cap. IV. Luc. Cyrillum libr. VI. in Joh. XIV. *Quid populus Israeliticus Josuae ductu Jordane trajecto, ubi etiam aquae hinc atque hinc immotae consteterant, & medium praebuerant iter in terram promissionis perducti significat, nisi Christo auctore quicunque baptismi lavacrum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros?*) 1 Reg. VII. 23. curat Salomon parari *mare fusile*, hoc est, vas ingens, capacissimum, ex ære fusum, quod magnam aquæ copiam continere poterat, in eundem usum, in quem Moses olim labrum æneum fieri jusserat, videlicet ut sacerdotes ingressuri templum manus ac pedes in eo prius lavarent. (Hoc igitur mare itidem fuit baptismi typus, ut labrum æneum

2.) *ex Josua.*

3.) *ex libris regum.*

(*) Absque Dei verbo aqua illa lustralis Mosaica non habuisset ullam efficaciam ad mundationem: sic aqua baptismi absque verbo institutionis & mandati non posset spiritualiter nos mundare. Confer Augustinum super Numeros q. 33. GERHARDUS.

æneum Mosaicum (*). 1 Reg. XVIII. 34. Elias aquam super aram & holocausta effundit. (Hoc Damascenus lib. IV. cap. 10. ad baptismum adcommodat, cujus salutari aqua adspergunturꝰ, qui se Deo in hostiam vivam sunt exhibituri. Rom. XII. 1. ἔδειξεν ἠλίας τὴν χάριν τὸ πνεύματος συμμεμιγμένην τῷ ὕδατι, φλέξας τὴν ὁλοκάυτωσιν. Idem facit Basilius in exhort. ad baptism.) 2 Reg. V. 14. Naaman jussu Elisæi prophetæ *septies in Jordane sese abluens* a lepra mundatur. (Christus in Jordane baptismum suscepit, quo ipso aquas baptismi sanctificavit & consecravit. Matth. III. Marc. I. Luc. III. Joh. I. Ambrosius de iis, qui initiantur myst. cap. 3. circa finem: *Recognosce nunc, quae sit illa puella ex captivis, junior scilicet ex gentibus congregatio, hoc est, ecclesia Domini, depressa cum captivitate peccati, quando libertatem adhuc gratiae non habebat, cujus consilio vanus ille populus nationum verbum audivit propheticum, de quo ante diu dubitavit: postea tamen ubi credidit exsequendum, ablutus est ab omni contagio vitiorum.* Vide eundem in cap. IV. Luc. & lib. II. de sacram. c. 3. ubi typum Naamanis in Jordane mundati itidem ad baptismum adplicat c. 4. huc refert typum ferri ad preces Elisæi ex aqua emersi. *Invocavit* (inquit) *Helisaeus Domini nomen, & de aqua ferrum securis adscendit, quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis, quare? quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur. Ubi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam jam levior fructuosi ligni species levatur.*

§. XIII. Atque hæ sunt sacramenti baptistici figuræ ac typi in vet. test. propositi, inter quos primarii sunt, *arca Noahi in diluvio, circumcisio, transitus Israelitarum per mare rubrum, lotiones variae leviticae.* Hos enim ipsa scriptura ad baptismum diserte adcommodat; reliqui vero sunt secundarii. Membra collationis inter hos typos & antitypum consistunt, 1.) in emundatione a peccatis, 2.) in mortificatione veteris hominis cum concupiscentiis suis, 3.) in translatione baptizatorum ex regno satanæ in regnum Christi, 4.) in piorum custodia & protectione, 5.) in introductione eorundem ad promissam regni cœlestis hæreditatem. Ex nov. test. ad hosce typos referri potest, quod Joh. V. 2. mentio fit cujusdam κολυμβήτρας sive *natatorii* Hierosolymitani, in quod certo tempore angelus domini descendebat, & aquam movebat, qui ergo primus post aquæ motionem illud lavacrum ingrediebatur, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate, unde dicebatur Βηθεσδὰ, syriace: בֵּית־חִסְדָּא, domus benignitatis, quod in ea Deus benigne potentiam suam exerceret in curandis quibusvis morbis populi sui. (baptismus est salutare illud lavacrum, in quod angelus fœderis ipse descendit, Mal. III. 1. Matth. III. 16. ut ad sanandos animæ nostræ languores redderetur efficax. Vide Chrysostomum homil. XXV. in cap. V. Joh. & Nazianzenum orat. in s. lavacrum (**). Ambrosius de iis qui myst. initiant. c. 4. tom. 4. p. 423. *Illis signum, tibi fides. Illis angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus. Illis creatura movebatur, tibi Christus operatur* *Ex nov. test.*

(*) Quomodo in mari æneo Salomonis contineatur baptismi typus, multis docet Eucherius in 3 Reg. XXI. XXII. & XXIII. & ex eo atque aliis veteribus Blasius de Viega in cap. IV. Apoc. p. 218. GERHARDUS.

(**) Tertullianus de bapt. Ambrosius lib. I. de SS. c. 7. Chrysostomus in Joh. Baptismus vocatur *mare*, quia in eo omnia suffocantur peccata, unde etiam comparatur mari rubro, in quo Ægyptiis submersis Hebræi incolumes in alterum maris littus evaserunt. 1 Cor. X. 2. Mare hoc est in conspectu divini throni, quia omnis, qui ad thronum Dei cupit accedere, debet per baptismi mare transire. Dicitur *mare vitreum*. 1.) Quia secundum Richardum de Vict. *in baptismo puritas & claritas divinae cognitionis confertur*, unde græci patres baptismum vocant φωτισμὸν. 2.) Quia secundum Hugonem, *sicut vitrum totum radiis solis est pervium sic anima in baptismo abluta Deo tanquam soli pervia est, ut ab eo omni ex parte gratiae donis illustretur. Mare est simile crystallo, quia sicut in crystalli generatione glacies hyemali pressa frigore post plurimorum annorum curriculum in fortitudinem petrae obduratur: sic electorum fides inter pres*

peratur ipse Dominus creaturae. Tunc curatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus christianus &c. Ergo & illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit. Vide eundem lib. II. de sacrament. cap. 2. (*) Joh. XIX. 34. ex latere Christi in cruce mortui profluunt *sanguis & aqua*, ubi per aquam pii veteres intelligunt baptismum, per sanguinem cœnam dominicam, cum omnis vis sacramentorum ex Christi passione descendat. Hieronymus in epist. ad Ocean. *Latus Christi percutitur lancea, & baptismi pariter atque martyrii sacramenta funduntur.* Damascenus lib. IV. orth. fid. c. 10. *Christus ad servos ut miserator descendens per propriam passionem nos redemit,* ἐπήγασεν ἡμῖν ἐκ τῆς ἁγίας καὶ ἀχράντου αὐτοῦ πλευρᾶς πηγὴν ἀφέσεως, ὕδωρ μὲν εἰς ἀναγέννησιν καὶ ἔκπλυσιν τῆς ἁμαρτίας, αἷμα δὲ ποτὸν ζωῆς αἰδίου προέχεον· *Scaturivit nobis ex sancto & incontaminato latere fontem remissionis, aquam in regenerationem & ablutionem peccati & corruptionis, sanguinem vero potum vitae aeternae causam.* Apoc. IV. 6. coram throno agni adparet *mare vitreum simile crystallo.* (Hoc mare purissimum instar crystalli significat baptismum, in quo demerguntur peccata nostra. Mich. VII. 19.) Apoc. XXII. 1. *Ostendit mihi fluvium purum aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni in medio plateae ejus*, puta coelestis Hierosolymae; ideo de sede Dei & agni fluvius baptismi procedere dicitur, quia omnis ejus vis & efficacia a Deo provenire intelligitur. Neque tamen improbamus, si quis per hunc fluvium accipiat Spiritum sanctum, qui donis suis largissime irrigat & militantem & triumphantem ecclesiam. Joh. VII. 38. *Qui credit in me, de ventre illius fluent aquae vivae.* v. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nazianzenus orat. in S. lavacrum huc refert *suffocationem porcorum in mari.* Augustinus tract. XLIV. in joh. *lotionem & curationem cœci nati.*

Συναγωγὴ vaticiniorum ac typorum.

§. XIV. Praecipua vaticinia & typos baptismi complectitur Cyrillus libr. VI. in Joh. cap. XIV. tom. 1. p. 326. *Ne recens*, inquit, *credatur & arbitraria lavacri baptismatis constitutio, quod & multis testamenti veteris figuris & prophetarum testimoniis est praefiguratum: Aquis quippe diluvii totius mundi expiata sunt peccata, & qui in arca reconditi erant, per aquam salvi facti sunt, id baptismi typum gessit, per quem sordes omnes peccatorum deponuntur, & vitae vetustas tollitur. Insuper populus Israël duce Mose mare rubrum ficco pede pertransit, submersis ibidem Ægyptiis, quod per baptismi susceptionem totam diabolicae pravitatis cohortem a nobis dimoveri & expelli insinuat, nosque in Christo regeneratos a durissima ejus tyrannide Dei gratia liberari. Quid praeterea populus Israeliticus Josuae ductu Jordane trajecto, ubi etiam aquae hinc atque hinc immotae constiterant, & medium praebuerant iter in terram promissionis perducti significant, nisi Christo auctore quicunque baptismi lavacrum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros? Quid Naaman Syrus septies in Jordane abluvium accipiat Spiritum sanctum, qui donis suis largissime irrigat & militantem & triumphantem ecclesiam. Joh. VII. 38. *Qui credit in me, de ventre illius fluent aquae vivae.* v. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nazianzenus orat. in S. lavacrum huc refert *suffocationem porcorum in mari.* Augustinus tract. XLIV. in joh. *lotionem & curationem cœci nati.*

pressuras ac tribulationes per incrementa temporum ad firmitatem perducitur. Joh. IX. *aqua Siloe* ab Ambrosio ep. LXXV. & Augustino tract. XLIV. in Joh. ad baptismum adplicatur. GERHARDUS.

(*) Cyrillus lib. VI. cap. XVI. in Joh. *Postremum hanc baptismi gratiam praesignavit probatica piscina, in quam post aquae ab angelo motionem descendens, quacunque tenebatur aegritudine languidus, illico sanabatur. Volens enim Deus hominis propinquius adducere ad baptismi donum per hanc piscinam, quam per aquam lustrationum, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed & corporis langores tollit & aegritudines sanat, quo designetur, baptismum omnem animi morbum depellere & peccata detergere. Sicut enim ministri, qui prope regem sunt, longe clariores sunt, ita & in figuris fit, ut quae propinquior est veritati, eam clarius & manifestius exprimat atque referat.* GERHARDUS.

ablutus esse a lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismo Christi lotos ab omni prorsus animae lepra peccatorumque purgari? Quid denique aqua expiationis & lustrationis secundum veteris legis ritum tollens immunditiem? Hanc plane aquam Dominus pollicitus est apud Ezech. XXXVI. *effundam super vos aquam mundam &c. Hanc baptismi aquam vidit propheta Ezechiel.* XLVII. *Vidi aquam egredientem de templo &c. hanc effudit latus Christi* Johan. XIX. *hanc praesignavit probatica piscina.* Vide his similia apud Justinum in dialog. cum Tryph. Basilium in Psalm. XXVIII. & in exhort. ad baptism. Damascenum libr. IV. orthodox. fid. cap. 10. &c. Gisel bertus in libro altercat. synag. cap. 8. itidem multas figuras recensет: *Quoties figura baptismi in antiquis seculis latuerit, Hieronymus perpaucis ostendit, crystallum super cherubin videtur extensum, id est, compactae & densiores aquae. Fabricatur homo de limo & inter manus Dei aquarum sacramenta versantur. Fons in paradiso in quatuor principia dividitur, qui postea egrediens de templo & contra solis ortum vadens amaras aquas mortuasque vivificat. Peccat mundus & sine aquarum diluvio non purgatur. Columba Spiritus sancti, expulso alite terrimo, ita ad Noë quasi ad Christum in Jordane devolat, & ramo refectionis ac luminis pacem orbi adnunciat. Pharao cum exercitu suo in typo baptismi aquis suffocatur. Tu confirmasti, inquit, in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis, unde reguli & scorpiones arentia quaeque sectantur, & cum venerint ad aquas, hydrophagos & lymphaticos faciunt. Mara mutatur sacramentis crucis & septuaginta palmae apostolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigantur. Patriarchis puteos fodientibus repugnant allophyli. Bersabeae civitas juramenti, regnumque Salomonis nomen sumsit a fontibus, Rebecca, Rachel, & filiae sacerdotis Midian apud aquas inveniuntur. Praecursor in aquis fontium juxta Salim, Salvator post Jordanem cœpit praedicare. Primum ejus signum ex aquis est. Samaritana vocatur ad puteum. Sitientes invitantur ad aquas. Percusso latere Domini exit sanguis & aqua. Mutat contra naturam aethiops pellem suam & pardus varietates suas. Vox Domini super aquas. Dominus diluvium inhabitare facit, qui adscendunt de lavacro.* Mich. VII. 19. *demerget, inquit Dominus, iniquitates nostras & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra &c.*

CAPUT III.

DE INSTITUTIONE BAPTISMI.

Causa efficiens principalis baptismi.

§. XV. *Causa efficiens* baptismi est vel *principalis* vel *instrumentalis* ac ministerialis. Causa *principalis*, sive auctor, ut reliquorum sacramentorum, ita quoque baptismi est Deus, sive quod idem est, tota sacrosancta Trinitas, id quod patet: I.) *ex* vaticiniis & typis vet. test. Cum enim Spiritus sanctus per os prophetarum de baptismi institutione & efficacia fuerit vaticinatus, 2 Sam. XXIII. 2. Luc. I. 70. ex eo adparet, baptismi in nov. test. institutionem soli & uni vero Deo adsignandam esse. Amos III. 7. *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi rev laverit secretum suum servis suis prophetis.* II.) *Ex* eo, quod Johannes, qui primus nov. test. hoc sacramentum administravit, *a Deo missus dicitur ad baptizandum*, Matth. XXI. 25. Marc. XI. 31. Luc. XX. 4. Christus interrogat Pharisaeos, *an baptisma Joannis fuerit ex cœlo, an ex hominibus?* (docens Johannem haudquaquam privato arbitrio ac propria auctoritate baptismum administrasse, aut ab hominibus ad baptizandum esse missum, sed a Deo ipsi hoc munus esse demandatum, eam enim vim esse illius phraseos, *ex cœlo*, adparet ex similibus locutionibus: Luc. XV. 21. *Peccavi in cœlum*, id est, adversus Deum, qui in cœlis habitat, verissimum enim est illud Davidicum: Psalm. LI. 6. *Tibi, tibi soli peccavi.* Sic 1 Maccab. III. 18. ἐκ ἐστὶ διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πόλλοις ἢ ἐν ὀλίγοις. 1 Macc. IV. 18. *βοήσομεν εἰς τὸν οὐρανὸν,*

ἐρανὸν, ἐι ἐλείσει ἡμᾶς. Eodem modo usurpant Rabbini, cum dicunt, *omnia esse in manu cæli*, item: *sit timor cæli super vos: Nomen cæli frequens in ore ipsius: Timor hominum, si prævaluerit, excludit timorem cæli*, unde recte notat Tremellius, esse idiotismum Syrorum, cœlum poni pro Deo. Vide Drusium lib. V. observat. c. 11.) Luc. III. 2. *Factum est verbum Domini super Johannem Zachariae filium in deserto*, v. 3. *& venit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum*, (utique ergo divino mandato & prædicandi & baptizandi Johannes fuit instructus). Luc. VII. 29. *Omnis populus audiens, & publicani justificaverunt Deum baptizati baptismate Johannis*; v. 30. *Pharisaei autem & legisperiti spreverunt consilium Dei erga se ipsos non baptizati ab eo.* (Si baptismus Johannis fuit consilium Dei, utique ergo Johannes divinum de eo habuit mandatum. Act. XX. 27. *Non subterfugi, quo minus adnunciarem vobis omne Dei consilium, id est*, quidquid præcepit Deus docere & prædicare, ita enim exponitur Matth. XXVIII. 20. *Docentes eos servare omnia, quaecunque praecepi vobis.*) Joh. I. 33. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat Spiritu sancto.* Huc pertinet, quod baptismum Johannis ipse Christus non tantum comprobaverit, sed etiam sanctificaverit, petens, se ab eo baptizari Matth. III. 13. quin imo tota sacrosancta Trinitas miranda θεοφανεία eundem comprobavit, cum apertis cœlis sese manifestaret,

Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave. v. 15.

III.) *Ex* solenni institutionis repetitione, renovatione ac promulgatione facta a Christo, divinorum consiliorum interprete, Joh. I. 18. Hebr. I. 1. qua apostoli jussi sunt non in Judæa solum, (ut Johannes fecerat) sed in toto terrarum orbe prædicare & baptizare gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti (*).

(*) Idem probatur IV.) *ex* baptismo apostolorum, qui Christo adscribitur Joh. III. 22. qui tum *ipse neminem suis manibus baptizavit.* Joh. IV. 1, 2, 3. V.) *A* fine & effectu baptismi, qui est *remissio peccatorum*, Marc. I. 4. Luc. III. 3. hæc autem a solo Deo dependet, Mich. VII. 18. Psalm. XXXVI. 9. CIII. 3. Exod. III. 7. Job. XXIV. 4. Esai. XLIII. 25. Marc. II. 7. Photiniani docent, *baptismum aquæ ab apostolis potius trahere originem, quibus permittente Christo tale quid constituere liberum permissum, nequaquam vero præceptis injunctum fuerit.* Ostorodus instit. cap. 39. §. 1. p. 347. §. 2. p. 348. Smalcius contra D. Franz. disp. X. p. 308, 309. Contra Christus est verus baptismi auctor, non permissione sed mandato: 1.) quia nusquam legitur apostolos permittente Domino eum instituisse. 2.) quia expressum institutionis mandatum habetur Matth. XXVIII. 19. 3.) baptismus est ordinarium remissionis peccatorum & salutis æternæ organum. At tale organum non ab homine, sed a Deo instituitur. 4.) apostoli cunctos ad fidem christianam accedentes baptismum *ante omnia*, Act. II. 37, 38. *continuo* XVI. 33. suscipere suaserunt, imo jusserunt, Act. X. 48. quod præcepti & institutionis, divinæ autem, certum est argumentum. 5.) Johannis baptisma non potuisset absque temeritatis crimine administrari nisi divino jussu præcedente, ut patet ex conditione eorum, quæ ad cultum divinum spectant, unde toties vocatio Johannis adscritur. Luc. III. 2. Joh. I. 33. Idem de apostolorum baptismo statuendum. Regerunt 1.) *Matth. XXVIII. describi permissionem, non præceptum.* Smalcius contra D. Frantz. p. 310. At a.) permissio unde probatur: b.) verba *imperativa* inferunt mandatum, nisi textus vel alius scripturæ locus doceat contrarium: c.) eadem est vis τῶ *docentes* cujus τῶ *baptizantes.* 2.) *Esse sermonem non de baptismo aquae, sed doctrinæ.* Ostorodus instit. p. 350. Smalcius contra Frantz. p. 309. 315. Resp. a.) nullus est doctrinæ baptismus? b.) quamvis esset, non tamen a proprio, genuino & vulgatissimo sensu discedendum, sed in regula maneudum, donec exceptio probetur: c.) salvator primo in genere dicit μαθητέυσατε, quod mandatum quomodo gemino modo apostoli exsequi possint, per distributionem monstrat *baptizantes* & *docentes*, præceptum generale ad utrumque specialem modum æqualiter referens. GERHARDUS.

De tempore institutæ baptismi opiniones Scholasticorum.

§. XVI. Scholastici de institutione baptismi, quo scilicet *tempore* facta sit, non consentiunt. Alexander Alens. IV. sent. dist. 3. ita procedit: *Potentialiter seu materialiter institutus est baptismus, cum Christus a Johanne baptizatus, quia tunc materiam dedicavit.* Joh. III. *Est institutus quoad finem, quia ibi ostenditur finis baptismi, scilicet ingressus in regnum cœlorum.* Matth. XXVIII. *est institutus formaliter, quia ibi formam Christus expressit, quantum ad principalem partem; in cruce institutus, quantum ad significationem, dum exivit scilicet ex Christi latere sanguis & aqua.* Luc. X. *institutus officialiter, dum discipulos misit binos & binos ad praedicandum & baptizandum.* Thomas part. III. q. 66. art. 2. ex Lombardo libr. IV. sent. dist. 3. lit. G. simpliciter statuit, *baptismum Christi institutum esse, cum a Johanne in Jordane fuit baptizatus. Sacramenta* (inquit) *ex sui institutione habent, quod conferunt gratiam: tunc ergo videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum: hanc virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus: tunc ergo baptismus vere institutus.* Thomæ sententiam amplectitur Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 5. Richardus vero lib. IV. sententiarum dist. 3. q. 5. art. 1. institutionem baptismi, non ad *passivum* (ut ita loquar) baptismum Christi, quo scilicet ipse baptizatus est, sed ad *activum* ejusdem baptismum, quo scilicet per discipulos baptizavit, referendum esse disputat. *Christus* (ait) *sacramentum baptismi prius insinuavit facto, dum a Johanne baptizatus, insinuavit etiam verbo* Joh. III. *Nisi quis renatus fuerit: instituit facto, dum per discipulos baptizavit* Joh. IV. *Instituit etiam verbo, quando discipulos misit binos & binos: confirmavit in signo, dum in cruce exivit sanguis & aqua; confirmavit etiam praecepto* Matth. XXVIII.

Baptismus Johannis an a Deo sit institutus?

§. XVII. Quid vero fiet de baptismo Johannis, quem scilicet administravit, antequam Christus in Jordane ab ipso baptizaretur, & per discipulos suos baptizaret? Respondent, eum non a Deo, sed ab ipso Johanne fuisse institutum, qua in parte ipsos sequitur Bellarminus lib. I. de baptismo cap. 20. uri & Osiorodus Photinianus in instit. germ. cap. 30. *Non potest* (inquit) *ex scriptis apostolorum & evangelistarum demonstrari, Johannem divino mandato baptizasse.* Sed ostendimus invictis argumentis, baptismum Johannis fuisse sacramentum, ab ipso Deo institutum (*), cum dicatur *a Deo missus ad baptizandum* Joh. I. 33. cum baptismus illius dicatur fuisse *non ex hominibus, sed e cœlo;* Matth. XXI. 25. adeoque ipsius *Dei consilium.* Luc. VII. 30. Denique cum *verbum Domini* dicatur *factum super Johannem;* Luc. III. 2. quo permotus *venerit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum* &c. v. 3. Jam vero Christus est nunc ille verus cum Patre & Spiritu sancto Deus: ergo ab institutione baptismi, a Johanne administrati, Christus non potest excludi. Adde, quod Johannes baptizarit in remissionem peccatorum, ut postea demonstrabimus. Jam vero peccata remittere & media efficacia remissionis peccatorum ac salutis instituere est solius Dei. Ergo institutio baptismi, quem Johannes administravit, Deo tribuenda erit. Excipit Bellarminus loco dicto, *Deum in genere solum Johanni hoc inspirasse, sed ritum in particulari a Johanne inventum esse, non autem a Deo praescriptum accepisse.* Resp. imo vero baptista diserte profitetur, se missum *esse a Deo βαπτίζειν ἐν ὕδατι ad baptizandum in aqua,* Joh. I. 33. ubi ipsa actionis determinatio divinæ missioni tribuitur. Ipse etiam baptismus Johannis vocatur *Dei consilium,* Luc. VII. 30. id est, sapientissimo Dei consilio institutus. Sic Pharisæi de ipso ritu

Fundamentum sententiæ affirmativæ.

Exceptio Bellarmini.

Baptismus Jo-

(*) Vid. *locum XIX. de sacramentis in genere, cap. II. §. XV. tom. VIII. loc. theol. p. 209. seqq.* Reliqua, quæ de baptismo Johannis dicenda restant, infra §. *XLIV.* edifferuntur.

ritu baptizandi in specie quærunt: *Quare tu baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* Joh. I. 25. Quibus Johannes respondet, se divinitus ad prædicandum & baptizandum esse missum: quamvis igitur in scripturis sacris non referatur, Johannem tale quoddam externum mandatum baptizandi accepisse, quale apostolis postea a Christo fuit datum: dubium tamen nullum, quin interno Spiritus instinctu ad baptizandum fuerit edoctus, atque missus, qui impulsus & instinctus Spiritus sancti in prophetis & apostolis æquipollet omnino externo mandato viva voce ad aures ipsorum delato, alias consequens fuerit, gradus ac species divinæ revelationis introducere gradus quosdam certitudinis inter ea, quæ per Mosen & prophetas populo Israelitico sunt proposita. Num. XII. 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione adparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* v. 7. *At non talis est servus meus Moses, ore enim ad os loquor ei, & non per aenigmata & figuras Dominum videt.* Quin imo Chemnitius in harmon. evangel. cap. 16. pag. 301. ex verbis evangelistarum erudite colligit, non tantum secreta inspiratione ac instinctu Spiritus interiore Johannem fuisse a Deo vocatum, sed, quod vox quædam divina cum Johanne in vocatione loquens, certa mandata ei dederit. Luc. III. 3. *Factum est verbum Domini ἐπὶ ad vel super Johannem:* Joh. I. 33. *qui misit me ad baptizandum, dixit mihi.* Repetimus igitur nostrum argumentum: Johannes expresse testatur, se *missum esse ad baptizandum;* Joh. I. 33. baptizare non est aquam tantum infundere vel aquæ immergere, sed oportet ut accedat verbum, alias ipsius actio non fuisset baptismus, sed externa tantum ablutio.

Argumenta pro parte negativa.

1.) Dicitur baptismus Iohannis, non Christi.

§. XVIII. Ex his facili negotio ad reliqua argumenta respondetur. I.) *Dicitur baptismus Iohannis, non autem Christi. Ergo non a Christo, sed Iohanne fuit institutus.* Matth. III 7. *videns Iohannes multos Pharisaeorum venientium ad suum baptismum &c.* Respond. dicitur baptismus Iohannis, non quasi propria auctoritate & privato arbitrio Johannes eum administraverit, vel quasi Johannes *fuerit auctor totius, quod agebatur per suum baptisma*, ut loquitur Biel libr. IV. sent. dist. 2. q. 2. sed ut distinguatur a baptismo Christi, hoc est, eo, quem Christus per apostolos administravit. Ideo vero a baptismo Christi, id est, a baptismo per apostolos atque alios verbi ministros in primitiva ecclesia administrato baptismus Johannis distinguitur, non quod ille solum divinam institutionem habuerit, hic vero non item, sed quod per illum visibilia Spiritus sancti dona & donorum invisibilium uberior copia baptizatis fuerit collata, quo beneficio quamvis Johannis baptisma destitutum fuerit, ex eo tamen nimis large infertur, quod etiam divina institutione, & omni plane spiritualium donorum collatione caruerit, qua de re plura inferius. II.) *Christus nondum cœperat praedicare. Ergo baptismus Johannis non pertinet ad nov. test.* Resp. *omnes prophetae & lex usque ad Johannem prophetarunt.* Matth. XI. 13. Ergo in Johanne vet. test. desinit, quippe qui non prænunciavit Christum longe post venturum, sed digito monstravit præsentem. Joh. I. 29. Idem etiam prædicans in deserto ac locustis vescens ceremoniales vet. test. leges adventu Messiæ antiquatas esse docuit, unde Tertullianus adverſ. Marc. libr. IV. pag. 272. vocat eum *limitem, in quo cessaverit Iudaismus, & cœperit Christianismus.* Nazianzenus orat. XXXIX. in s. lumina p. 633. vocat eum παλαίας καὶ νέας μεσίτην. Ipse Bellarminus libr. I. de baptismo c. 19. ex Thoma scribit: *Baptisma Johannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam, ut quandam praeparationem ad Christi baptismum.* De tota hac re copiose alibi disputavimus. III.) *Baptismus Johannis non habuit invocationem sanctae Trinitatis. Ergo nec a Trinitate est institutus.* Resp. de *forma & fine* baptismi a Johanne administrati paulo post dicendum erit.

2.) Christus nondum cœperat prædicare.

3.) Baptismus Johannis non habuit invocationem Trinitatis.

CAPUT IV.

DE ADMINISTRATIONE BAPTISMI.

Causæ instrumentales baptismi.

§. XIX. Causa *instrumentalis* sive minister baptismi fuit I.) *Iohannes*, qui primus in nov. test. hoc sacramentum dispensavit Matth. III. 6. Marc. I. 4. Luc. III. 12. Joh. I. 28. III. 23. quin & ipsum Christum sacro hoc lavacro tinxit, Matth. III. 16. Marc. I. 9. Luc. III. 21. Joh. I. 33. Unde κατ' ἀντονομασίαν vocatur ὁ βαπτιστὴς Matth. III. 1. XI. 12. II.) *Discipuli Christi*, qui non solum post Christi ad cœlos adscensum facta solenni baptismi promulgatione, sed etiam ante Christi passionem ac mortem eundem administrarunt. Joh. III. 22. *Venit Iesus & discipuli ejus in terram Judaeam, & illic commorabatur cum discipulis & baptizabat;* (id postea exponitur) Joh. IV. 2. *Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus.* Quare vero Christus ab externa administratione baptismi abstinuerit, ejus rei a veteribus proferuntur hæ rationes: 1.) Ut amoliretur falsam persuasionem baptizandorum, ne illi, qui immediate ab ipso fuissent baptizati, viderentur majus aut excellentius beneficium ab illo accepisse, quam alii a discipulis baptizati. Notum enim est, quid Paulo in simili prorsus casu acciderit: 1 Cor. I. 14. 2.) Ut ostenderet illustre discrimen inter suam & ministrorum personam, quod scilicet ipse sit, qui baptizet Spiritu sancto, ministri vero externum tantum adhibeant ministerium. 3.) Ut auctoritatem, dignitatem & efficaciam ministerii divinam commendaret, ac doceret, baptismi dignitatem & efficaciam non ex personarum dispensantium qualitate, sed ex divina institutione & promissione æstimandam esse, cum expresse Johannes dicat, Christum illos baptizasse, quos apostoli baptizabant, quia non suo, sed Christi nomine baptismum administrabant. Nicephorus quidem libr. II. c. 3. ex epistola Evodii refert: *Christum suis manibus baptismum aquae contulisse Petro, qui deinde fratrem suum Andream & filios Zebedaei baptizarit, ab illis postea reliquos apostolos baptizatos esse.* Euthymius in cap. III. Joh. inquit: *Scribunt quidam apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum & virginem matrem baptizaverit; Petrus vero reliquos omnes apostolos.* Augustinus ad Seleucianum probabili conjectura disputat, *discipulos Christi fuisse baptizatos sive baptismo Iohannis, ut nonnulli arbitrantur, sive baptismo Christi, neque enim baptizandi ministerio defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit illis humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit.* Martinus Duncanus, scriptor pontificius, libr. I. contra anabapt. cap. 4. adserit, *apostolos a Christo baptizatos fuisse;* idem videtur Bellarmino libr. I. de bapt. cap. 23. circa fin. et Suarezio tom. IV. fol. 200 (*). Sed cum certis & manifestis scripturæ testimoniis in hac quæstione destituamur, *cohibere se debet humana praesumtio, nihil in alteram partem adseverando*, ut idem Augustinus libr. II. de pecc. merit. cap. ult. rectissime scribit. Unde Tertullianus libr. de baptism. p. 601. secutus diserta verba evangelistæ: Jesus non baptizabat &c. statuit *discipulos Christi a Iohanne baptizatos fuisse.*

Quare Christus ipse non baptizarit?

Baptismi administratio ordinaria pertinet ad ministros ecclesiæ.

§. XX. Quamvis igitur Deus ipse baptismum instituerit, eundem tamen non αὐτόθεν sed ἐμμέσως administrat; perinde ut voluntatem & consilium suum de nostra salute itidem non immediate, sed mediate per homines nobis adnunciat. Hæc baptismi administratio ordinarie pertinet ad ministros ecclesiæ: 1.) Quia munus docendi complectitur etiam ministerium sacramentorum. Quemadmodum sacramenta sunt visi-

(*) De Christina refert hist. Lombard. cap. 93. quod ab ipso Christo in mari baptizata sit his adhibitis verbis: *Baptizo te in Deo Patre meo & in me Iesu Christo, filio ejus, & in Spiritu sancto.* GERHARDUS.

visibilia signa gratiæ in verbo evangelii oblatæ: ita quoque sacramentorum administratio ordinarie pertinet ad eos, qui divinitus missi sunt ad prædicandum evangelium. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. utrumque apostolis committitur, *ut euntes in orbem universum gentes doceant, & baptismum in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti administrent*, 2.) Quia ministri ecclesiæ sunt *dispensatores mysteriorum divinorum*, ad quæ cumprimis pertinent sacramenta. 1 Cor. IV. 1. *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* 1 Tim. III. 5. *Episcopus domui suæ bene præesse debet, qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei curam habebit?* (verbum docendo, sacramenta administrando, disciplinam conservando.) Tit. I. 7. *Episcopus est θεοῦ οἰκόνομος.* 3.) Quia in Johanne & apostolis prædicatio verbi & administratio baptismi fuerunt conjuncta. De Johanne res est manifesta. De apostolis idem perspicuum, non solum ex mandato Christi, Matth. XXVIII. 19. cui morem ipsos gessisse certissimum est, sed etiam ex ipsa praxi. Act. II. 41. *Qui receperunt sermonem Petri, baptizati sunt.* (utique a Petro & reliquis apostolis) Act. VIII. 38. *Philippus baptizat eunuchum aethiopem.* Act. IX. 19. XXII. 16. *Ananias Paulum.* 1 Cor. I. 14. *Paulus Crispum & Gajum.* v. 16. *Stephanae familiam.* 4.) Quia circumcisio, in cujus locum successit baptismus, ordinarie per sacerdotes fuit administrata, ut ostendimus in tract. de circumc. §. 9. Chrysostomus in 1 Cor. I. *Evangelizare paucorum est, baptizare autem cujuslibet, modo fungatur sacerdotio.*

§. XXI. Error igitur est 1.) quod Pepuziani (*) alias Quintilliani dicti (**), *sacerdotium adeo commune faciebant, ut eo etiam mulieres honorarent*: Augustinus de hæresi ad Quodvultd. cap. 27. secuti Marcionem, qui mulieribus *etiam extra casum necessitatis, & quidem in publicis cœtibus baptizare permisit.* Centuriæ Magdeb. II. p. 93. 2.) quod anabaptistæ, abusi iis scripturæ locis, quibus christiani in universum omnes *regale sacerdotium*, 1 Petr. II. 9. *& facti coram Deo reges & sacerdotes* dicuntur, Apoc. I. 6. omnes promiscue christianos nullo habito respectu, an sint ministri ecclesiæ nec ne, ordinarie baptismum administrare posse contendunt, quibus opponimus regulam apostolicam 1 Cor. XIV. 40. *πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.* *Errores de ministro baptismi.*

§. XXII. At, inquis, I.) ex actis apostolicis probari posse videtur, alios fideles præter apostolos, etiam in ipsorum præsentia, baptismum administrasse. Act. X. 48. *Petrus jubet eos baptizare, qui Cæsareae in domo Cornelii Spiritum sanctum acceperant. Ergo non a Petro, sed aliis credentibus baptismum susceperunt* (***). Resp. verba illa *προ-* *Solutio argumentorum contrariorum.*

(*) Nomine *Pepuzianorum*, de quibus hoc loquitur GERHARDUS, denotantur MONTANI sectatores, *Montanistæ* alias dicti, qui seculo quarto civitatem christianam pravis suis sententiis atque institutis conturbarunt. Adpellabantur *Pepuziani* a Pepuza, Phrygiæ oppidulo, quod potissimum incoluerunt & pro suis Hierosolymis habuerunt, prout testatur EPIPHANIUS *hæres. XLVIII. num. 14.* & *hæres. XLIX. num. I.*

(**) *Quintillianorum* nomen olim impositum fuit *Cainianis*, seculi quarti hæreticis, qui Cainum aliosque corruptissimæ mentis homines coluisse dicuntur. Inter eos, qui sectæ huic olim fuerunt addicti, erat *Quintilla*, a qua perversi isti homines *Quintilliani* dicti sunt. Referunt prisci auctores, eos baptismum improbasse, de visionibus divinis fuisse gloriatos, ac mulieribus facultatem dedisse, officia sacra peragendi.

(***) Certe Johan. Volkelius, Photinianus, in resolut. nodi gordii contra Smiglecium pag. 19. *baptismum a quovis administrari posse etiam extra necessitatis casum*, probare conatur *ex eo, quod Petrus jusserit, ut se præsente Cornelius una cum tota familia baptizaretur.* GERHARDUS.

προσέταξε αὐτὸς βαπτισθῆναι, jussit illos baptizari, sive baptisma suscipere, indefinita sunt, nec quidquam impedit, quo minus ab ipso Petro illi dicantur baptizati, neque enim aliis baptismi administrationem peragendam Petrus commendat, sed illos, qui Spiritum sanctum acceperant, ad baptismi susceptionem hortatur. Quod si omnino aliorum opera in baptismi administratione usum fuisse Petrum ex verbis illis evinci posset; nondum tamen consequens foret, laicos illos fuisse, siquidem fuerunt vel evangelistæ, vel presbyteri, vel diaconi, quos secum plerumque adsumebant apostoli, qui una cum illis verbum evangelii prædicabant. II.) Paulus 1 Cor. I. 17. dicit, *se non esse a Christo missum ab baptizandum, sed ad prædicandum evangelium.* Ergo administratio baptismi non pertinebit ad eos, qui sunt præcones evangelii (*). *Resp.* verba apostoli non intelligenda sunt *absolute*, quasi nulla ratione baptizandi munus ad apostolum spectaverit, (alias foret consequens, ipsum graviter peccasse, absque vocatione baptizando Crispum, Gajum & Stephanæ domum v. 14. & 16. quin & Lydiam Act. XVI. 15. ac custodem carceris Philippensis v. 33.) sed *comparate*, quod scilicet Paulus cumprimis fuerit missus ad prædicationem evangelii, ad quam majora Spiritus sancti dona requiruntur, quam ad baptismi administrationem, siquidem sacramenta per illos dispensari possunt, qui non sunt tam egregiis & heroicis Spiritus sancti donis instructi, cum efficacia eorum non a qualitate vel dignitate ministri, sed ab auctore Deo in solidum dependeat, in cujus nomine administrantur. Similis loquendi formula exstat: Jer. VII. 22. *Non locutus sum patribus vestris de sacrificiis vel holocaustis in die, qua eduxi illos ex Ægypto;* id est, non cumprimis ac præcipue de sacrificiis, sed de obedientia erga decalogum illis sum locutus.

integritatem requiratur vocatio ministri legitima?

sacramenti baptistici integritatem & efficaciam requiratur in ministro, 1.) vocatio legitima, 2.) fides recta, 3.) vita pura. *Vocationem legitimam* necessario requiri statuit Calvinus libr. IV. instit. cap. 20. & seqq. Collocutores adversæ partis in colloq. Mompelg. p. 435. Beza in qq. & resp. q. 137. Atqui 1.) cum Christus audiri jubeat *scribas & pharisæos in cathedra Mosis sedentes;* Matth. XXIII. 3. ipsorum etiam circumcisionem eo ipso approbasse judicandus est, quorum tamen vocationem legitimam omnino fuisse quis dixerit? 2.) Sed nec sacrificulorum papisticorum vocationem legitimam esse concedent, interim tamen baptismum ab illis administratum irritum esse nondum ausi sunt edicere. Bucanus loc. XLVII. p. 624. *Ratus haberi debet pontificiorum baptismus, qui errore communi, vel longa tolerantia, seu per vim pastorum sedem occupant & publicum ministerium tenent, etsi pro legitime vocatis habendi non sint.* 3.) Adde quod baptizati de veritate & integritate baptismi perpetuo cogantur dubitare, si ad eam legitima ministri vocatio requiritur, cui enim constare potest, an non malis artibus ovile Christi intraverit? 4.) Beza q. 144. ipsius satanæ baptismum in ministerio non dubitanter se velle dicere legitimum adserit. At quomodo unquam satanæ ad ministerium vocatio legitima erit vel esse poterit? Vocationem igitur in ordinario baptismi ministro requirimus; legitime vocatos & sinceræ doctrinæ præcones, si haberi possint, ad baptismi dispensationem requirendos esse dicimus, interim tamen si baptismus ab eo conferatur, cujus vocatio non est modis omnibus legitima vel fides recta, ex eo integritati & efficaciæ baptismi nihil deceedere adserimus, modo substantialia ejusdem rite observentur.

§. XXIII. De *qualitatibus* ministri baptizantis quæritur, an ad

An ad baptismi

§. XXIV. *Fidem rectam* in baptizante ad baptismi integritatem requiri, ac proinde baptismum

An requiratur ministri fides recta?

(*) Photiniani ex eo loco colligunt, *baptismum non esse necessarium ad salutem. Omnia quæ ad salutem necessaria sunt, præcepta fuere apostolis. At Paulus dicit, Christum non præcepisse sibi, ut quemquam baptizaret. Ergo baptismus aquæ non est necessarius.* Smalcius in refutatione eorum, quæ Smiglecius ad examinat. 100. errorum protulerat. p. 59. GERHARDUS.

smum ab illis, qui fidei sinceritate & unitate veræ ecclesiæ non sunt conjuncti, hoc est, ab hæreticis vel schismaticis collatum inefficacem, ideoque iterandum esse voluerunt Cyprianus & concilii Carthaginensis patres; Eusebius libr. VII. hist. eccles. cap. 2. *Ad Stephanum (episcopum Romanum)* Dionysius (Alexandrinus) *primam ex epistolis de baptismate scribit, quaestione haud modica tum temporis mota, an debeant, qui ex quavis haeresi convertuntur, baptismate repurgari, cum priscus mos esset sola oratione erga illos, cum impositione manuum uti, c. 3. Primus tunc Cyprianus Carthaginensis praeciae pastor haud aliter, quam per baptismum primum ab errore lustratos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil praeter traditionem ex antiquo obtinentem innovandum esse putans, Cypriano ob hanc causam indignabatur* cap. 4. *ad Xystum*, (Stephani successorem) *alteram* Dionysius *scribens epistolam & Stephani & reliquorum episcoporum sententiam declarat, haec de Stephano dicens: Scripsit igitur primum de Heleno & Firmiliano, cunctisque per Ciliciam & Cappadociam & Galatiam & universis conterminis gentibus, nec illis se communicaturum propter eandem hanc causam, quod videlicet haereticos rebaptizarent. Considera autem rei hujus magnitudinem. Revera namque in maximis episcoporum synodis decretum est, sicut audio, qui ab haeresi aliqua veniunt, primum denuo instituendos esse, deinde abluendos & a veteris impuritate fermenti sordibus repurgandos esse, & de his omnibus ipsum rogans scripsit.* cap. 6. Idem Dionysius in *tertia epistola ex illis, quas de baptismate scripsit ad Philemonem Romanum presbyterum ista adjicit: Hunc ego canonem ac typum a beato Heracla papa nostro accepi: Ab haereticis enim venientes, licet ab ecclesia defecerunt, imo non defecerunt, sed cum illa se egisse putarunt, proditos vero, quod ad quendam alienа docentem accesserint, ab ecclesia pepulit, nec admisit ne orantes quidem, nisi publice cuncta, quae audissent ab adversariis, exposuissent, ac tum demum collegit eos, non petens, ut denuo baptizentur. Etenim jam ante Spiritum sanctum ab eo fuerant consecuti. Rursus ubi multis propositionem hanc tractavit, subjungit ista: Et illud cognovi, quod non jam Africani tantum hoc introduxerunt, sed & diu antea episcopis praecessoribus nostris in frequentissimis ecclesiis ac patrum synodis in Iconio & Synadis & apud multos ita visum sit, quorum sententias subvertere, illosque in contentionem & rixam conjicere, non sustineo* cap. 7. *Quarta illius* (Dionysii Alexandrini) *epistola ad Dionysium Romanum scripta est, in qua de Novato sic memorat: Praeter haec omnia sacrum lavacrum reprobavit, fidem ac confessionem, quae ante baptismum fuerunt, subvertit, ac Spiritum sanctum ex illis, etiamsi spes est aliqua, quod vel in ipsis maneat, vel rediturus sit, prorsus profligavit.* Cap. 8. *Exstat & quinta illius epistola ad Xystum Romanum episcopum scripta, in qua, cum multa adversus haereticos dixisset, tale quid ipsius tempore factum esse narrat, dicens: Etenim revera frater, consilio opus habeo & tuam sententiam abs te peto, quod tale quid mihi acciderit, unde verear, ne fallar. Cum fratres essent congregati, vir quidam existimatione fidelis, antiquus, & antequam ego ordinarer, opinor autem & ante beatum Heraclam, ecclesiastici cœtus particeps, dum nuper quidam baptizarentur, praesens, auditis, interrogatis ac responsis ad me accessit, flens & lamentans & ante pedes meos provolutus, confitebatur & jurabat, baptismum, quo baptizatus erat ab haereticis, non esse verum baptismum, nec cum hoc nostro ullam habere communionem, sed esse illum impietate & blasphemia refertum. Dicebat etiam, mentem suam vehementer compungi, nec tantum se fiduciae habere, ut oculos suos ad Deum levaret, quod profanis illis verbis & actibus esset initiatus, ideoque orabat, ut sincerissima hac purificatione, susceptioneque & gratia potiretur, quod quidem ego facere non sum ausus, sed diuturnam illam multorum temporum communionem illi sufficere dixi. Cum enim & gratiarum actionem in ecclesia audiisset, & ad illam una cum aliis Amen succinisset, mensae adstitisset, manus ad suscipiendum sanctum cibum extendisset, illum etiam accepisset, & prolixo jam tempore corporis & sanguinis Domini nostri*

stri Jesu Christi particeps fuisset, 'non sum ausus eum denuo baptismate initiare, sed animo bono esse, & fide firma ac spe bona ad communionem sanctorum accedere jussi. Ille vero indesinenter luget, & horrore a mensa Domini distinetur, & vix obsecutus precibus ecclesiasticis adesse sustinet. Exstat praeterea & alia illius de baptismate epistola ab eo & paraecia, cui praeerat, Xisto & Romanae ecclesiae nuncupata, in qua prolixa declaratione de proposita quaestione disputat. Hactenus Eusebius. Possunt autem hæ Dionysii epistolæ multa utiliter monere, unde Lutherus libr. de concil. & eccles. tom VII. oper. germ. pag. 231. lectorem ad illos remittit.

Donatistarum haeresis in hac quaestione.

§. XXV. Ex hoc Cypriani errore Donatistæ, postea eundem secuti, hæresin & schisma fecerunt. Quamvis enim Cyprianus & alii episcopi Africani baptismum, ab hæreticis administratum, inanem esse censerent, ideoque eos, qui ex hæresi ad rectam fidem converti ecclesiæ se adgregabant, rebaptizarent: non tamen contentiose ac pertinaciter in eo defendendo, quod minus solide refutatum verum esse opinabantur, sese gerebant, sed pacem cum fratribus & collegis dissentientibus fovebant, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum sentiret, amoventes, ut ipsi in exordio Carthaginensis sui concilii loquuntur, ideo nec hæreseos nota illorum errori inusta est, neque schismatis dissidio. Donatistæ autem, cum eundem errorem summa contentione & pertinacia tuerentur, ac desererent communionem fidelium, qui diversum statuebant, inde error evasit in hæresin, & ex dissidio factum est schisma, qua de re legendus Augustinus in libr. de baptismo contra Donatistas, cumprimis libr. I. cap. 18. libr. II. cap. 7. &c. & in libris contra Cresconium Gramm. & de hæresi ad Quodvultdeum hæres. 69 (*).

Distinctio haereticorum in hac quaestione attendenda.

§. XXVI. Cæterum quod ad quæstionem de hæreticorum baptismo attinet, certis quibusdam distinctionibus ejus decisio innititur. 1.) Quidam hæretici substantialia baptismi impugnant, utpote qui loco aquæ aliud quidpiam usurpant, vel mysterium Trinitatis præfracte & directe negant, nec in Patris, Filii ac Spiritus sancti nomine baptismum administrant. Quidam vero, quamvis alias doctrinæ cœlestis partes fermento suo corrumpant, tamen de substantia hujus sacramenti recte sentiunt, & in substantialibus divinam institutionem sequuntur. Quod ad hæreticos prioris classis attinet, illorum baptismus non est verus & efficax censendus, ideoque baptizati

Baptismus haereticorum sub-

(*) *Stephanus I. pontifex Rom. opinatus est, convertos a quacunque haeresi sine ulla exceptione non fuisse rebaptizandos. Et quidem certe, qui tum temporis vigebant haeretici, exceptis paucis Montanistis, erant fere Gnostici, insolitis utentes baptismi formis, propter odiosas & insolentes, quas tam de divinitate, quam de persona Christi tuebantur, opiniones. Quamvis autem in confesso sit, illos in baptismis suis non adhibuisse eam, quae nunc recepta est, formam; ecclesia tamen Romana tum temporis haereticos cujusque generis indiscriminatim sine baptismatis iteratione ad poenitentiam admisit. At episcopi Africae & Cappadociae his ex diametro repugnabant, tenentes, omnes haereticos rebaptizandos. Concilium Nicenum medium viam tenuit, statuens, Paulianistas & Montanistas rebaptizandos, Catharos vero minime. Synodus Constantinopolitana permultos recenset haereticos, qui purifico rore denuo erant lustrandi, & alios, qui cum suo baptismate erant recipiendi, quos nostra forma usos esse nemo facile demonstraverit. Sed ad hanc rem adprime facit, quod testatur Basilius, Novatianos, Encraticos & Saccophoros, quos Romae non rebaptizabant, a se tamen rebaptizatos, quam diversitatem sanctus ille vir absurdam non existimabat; hac modo dicebat, magno omnium bono futurum, si multi episcopi in unum congregati convenientem & concordem in agendo rationem praescriberent. Verum patres concilii Tridentini his nihil attentis doctrinae vulgatae infixi haerebant, haereticum vere baptizare, si verbis institutionis utatur, & ecclesiae sequatur intentionem.* Hæc ex Petri Suavis libr. II. hist. conc. Trid. p. 278. adnotavit GERHARDUS.

stantialia baptismi tollentium est irritus.

zati ab illis, si ad veræ ecclesiæ gremium confugiant, omnino baptizandi sunt, cum verum baptismum nondum acceperint. Sic Ariani olim baptizabant *in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo salvatore & creatura, & in Spiritu sancto utriusque servo*, teste Hieronymo contra Luciferian. tom. III. pag. 66. tom. II. p. 166. lit. F. edit. Colon. 1616. & Athanasio serm. III. contra Arianos, tom. I. p. 219. edit. Commelin. (*) Manichæi, scribit Augustinus l. c. *nolebant aquam ad baptismum adhiberi, quod illam a diabolo conditam opinarentur* (**). Harum corruptelarum in ipsa substantialia baptismi impingentium complures postea recensebimus. Quas si qui hæretici amplectuntur, ab illis verum baptismum conferri, sonora voce negamus, siquidem institutio baptismi aquam & verbum conjungit atque in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptisma conferendum esse præcipit. Matth. XXVIII. 19. Eph. V. 26. Ubicunque ergo pars substantialis altera deest vel mutatur, ab institutione divina disceditur, & per consequens verus baptismus neutiquam confertur. Augustinus libr. VI. contra Donatistas cap. 25. *Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* Sic concilium Nicænum

M 2 can.

(*) At, inquiunt, *Athanasius loquitur de adultis, non infantibus ab Arianis baptizatis.* Resp. 1.) Athanasius ne verbulo quidem innuit, discrimen in baptizatis faciendum esse, sed in genere de baptizante Ariano loquitur, videlicet in ecclesia Ariana. 2.) Baptismus si legitime conferatur, quoad substantiam manet idem, sive ab infantibus, sive adultis, sive a credentibus, sive ab incredulis recipiatur: ita si illegitime conferatur, nullus est a quocunque etiam recipiatur. Baronius tom. IV. in adpendice num. 6. *Licet Hieronymi contra Luciferianos & aliorum auctoritate constet, ecclesiam catholicam recipere consuevisse Arianorum baptismum, tamen nequaquam ab eadem susceptum est baptisma Photinianorum, quorum tanta erat impietas in negando divinitatem Filii Dei, adserentium, eum tantum fuisse hominem, ut Ariani ipsi eos ejicerent.* Idem tom. V. ann. 419. num. 109. *Cum Ariani additamento Eudoxii, iidem facti ibi in Thracia sunt Eudoxiani, eorum baptisma, sicut & Macedonianorum, catholica ecclesia penitus respuit, in quo nulla esset Trinitatis adsertio.* Concilium Arelatense II. can. 17. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes*, (quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est) *dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in ecclesia recipi sufficit.* Concilium Arelatense I. can. 8. *De Arianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit. Si ad ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum. Et si perviderint, in Patre & Filio & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum. Quod si interrogatur, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* (Quidam codices admodum antiqui legunt: *De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizentur,*) Refertur hic canon. c. de Arianis dist. 4. de consecrat. Arianos negantes sanctam Trinitatem, quæ pertinet ad substantiam baptismi, *vanum & inutile habuisse baptisma*, docet Athanasius tom. I. orat. 3. p. 219. & in epist. ad Serapionem p. 367. sic neque Manichæi, qui teste Augustino tom. VI. de hæresibus ad Quodvultdeum cap. 46. pag. II. nolebant aquam ad baptismum adhiberi, verum & integrum baptismum habuerunt. GERHARDUS.

(**) Manichæos baptismum reiecisse, ac salutarem eius efficaciam penitus negasse, auctor est AUGUSTINUS, supra a GERHARDO adlegatus, qui in libr. *de hæres. cap. XLVI.* de iis ita scribit: *baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre; nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum, putant.* Ast narrationem hanc AUGUSTINI omni prorsus destitutam esse fundamento, atque Manichæos non tantum baptizasse, verum etiam virtutem animam mundandi baptismo tribuisse, rationibus in medium adductis comprobare annisus est ISAACUS de BEAUSOBRE in *histoire du Manichee & du Manicheisme, tom. II. liv. IX. chap. VI. §. XV. & XVI. p. 715. seqq.* refutatus eapropter a b. cancell. MOSHEMIO, qui in *commentariis de rebus christianorum ante Constantinum M. p. 889. seqq.* argumentum de baptismo Manichæorum egregie solideque pertractavit. Lectu quoque digna sunt, quæ hanc in rem disseruit vir celeb. C. W. F. WALCHIUS in *der Historie der Kezereyen, part. I. p. 781. seqq.*

can. XXI. (in tomis concil. est can. XIX.) jubet rebaptizari Paulinianistas, id est, Photinianos sive Samosatenianos, Ruffinus libr. I. histor. eccles. cap. 6. nimirum quia regulam baptismi non tenuerunt, non enim baptizarunt in Christi nomine, teste Augustino libr. de hæresi cap. 44. Idem de Cataphrygibus statuit concilium Laodicenum can. VIII. unde constans regula antiquitatis, ὅσοι μὴ εἰς ἁγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν, τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι. Ambrosius in cap. III. Gal. non longe a principio: *Duodecim illos, qui in adulterino baptismate sub nomine baptismi Johannis non fuerant tincti, sed sordidati, Paulus apostolus in Trinitatis nomine baptizari praecepit.* Augustinus vel quicunque alius auctor libr. de eccles. dogmatibus cap. 52. Illos, *qui non sanctae Trinitatis invocatione apud haereticos baptizati sunt & veniunt ad nos, baptizari pronunciamus, non rebaptizari, neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti tincti non sunt* (*).

Hæretici Trinitatis mysterium negantes sunt in duplici differentia.

§. XXVII. Quod de baptismo, ab hæretico, qui mysterium sanctæ Trinitatis directe negat, collato, diximus, iterum cum quadam distinctione accipiendum. Vel enim solus minister hæresi illa infectus est, vel una cum eo etiam ecclesia illa, cujus est minister. Quod si hæresis substantialem aliquam baptismi partem impugnans totam aliquam ecclesiam occupavit, negamus verum esse baptismum, qui ab ejusmodi hæretico in tali ecclesia administratur, cum definitio baptismi illi non conveniat. Si vero minister ecclesiæ privatim & occulte hæresin institutioni & veritati baptismi contrariam foveat, ecclesia aperte diversum sentiente, statuimus verum ibi conferri baptismum. Sacramenti enim sunt bona ecclesiæ, ideo occultus ministri error baptismi integritati nihil detrahit, modo substantialia ejusdem observet, nec in externo elemento vel verbo quidquam mutet. Tale quid patrum nostrorum memoria Heidelbergæ in Palatinatu contigit, ibi enim Adamus Neuserus, pastor ecclesiæ ad Spiritum sanctum primarius, aliquot annis privatim hæresin Arianam fovit, qui Constantinopolin tandem profugiens abjurata religione christiana, circumcisione susceptâ, Mahometismo nomen dedit. Osiander cent. XVI. hist. eccles. libr. 2. cap. 22. Nec tamen baptismus pronunciatus est vel etiam pronunciari debuit irritus, quem ecclesiæ in hoc articulo rectè sentientis nomine administravit.

Baptismus hæreticorum, qui substantialia baptismi observant, est ratus.

§. XXVIII. Quod ad posterioris classis hæreticos, illos puta, qui substantialia baptismi observant, licet in aliis articulis ab ὀρθοδοξίᾳ discedant, attinet, illorum baptismum verum & efficacem, ac proinde nequaquam repetendum esse statuimus, hisce fundamentis innixi: I.) Ubicunque substantialia baptismi observantur, ibi verus & legitimus baptismus administratur, siquidem ad plenam & integram cujusque rei essentiam partes ejusdem essentiales sufficiunt. Jam vero in hoc casu substantialia baptismi (ex hypothesi) observantur, adest aqua cum verbo, adest

(*) Scultetus in medull. patrum part. I. p. 477. *patres Niceni concilii erroris accusat, quod ἀναβαπτισμὸν τῶν Παυλιανιστῶν*, i.e. *eorum, qui Samosatenum secuti, statuerint.* August. tom. 6. de hæres. cap. 44. *Ipsos sane Paulianos* (qui Photiniani celebrius nuncupantur) *baptizandos esse, in ecclesia catholica constitutum est, unde creandum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi haeretici, cum de catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* In concilio Arelatensi II. can. 16. *Photinianorum sicut & Paulianistarum baptisma nullum esse,* decretum est. At in concilio Laodiceno can. VII. *Photinianos sine baptismo recipiendos esse* statuitur. Resp. 1.) Concilium illud longe ante Photinianorum ortum est celebratum. Ergo de iis agere nequit. 2.) Variant lectiones tum in scriptis, tum in excusis codicibus. Quidam enim carent illis verbis: (*aut Photiniani.*) 3.) In ecclesia perpetua praxi observatum est, ut Photiniani, qui iidem cum Paulianistis, (Theodoretus haeret. fabul. libr. II.) baptizarentur.

adest invocatio Trinitatis, aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizato effunditur. Ergo verus & legitimus baptismus confertur. Anshelmus in cap. IV. Eph. *Baptisma a quocunque datum fuerit sive a bono sive a malo, sive a catholico, sive ab haeretico juxta morem ecclesiae in nomine sanctae Trinitatis, scilicet Patris, Filii & Spiritus sancti, tantundem valet.* II.) Circumcisio, quam Zipora Mosis uxor infantulo conferebat, divinitus adprobatur. Exod. IV. 25. 26. Jam vero Ziporam in gentilitate natam & educatam in omnibus doctrinæ cœlestis partibus eo tempore recte institutam fuisse, haud verisimile est. III.) Prophetæ in vet. testam. sæpissime taxant idololatriam & errores leviticorum sacerdotum, ad quos ordinarie circumcisionis administratio spectabat, nusquam vero illorum circumcisionem improbasse, vel ab aliorum manibus eam suscipiendam præcepisse leguntur, quin imo Ezech. XVI. 20. XXIII. 37. ipsi Deo filios & filias (per circumcisionis sacramentum) genuisse, sacerdotes illi dicuntur. IV.) Quamvis Christus tempore ministerii sui gravissimorum errorum sacerdotes, scribas & pharisæos peragaret reos, nusquam tamen circumcisionem ab illis administratam repudiavit, quin imo diserte edixit: Matth. XXIII. 2. *In cathedra Mosis sedent scribae & pharisaei*, v. 3. *quaecunque igitur dixerint vobis, ut faciatis, ea servate & facite.* (quatenus in cathedra Mosis sedebant, id est, doctrinam Mosaicæ consentaneam proferebant, audiendi erant: quatenus sacramenta Mosis præscripto adcommodate administrabant, ministerio eorum utendum erat; in sacramentis illis etiam locum habet circumcisio, quam Moses ipsis dederat. Joh. VII. 22.) Inde est, quod baptizatos a sacrificulis papisticis non reducimus denuo ad baptisteria. Jesuitæ autem viderint, quomodo anabaptismum suum defendere velint, quod alicubi a nostris tinctos rebaptizant. Mylius Aug. conf. art. 9. memb. 20. 1. Simile quid commemorat Lutherus epist. de anabapt. tom. IV. oper. Jen. germ. f. 408. quod pontificii in lingua germanica a nostris baptizatos in latina rebaptizarint.

§. XXIX. Atqui *haeretici nec Christi discipuli, nec verae ecclesiae vera membra sunt, quomodo ergo verum baptismum, qui est peculiare Christi bonum & sanctum ecclesiae sacramentum, conferre poterunt?* Resp. quamvis haeretici non sint vera ecclesiæ membra, illud tamen non impedit, quo minus verum baptismum administrent, modo substantialia ejus observent, quia linguam & manum in hac actione Deo tantummodo adcommodant. Deus est, qui baptizat, & per ministerium efficax est. Quatenus falsi illi doctores verbum & institutionem Christi in hac parte adhuc observant, eatenus sunt externa ecclesiæ membra, quamvis propter errores alios ab unitate corporis mystici sint separati. Quemadmodum Deus per corruptum ministerium ex adultis: ita quoque per baptismum ab haereticis administratum ex infantibus sibi colligere potest ecclesiam, ut contingit temporibus Eliæ, 1 Reg. XIX. 18. Augustinus lib. I. contra Donatistas cap. 10. *Una est ecclesia, quae sola catholica nominatur, & quidquid suum habet in communibus diversorum a sua unitate separatis, hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non ille. Neque enim separatio eorum generat, sed quod secum de ista tenuerunt, quod si & hoc dimittant, omnino non generant.* Cap. XV. *Ecclesia omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo, sive extra se de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla.* Lib. III. cap. 15. *Sacramenta, si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur & discordiose tractantur, sicut scriptura ipsius evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate adseratur.* Libro de dogmatibus ecclesiast. cap. 2. *Qui apud illos haereticos baptizati sunt, qui in sanctae Trinitatis confessione baptizant & veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctae Trinitatis invocatio aut confessio annulletur, sed doceantur integre & instituantur.*

Solutio argumenti contrarii.

§. XXX. Ratus igitur judicandus est baptismus ab hæretico collatus, modo substantialia ob-

Distinguitur inter bapti-

smum hæreticorum liberum & necessarium.

ferventur, sed num ab hæretico petendus? Resp. distinguendum est inter baptismum hæreticorum *liberum & necessarium*. Ubi præsto est purioris ministerii usus, nequaquam ab hæretico petendus est baptismus; 1.) Quia sacramenta sunt symbola & tesseræ confessionis, qui iisdem sacramentis utuntur, ejusdem doctrinæ professione se conjunctos esse testantur. 1 Cor. X. 18. *Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 2.) Quia ovium Christi hæc proprietas est, *quod alienum non sequantur, sed fugiant ab eo*, Joh. X. 5. 3.) Quia mandatum est perpetuum: Matth. VII. 15. *Cavete a falsis prophetis.* 2 Cor. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* v. 15. *Quae conventio Christi ad Belial?* Tit. III. 10. *Haereticum post unam atque alteram admonitionem devita.* 2 Joh. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Apoc. XVIII. 4. *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus.* 4.) Quia gravissimum scandalum præbetur infirmis Matth. XVIII. 7. *Vae homini per quem venit scandalum.* Rom. XIV. 13. *Hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* 5.) Quia infantes fraudantur precibus piorum Christi confessorum, & injicitur ipsis scrupulus in ætate adulta de veritate baptismi dubitandi. His rationibus moti pii veteres in primitiva nov. test. ecclesia, nec a Donatistis, nec ab aliis hæreticis baptismum receperunt. Petrus Martyr in epist. ad eccles. Angl. quæ habetur in locis comm. p. 1198. prohibet a Lutherano baptismum accipere propter diversam fidem, pietatem & conscientiam, quanto magis cavendum nostris, ne ab illis baptismum accipiant.

Ille improbatur.

Hic certis conditionibus permittitur.

§. XXXI. Sed ubi non est copia sanioris ministerii in casu necessitatis, præmissa protestatione vel explicita vel certe implicita, ab hæretico peti potest baptismus. 1.) Quia per ministri hæresin veritati & integritati baptismi nihil decedit, modo in nomine sanctæ Trinitatis administretur. 2.) Quia pii in vet. test. & sub auspiciis nov. test. cultum Mosaicum in templo sua ornarunt præsentia, ac circumcisionem levitici sacerdotes susceperunt, licet idololatria & variis superstitionibus essent cooperti. 3.) Quia præmissa protestatio removet scandalum. 4.) Quia aliqua pars auditorum recte sentit. Augustinus lib. I. contra Donatistas de bapt. cap. 2. *Si quem forte coëgerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, (baptismum) non invenerit, & in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicae congregationi etiam corporali praesentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia praesentem Deum credidit corde suo, ubi unitatem servabat & sine sancti baptismi sacramento, quod ubicunque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est, ibi processe sacramentum, quod alibi accepit, quidem potest, prodesse autem non potest. Procul dubio perversus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius.* Ita quoque Innocentius in c. fraternitate de clericis statuit, non nisi in necessitate ab hæretico baptismum esse petendum. Lucanus in instit. Theodoretus loc. de bapt. negat etiam in extremo necessitatis casu baptismum a sacrificulo pontificio petendum esse, sed recte ei opponitur Phil. Melanchthonis, Petri Martyris, Mart. Buceri & Joh. Calvini sententia, quæ recitatur in vol. theol. oper. Calvini edit. Genevæ anno 1597. pag. 605. & seq. Idem tamen Petrus Martyr in epist. ad eccles. Angl. negat etiam in casu necessitatis baptismum a Lutherano petendum. *Profecto* (inquit) *infantes vestri de salute non periclitantur, si absque baptismo*

ptismo intereant, quia nec gratiae Christi, nec praedestinationis effecta externis rebus & sacramentis sunt adliganda.

An in ministro ad baptismi integritatem requiratur vitae puritas?

§. XXXII. Tertium quæstionis membrum erat de *vitae puritate* in ministro baptizante, an ea ad baptismi integritatem requiratur, ubi dicimus ministros ecclesiæ cumprimis vitæ integritati & sanctitati studere debere, ut sint ἀνέγκλητοι, Tit. I. 7. ἀνεπίλημπτοι, 1 Tim. III. 2. quin & illos, qui externis flagitiis gravioribus indulgent, loco movendos esse statuimus; interim tamen, si contingat, ministrum vel occulte, vel manifeste improbum administrare baptismum, judicamus ejus improbitatem atque indignitatem baptismi integritati & efficaciæ nihil quidquam detrahere, modo substantialia baptismi inviolate observet, quam sententiam contra Donatistas, in libris contra ipsos editis, Augustinus firmiter probat, & præcipua ejusdem fundamenta anabaptistis opponenda, proposita sunt in tract. de sacr. §. 30. Certe sacerdotes levitici gravissimorum scelerum a prophetis & Christo peraguntur rei. Esaj. XXVIII. 7. Jer. V. 31. Ezech. XXXIV. 2. &c. Matth. XXIII. nusquam tamen circumcisio ab illis administrata pronunciatur irrita; Deus est, qui baptizat, minister tantummodo vocem ac manum Deo adcommodat, unde toties repetit Johannes baptista: *Ego baptizo aqua*, Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Joh. I. 26. innuens sibi tantummodo ministerium, Deo autem efficaciam baptismi transscribendam esse: ex quo fundamento recte scribit Cyprianus serm. de bapt. *Sive Judas, sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit & delet.* Vide Lombardum lib. IV. dist. 5. lit. A. & B.

Prærogativæ ministrorum in baptismo non sunt respiciendæ.

§. XXXIII. Sed nec aliæ qualitates vel prærogativæ in baptizatore respiciendæ, ut propter eas diversitas baptismi introducatur, vel ab eis dignitas & efficacia baptismi dependere statuatur, qua de re graviter scribit Nazianzenus, εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα f. 245. edit. Hervag. *Ne dicas, episcopus me baptizet, aut metropolitanus, aut Hierosolymitanus. Non enim locorum est gratia, sed Spiritus. Ne dicas: fit ille praeclare natus, grave enim est baptizatori objici contumeliose alterius nobilitatem. Ne dicas: senior ille fit, aut etiam caelebs, temperans & angelicae conversationis. Grave profecto esset, si purgationis tempore sordibus polluerer. Ne quaeras dignitatem praedicatoris aut baptizatoris; alius rei hujus est judex & absconditorum censor, quandoquidem homo secundum faciem, Deus autem juxta cor dijudicat. Tibi autem unusquisque ad purgationem fide dignus censeatur, modo sit ex adprobatis & non manifeste damnatis.* Ex quo intelligitur, quid statuendum de eo, quod quidam potestatem baptizandi solis episcopis & sacerdotibus: non vero diaconis & clericis ex officio competere disputant. Vide Bellarminum lib. I. de bapt. cap. 7.

In casu necessitatis Laicum baptizare posse.

§. XXXIV. Quamvis autem baptismi administratio ordinarie pertineat ad ecclesiæ ministros; extraordinarie tamen in extremo necessitatis casu, quando hoc immediatum disjunctum obtinet, aut infantulo absque baptismo moriendum, aut baptismus a privata persona ei conferendus, in hoc, inquam, necessitatis casu privatis in ædibus a quovis christiano in articulis religionis recte instituto, citra sexus respectum, baptismum administrari posse statuimus, hisce scilicet fundamentis usi. I.) In casu extremæ necessitatis licet extraordinarie in sacramento initiationis administrando agere, modo nihil committatur contra expressum Dei verbum atque institutionem. Jam vero in casu proposito, ubi scilicet aut infantulo absque baptismo moriendum, aut a privato administrandus baptismus, est extrema necessitas. Ergo licet extraordinarie agere, ita tamen ut nihil committatur contra expressum Dei verbum. Baptismus est unicum illud medium, per quod

1.) In sacramento initiationis licet extraordinarie agere.

quod infantes in peccatis concepti & nati ad vitam æternam regenerantur. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introre regnum Dei.* Ubicunque ergo substantialia baptismi haberi possunt, ibi baptismus infantulo conferendus, ne, quantum in nobis est, a mediis salutis ipsum arceamus; quamvis autem ex hypothesi non adsit ordinarius ecclesiæ minister, non tamen omittenda baptismi administratio, quia ad substantialia baptismi nequaquam requiritur, ut is, qui hoc sacramentum dispensat, sit minister ecclesiæ, proinde necessitati hac in parte cedit ordo. Excipiunt, qui nobis hic adversantur, *virtutem divinam regenerandi non esse sacramento baptismi adligatam, cum Deus etiam absque baptismo possit hominem regenerare.* Resp. necessitatem hic intelligimus non respectu Dei, sed respectu nostri. Quamvis enim Deus non ita sit adligatus huic sacramento, quo minus etiam citra illud in casu necessitatis regenerare possit, ut suo loco plenius docebimus; nobis tamen incumbit necessitas, divino mandato de administrando baptismo, ubicunque ejusdem substantialia haberi possunt, obsequendi. Verba Christi sunt diserta Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non potest introre regnum Dei.*

Exceptio adversariorum.

§. XXXV. II.) Quod licet in re pari, licet etiam in compari. Circumcisio urgente necessitate potuit administrari ab hominibus privatis. Ergo etiam baptismus in nov. test. urgente necessitate a privatis administrari poterit. Paritas probatur ex eo: 1.) Quia utrumque est initiationis sacramentum, circumcisio in vet. baptismus in nov. test. 2.) Quia baptismus in locum circumcisionis successit. Col. II. 11. 3.) Quia ut de circumcisione dicitur: Gen. XVII. 14. *Masculi non circumcisi anima eradicabitur e populo suo;* ita quoque de baptismo pronunciatur: Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Quin imo inest argumento quodammodo processus *a fortiori.* Si enim circumcisio a fœminis non circumcisis, & quidem in loco pudoris Israeliticis puellis administrari potuit, quanto magis a privatis administrari poterit baptismus. *Adsumtum* probatur Exod. IV. 24. *Occurrit Deus Mosi in via in diversorio, & voluit eum occidere,* (lethalem illi immisit morbum propter omissam filioli circumcisionem) *tulit ergo Zippora lapidem,* (cultrum acutum Jos. V. 2. Psalm. LXXXIX. 44.) *& circumcidit praeputium filii sui ac tangens pedes ejus dixit: Sponsus sanguinum mihi es.* 1 Macc. I. 63. *Fœminae quae circumciderant pueros suos, juxta Antiochi mandatum occidebantur.* 2 Macc. VI. 10. *Duae mulieres adducebantur, propterea quod filios suos circumciderant.* Excipit 1.) Bucanus in theol. instit. loco XLVII. pag. 623. *Exemplum Zipporae, utpote vel temerarium & illicitum fultae & iracundae fœminae, vel singulare factum in consecutionem trahi non debere.* Resp. quamvis Zippora ex iracundia circumcisionem administraret, fuit tamen vera circumcisio ab ipso Deo adprobata, quippe qui postea Mosen *dimisit,* ut habet textus Exod. IV. 26. hoc est, peracta filioli circumcisione vim lethalis morbi a parente avertit. Hypocritica & in vita iracundæ fœminæ obedientia non fuit Deo probata, interim tamen ex eventu, Mosis scilicet liberatione, adparet, circumcisionem a Deo adprobatam fuisse, *placatus fuit angelus* (scribit Bucanus l. d.) *quod circumcisus fuerit puer, non quod illa circumciderit.* Rectissime, si ergo coram Deo fuit rata illa circumcisio, utique etiam baptismus a fœmina administratus. Invertimus igitur argumentum: Si Deus ratam habuit circumcisionem ex iracundo & invito animo profectam, quanto magis ratum habebit baptismum in vera pietate ac fide devota administratum. Quod de facti singularitate additur, exemplo fœminarum in Maccabæorum historia refellitur, ex quo colligimus, ubi similis casus necessitatis, ibi parem rationem obtingere. 2.) Alii hac utuntur exceptione, *disparem esse circumcisionis & baptismi rationem, cum de illa nullum exstet mandatum, a quo administrari debeat,*

2.) *Circumcisio in casu necessitatis administrata fuit a privatis.*

Exceptio adversariorum.

debeat, hujus vero ministerium iisdem commissum, quibus & praedicandi officium. Resp. circumcisio mandata erat Abrahamo, Gen. XVII. 11. qui fuit *propheta Domini*, Gen. XX. 7. Ex quo probabiliter colligimus, administrationem hujus sacramenti una cum aliis ecclesiastici muneris partibus sacerdotio levitico postea cessisse. Vide tract. de circumcis. §. 9. Per viros ordinarie hoc sacramentum fuisse administratum, dubitari nulla ratione potest. Ut ergo illic in casu necessitatis major fuit habita ratio sacramenti, quam ordinis; ita quoque circa baptismum idem omnino observari debet, praesertim cum in nov. test. sublato levitico personarum discrimine, omnes christiani sint *regale sacerdotium*, 1 Petr. II. 9. Apoc. I. 6. *cumque in Christo Jesu nec mas sit, nec fœmina*, Gal. III. 28. 3.) Est qui hac exceptione utitur: *Zipporam praesente Mose propheta Domini, circumcisionem administrasse, ex eo fore consequens, licere mulieri praesente ministro ecclesiae baptismum conferre, quod tamen nobis non probetur, nec probari etiam debeat.* Resp. hæc Mosis præsentia habenda est pro absentia, siquidem Moses lethali morbo oppressus ac viribus fractus circumcisionem administrare non potuit: uxori igitur vices illas sustinendas imposuit. Invertimus igitur argumentum. Si viro præsenti licuit mulieri circumcisionem in casu necessitatis administrare, multo magis verus erit baptismus, quem absente viro in extremæ necessitatis casu, pia fœmina substantialibus rite observatis confert. Quod Moses sanctus propheta fuit, ex eo nihil privilegii iracundæ fœminæ accessit.

Alia dissentientium exceptio.

§. XXXVI. III.) *Ubi eadem ratio, ibi idem jus.* Jam vero æqualis est ratio inter absolutionem, quam privatus quispiam morienti ex evangelio adnunciat, & inter baptismum, quem privatus in casu necessitatis confert, absente scilicet ordinario ecclesiæ ministro. Ergo idem etiam jus obtinet. Privati recte faciunt ecclesiam ordinario pastore destitutam & homines ægrotos seu quovis modo adflictos ex verbo Dei instituentes & consolantes, ut tempore obsidionis, pestis, persecutionis &c. Quo pertinent quodammodo exempla prophetissarum in vet. test. utpote Deboræ, Jud. IV. Huldæ, 2 Reg. XXII. 14. Hannæ, Luc. II. 36. item Priscillæ, quam Paulus vocat σύνεργον, Rom. XVI. 3. quippe a qua *Apollo diligentius expositam audivit viam Dei.* Act. XVIII. 26. Loidis & Ennicæ, quæ nepotem & filium Timotheum a pueris in sacris literis instituerunt. 2 Tim. I. 5. III. 15. Quare ergo privati in casu extremæ necessitatis non administrarent baptismum, cum itidem sint *regale sacerdotium*, 1 Petr. II. 9. *Facti coram Deo reges & sacerdotes?* Apoc. I. 6. V. 10. Confirmatur argumentum ex eo, quod Paulus 1 Cor. I. 17. ostendit, docendi munus longe difficilius & augustius esse, quam baptizandi, cum ad illud majora Spiritus sancti dona requirantur. Neque sexus impedimento est, quo minus etiam a fœminis baptismus in casu necessitatis administrari possit, cum in *Christo Jesu nec mas sit nec fœmina.* Gal. III. 28.

3.) *Privatus adnunciat absolutionem morienti.*

§. XXXVII De consensu antiquitatis non est, quod laboremus, fatetur enim atque ultro largitur Calvinus libr. IV. cap. 15. §. 20. *Multis abhinc seculis adeoque ab ipso fere ecclesiae exordio receptum fuisse, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset.* Hanc confessionem ipsa veritas eidem expressit. Sic enim Tertullianus in exhort. ad cast. *Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offert & tingit ut sacerdos, qui est ibi solus.* (ita locum illum legit Chassanio, scriptor calvinianus, libr. II. loc. com. cap. 47.) Idem libr. de bapt. scribit, *laicis baptizandi jus esse, ac baptismum ab omnibus exerceri posse.* Ambrosius in cap. IV. Eph. testatur, *olim & laicos & clericos baptizasse propter paucitatem ministrorum.* Hieronymus adv. Luciferian. *Si cogat necessitas baptizare, scimus etiam laicis convenire.* Augustinus libr. II. contra epist. Parm. c. 13. circa medium. *Etsi laicus aliqua pereuntis dederit*

Dicta veterum.

necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris est usurpatio: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Idem in epist. ad Fortunatum & citatur c. In necessitate dist. 4. de consecr. *In necessitate cum episcopi aut presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus, qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.* c. Sanctum dist. 4. de consecrat. *In sacramento baptismi est auctoritas traditionis per Dominum nostrum ad apostolos: per illos autem ad episcopos, & alios sacerdotes, etiam laicos christianos ab eadem origine, & stirpe venientes. Nam cum illa historia narratur, omnes qui audiuntur, ad lacrymas moventur: cum in navi quadam nullus fidelis esset, praeter unum pœnitentem, naufragium cœpit imminere: erat ibi quidam non immemor suae salutis, & sacramenti vehementissimus flagitator, nec erat ibi aliquis, qui dare posset, nisi pœnitens ille, acceperat enim, sed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiserat sanctitatem, sed non amiserat sacramentum &c. Dedit ergo, quod acceperat, & ne periculose finiret vitam non reconciliatus, petiit ab eo ipso quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, & factum est, & sic naufragium evaserunt. Cognitum habes, quod fecerunt, nemo exstitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet adfuisse. Motus enim animus religiosus & supplex ab homine exegit sacramentum, a Deo ipse impetravit sanctitatem. Quod si forte hoc quod narravi de his, qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere, (non enim hoc divinarum scripturarum auctoritas, sed incerto auctore fama commendat) non repugnabo, sed interrogabo, si tale aliquid contingat, quid futurum est? Non potest enim quisquam dicere, relinquendum esse illum, qui morte imminente petit baptizari a pœnitente, quisquis non credat contigisse, oportet ut credat posse contingere.* Concilium Carthag. IV. can. 99. & cit. c. Mulier dist 4. de consecrat. *Mulier quamvis docta & sancta viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non praesumat, nisi necessitate cogente.* Isidorus libr. II. de officiis cap. 24. & cit. c. constat dist. ead. *Constat baptisma a solis sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsis diaconis explere est licitum, absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat, quod & laicis fidelibus plerumque permittitur.* Quibus procul dubio motus Isaacus Casaubonus in resp. ad epist. cardin. Perronii nomine regis Angliæ scripta observ. III. pag. 24. a suis discedens, ac propius ad nos accedens sic statuit: *Quod de nascente olim ecclesia dixit Tertullianus, baptizare episcopum, presbyterum, diaconum, postremo etiam laicis jus esse, in extremae videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in ecclesia Anglicana, quod ad episcopos, presbyteros & diaconos hodieque servatur, sine ulla vel loci vel temporis rigida & penitus inviolabili observatione, laicorum vero baptismum aut fœminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuncians; etiamsi non legitime administratum.*

§. XXXVIII. Hisce magnis viribus se opponit Calvinus & qui illum sequuntur. Disputat enim libr. IV. instit. cap. 15. sect. 20. 21. 22. *ne quidem in casu necessitatis licitum esse laico baptizare.* Epist. 278. & 326. baptismum fœminarum vocat *putidam ministerii prophanationem.* Beza parte II. qq. quæst. 139. γυναικοβαπτισμὸν vocat *fabulam, nec eum pluris faciendum esse dicit, quam id, quod regis vel reipublicae nomine privatus quispiam pro libitu gereret, aut quam sigillum, ad publici imitationem a privato quopiam effictum & cuipiam instrumento adpensum.* Idem tamen q. 144. *satanae baptismum in mysterio non dubitanter se velle dicere legitimum* adserit. Innocentius Gentillettus in apol. pro christ. Gallis cap. 6. num. 2. *Christus non Mariae nec aliis fœminis baptizandi munus commisit &c.* Bucanus in instit. *Sententia adversariorum.*

instit. loco XLVII. p. 623. *Mulierum baptismo non potest esse locus in ecclesia, quia ejus ne γρῦ quidem in tota baptismi historia occurrit &c.* Cassand. libr. II. loc. comm. cap. 47. in fine: *Insultum est eum, cui salutis praedicatio concredita non est, illius symbolum, seu sigillum conferre velle. Neque istud est scripturae consonum. Quis quaeso auderet principis diplomata obsignare, nisi qui huic muneri praefectus est?* (*).

Argumenta adversariorum: 1.) Baptismus est pars ministerii ecclesiastici.

§. XXXIX. Argumentis utuntur sequentibus: 1.) *Baptismus est pars ecclesiastici ministerii: ergo a solis ministris rite administratur.* Beza part. II. quaest. 137. *Eorundem est docere evangelium, quorum baptizare. Docendi vero potestas mulieri non permittitur.* 1 Cor. XIV. 34. 1 Tim. II. 12. Bucanus l. d. *Resp.* 1.) Quamvis ordinarie ad ministros ecclesiae & docendi & baptizandi munus pertineat, ex eo tamen inferri nequit, quod in extremo necessitatis casu baptismi administratio laicis nulla ratione competat. 2.) Quia causa efficiens instrumentalis non ingreditur rei essentiam, ac proinde si vel maxime in eo, qui baptismum dispensat, in casu necessitatis qualitas aliqua desit, tamen substantialibus ac proinde integritati baptismi nihil decedit. 3.) Neque quidquam in hoc casu agitur contra expressum Dei mandatum, nuspiam enim instituit Deus, administrationem baptismi ministerio ecclesiastico ita esse propriam & peculiarem, ut ne quidem in casu necessitatis privato concedenda sit. 4.) Propter sacramenta ordo institutus, non autem propter ordinem sacramenta, necessitati igitur ordo cedere debet. 5.) Quemadmodum igitur docendi munus proprie & ordinarie ad ministerium pertinet, interim tamen urgente extrema necessitate, puta in diuturna obsidione, proscriptione, peste &c. privato docendi partes non sunt denegandae: ita quoque res se habet in baptismi administratione, quae juxta communem ordinem ab ecclesiae ministris petenda, sed in casu necessitatis etiam a laico suscipienda. 6.) Dicta apostolica non loquuntur de foeminis, quae possunt docere, sed quae volunt discere, ut adparet ex 1 Cor. XIV. 35. 1 Tim. II. 11. Sermo ibi est de publicis congressibus, quibus docti viri interfunt, nec ulla quaestio in textu apostolico de casu necessitatis; ostendimus autem superius, docendi & absolvendi munus in quibusdam casibus pie a privatis, etiam foeminis usurpari posse. 7.) Ut silentio interim involvamus, Christum ipsummet quidem docuisse, non tamen baptizasse, nisi per discipulos Joh. IV. 2. ac Paulum profiteri, se non esse missum a Christo ad baptizandum, sed evangelizandum, 1 Cor. I. 17. ex quo adparet, non esse indivisam ac necessariam inter docendi ac baptizandi partes connexionem, cum absolute & simpliciter necessaria perpetuo talia sint, nec propter universalem rationem exceptionem aliquam admittant.

2.) Mulieribus non licet eucharistiam administrare.

§. XL. II.) *Non magis baptismi quam eucharistiae mulieris λειτουργία sive administratio in ecclesia ferenda est,* Bucanus l. d. *Veteres, qui laicis baptismum conferendi potestatem fecerunt, non intellexerunt doctrinam de necessitate sacramentorum, siquidem etiam infantibus coenam dominicam porrigendam esse judicarunt.* Resp. est hic diversa ratio: 1.) baptismus enim est sacramentum initiationis, per quod ecclesiae primum inserimur, ideo magis necessarius est, quam eucharistia, quae est sacramentum confirmationis,

(*) Jodocus Naum in conc. Dom. IV. Adv. p. 48. *Considerent hoc dictum, (cur tu baptizas, cum non sis Christus) qui vim salvandi baptismo tribuunt, & totis viribus gynaecobaptismum in ecclesiam revocare conantur.* Inter Moscovitas aliqui perhibent, baptizandi munera, quaecunque necessitas incluerit, neminem hominum sufficere, nisi sacerdos exstiterit. In opere de variis rerum Moscovitic. auctor ib. p. 136. Sed primus canon Johannis metropolitae, eorum dicti prophetae, pueros quoque jubet in necessitate absque sacerdote baptizari. pag. 24. GERHARDUS.

de qua in casu necessitatis locum obtinet illud: *crede & manducasti.* 2.) Adulti quando sacramentorum usi potiri nequeunt, & desiderio sacramentorum, & promissione evangelii contenti esse possunt, cum *evangelium etiam sit potentia Dei ad salutem*, Rom. I. 16. *& spirituale semen, ex quo renascimur;* 1 Petr. I. 23. infantibus vero nullum aliud regenerationis & salutis medium præter baptismum est relictum. 3.) Illi solum ad sacræ cœnæ usum ab apostolo jubentur admitti, qui *se ipsos probare possunt*; 1 Cor. XI. 28. contra hanc regulam apostolicam directe pugnat, si eucharistia infantibus porrigatur: sed de prohibitione γυναικοβαπτισμῦ tale quoddam mandatum e divinis literis proferri nequit.

3.) *Usus γυναικοβαπτισμῦ a Marcione est introductus.*

§. XLI. III.) *Usus γυναικοβαπτισμῦ a Marcione hæretico introductus est*, teste Epiphanio in Panario. *Tota vetus ecclesia voluit, ut baptismus in ecclesia tantum, hoc est, in cœtu fidelium celebraretur.* Bucanus l. d. *Resp.* 1.) Marcionitæ extra casum necessitatis baptizandi licentiam cuivis dabant, ut adparet ex Epiphanio, nos non nisi in extremo necessitatis casu laico recte instituto, & substantialia baptismi rite observanti eam concedimus. 2.) Qua in parte veterum auctoritate nos haudquaquam destitui (*), ex superioribus adparet. 3.) Ecclesiæ nomine si intelligantur publici ac solennes fidelium in templis conventus, negamus in ecclesia tantum legitime administrari posse baptismum, cum eunuchus æthiopicus in via a Philippo, Act. VIII. 38. Paulus ab Anania in domo Act. IX. 19. custos carceris in ipso carcere ab apostolis baptizetur; Act. XVI. 33. Si vero ecclesiæ nomine quævis fidelium congregatio intelligatur, concedimus, in ecclesia baptismum administrandum esse, sed addimus, *ubicunque duo aut tres in Christi nomine congregati sunt, ibi Christum adesse*, Matth. XVIII. 20. ibi etiam esse ecclesiam.

4.) *Infantes ante baptismum sunt in Dei fœdere.*

§. XLII. IV.) *Mulieres bis peccant, cum baptismum in fictitio illo necessitatis casu administrant, quippe quae absque mandato, imo contra mandatum Dei baptizant, & præterea rei externæ salutem æternam adfigunt, quæ in sola Christi morte & fœdere illo gratiæ quærenda est. Curandum quidem, ut per legitimum ministrum infans baptizetur, sed si obtineri non possit, commendandus est Deo, qui eum sui Spiritus baptismo baptizet, imo credendum est, infantem fidelium parentum jam esse baptismo flaminis baptizatum, cum sit in fœdere.* Bucanus l. d. *Resp.* 1.) γυναικοβαπτισμὸν contra expressum aliquod divinum mandatum pugnare, demonstrari nondum potuit. 2.) In sola Christi morte & fœdere gratiæ quærendam esse salutem, ambigue dicitur, vel enim opponitur particula *sola* mediis adplicationis, qua ratione nequaquam propositio illa *exclusiva* concedenda est, perinde enim foret, ac si quis colligere vellet: solum Christi meritum nos salvat; ergo baptismus nos non salvat, contra 1 Petr. III. 21. ergo evangelium non est potentia Dei ad salutem, contra Rom. I. 16. ergo fides nos non salvat, contra 1 Petr. I. 9. vel particula *sola* opponitur aliis in hoc causæ genere, qua ratione propositio *exclusiva* non excludit salutis media ex parte tum Dei tum nostri. 3.) Rei externæ non esse adfigendam salutem enthusiastice & anabaptistice dicitur: prædicatio verbi & sacramentorum administratio sunt quidem res externæ, in sensus incurrentes, interim tamen per has res externas nobiscum agere, & interiorem conversionem ac salutem operari Deo placuit. 1 Cor. I. 21. *Placuit*

(*) Veteris ecclesiæ mores cum nostra sententia de baptismo laicorum conspirare, luculenter comprobat locus TERTULLIANI libr. *de baptismo cap. XVII.* Conferenda, qua erudite hac de re differit b. cancell. PFAFFIUS in libr. *de originibus iuris ecclesiast. pag. 132. seqq. edit. noviss.*

cuit Deo per ſtultitiam praedicationis ſalvos facere credentes. 4.) Libenter concedimus, Deum haudquaquam ita eſſe adligatum baptiſmo, quo minus ſua gratia in infantibus, qui vel in ipſo utero exſtinguuntur, vel ante baptiſmi perceptionem vita defunguntur, poſſit eſſe efficax; nos tamen mediis ſalutis ita adligati ſumus, ut ubicunque ſubſtantialia baptiſmi haberi poſſint, infantibus eundem conferre teneamur. 5.) Non ergo nos, ſed adverſarii fictitium quendam caſum neceſſitatis introducunt, quaſi ſcilicet privatio baptiſmi ſit neceſſaria, ſi ordinarius eccleſiæ miniſter haberi nequeat, cum is demum vere ſit neceſſariæ privationis caſus, cum ſubſtantialia baptiſmi non poſſunt haberi. 6.) Infantes ante baptiſmum eſſe in fœdere, itidem ambigue dicitur, *vel* quod ipſis aditus pateat ad fœdus Dei per baptiſmum, itemque per preces parentum in caſu privationis, *vel* quod actu ſint in fœdere & gratia etiam ante ſuſceptum baptiſmum. *Priorem* ſenſum accepimus, *poſteriorem* repudiamus, quem tamen adverſarii amplectuntur, ex quo adparet ratio, cur baptiſmi uſum non exiſtiment ita neceſſarium, ut laico ejus adminiſtrationem abſente ordinario miniſtro concedant, nimirum quia ſtatuunt, infantes fidelium jam ante eſſe in Dei fœdere, ideoque parum referre, ſive baptizentur, ſive minus, qua de re plura ſuo loco.

§. XLIII. V.) *Sexus & pudor fœminarum ab omnibus publicis muneribus eas excludit: etiam civilibus legibus, ab officiis publicis domuum ditionumque terrenorum dominiorum tanquam incapaces removentur l. fœminæ ff. de Reg. Iur. Ergo etiam a baptiſmi adminiſtratione ſunt arcendæ.* Innoc. Gentilletus iu apol. pro chriſt. Gallis cap. 6. num. 2. *Reſp.* 1.) Diſtinguenda eſt ordinaria baptiſmi adminiſtratio a caſu neceſſitatis: illam, abſit ut fœminis, concedimus. 2.) Annon fœminæ quandoque in feudis ſuccedunt peculiari dominorum privilegio? 3.) Annon quandoque teſtes ſunt in caſu neceſſitatis? 4.) Adde quod diſpar ratio dominii terreni, & hæreditatis cœleſtis, cum *in Chriſto nec mas ſit nec fœmina*, Gal. III. 28.

5.) Sexus & pudor fœminarum ab omnibus publicis muneribus eas excludit.

§. XLIV. Ad cauſam inſtrumentalem baptiſmi pertinet quæſtio de *baptiſmo Iohannis*, hoc eſt, de baptiſmo, quem Iohannes in nov. teſtam. etiam antequam Chriſtus ab eo baptizaretur, aliis adminiſtravit, ſitne idem ſacramentum, eandemque habeat efficaciam cum baptiſmo Chriſti, hoc eſt, cum eo, quem Chriſtus per apoſtolos, tum ante, tum poſt reſurrectionem ſuam adminiſtravit, & per conſequens num ſufficere potuerit cuiquam baptiſmus Iohannis, ita ut poſt baptiſmum Iohannis, non fuerit neceſſario percipiendus baptiſmus Chriſti? Adfirmamus nos, pontificii negant (*). Antequam vero ſententiæ noſtræ fundamenta expromamus, circa quæſtionis ſtatum hæc monemus: 1.) In

Quæſtio de baptiſmo Iohannis.

(*) Concilium Tridentinum *ſeſſ. VII. can. I.* ſuam de baptiſmo Ioannis mentem hiſce verbis exponit: *Si quis dixerit, baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Cardinalis BELLARMINUS decretum hocce in tres propoſitiones dividit, atque probare contendit 1.) Ioannis baptiſmum non fuiſſe eundem cum baptiſmo Chriſti; 2.) non eandem habuiſſe vim atque efficaciam; 3.) poſt Ioannis baptiſmum neceſſario adhibendum eſſe baptiſmum Chriſti. Vid. eiusdem *libr. I. de baptiſmo, cap. XIX. XX.* Secutus vero heic eſt BELLARMINUS veſtigia veterum ſcholaſticorum, qui tamen non unam eandemque viam heic iniverunt. Cæterum, præter BELLARMINUM, evolvi heic poſſunt ex eccleſiæ Romanæ ſociis fratres WALENBURCHII *tom. II. de controverſiis fidei, tract. VII. cap. XXIX. num. X. XI. XII. p. 402.* & HONORAT. TOURNELY, in *prælect. theol. tom. III. p. 172.* Ut alios taceamus. Ex noſtris vero theologis conſuli heic merentur MARTIN. CHEMNITIUS, in *examine concilii Tridentini part. II. p. m. 34. ſeqq.* IO. GERHARDUS in *confeſſ. cathol. libr. II. part. II. art. XII. cap. IV. p. 1122* GEORG. CALIXTUS in *conſider. doctrinæ potiſſ. p. 25.* IO. FABRICIUS, in *Syſtem. theolog. p. 476.* ABRAH. CA-

1.) In omnibus controverſiis ea, quæ neceſſarium uſum habent in exercitiis pœnitentiæ, fidei & pietatis, diſcernenda eſſe ab aliis diſputationibus, in quibus opinionum diverſitas, vel etiam levis quædam hallucinatio non infert jacturam fidei & ſalutis: proinde cum diſputatio de baptiſmo Johannis, utpote de ceremonia temporis jamdudum præteriti, & quidem exigui, non æque ſit neceſſaria, ut doctrina de baptiſmo, quo nunc eccleſia nov. teſtam. baptizat, ideo non eſſe ſtatim anathemate feriendos, qui de hac quæſtione collatis ſcripturæ ſententiis paulo aliter, quam veteres quidam diſputant, ſi id fiat ſalva veritate doctrinæ de pœnitentia, fide & pietate. Quæ ſunt verba Chemnitii in exam. concilii Tridentini part. II. can. I. de bapt. 2.) Quæſtionem eſſe de identitate non *individui*, ſed *ſpeciei*, non *numerica* ſed *ſpecifica*: an ſcilicet baptiſmus Johannis ſit idem *ſpecie* ſacramentum cum baptiſmo Chriſti? Quamvis enim ſint diſtinctæ perſonæ, per quas baptiſmus adminiſtratur, interim tamen manet *unum baptiſma* nov. teſt. Eph. IV. 5. nimirum quia *unus eſt Dominus*, qui per diſtinctos miniſtros hoc ſacramentum diſpenſat, *una etiam fides*, & una Trinitatis invocatio, cum qua baptiſmus adminiſtratur. 3.) Quæſtionem eſſe non de gradibus donorum cœleſtium, ſed de ipſis ſpiritualibus donis. Quamvis baptiſmus Chriſti, hoc eſt, quem Chriſtus per apoſtolos atque alios in primitiva eccleſia adminiſtravit, plurimum præſtiterit baptiſmo Iohannis donorum Spiritus ſancti viſibilium ſpecie admiranda, ac donorum inviſibilium copia & ubertate majori, cum poſt glorificationem Chriſti lucis evangelicæ ſplendor magis effulſerit, ex eo tamen non poteſt inferri, omnem omnino ſpiritualem efficaciam baptiſmo Iohannis denegandam. In externis quibusdam circumſtantiis & gradu efficaciæ in donis ſpiritualibus, inter baptiſmum Chriſti & apoſtolorum differentiam quandam agnoſcimus: interim *ſubſtantiale* diſcrimen intercedere negamus. *Quale diſcrimen eſt inter verbum de Chriſto venturo, de veniente & exhibito: talis etiam eſt differentia inter circumciſionem, baptiſmum Iohannis, & Chriſti baptiſmum. Doctrina autem de Chriſto, licet quoad modum patefactionis ſit aliquod diſcrimen, tamen quoad ſubſtantiam fuit eadem, & effectus eosdem habuit in credentibus omnibus temporibus, ſive tempore vet. teſt. ſive tempore Iohannis baptiſtæ, ſive poſt Chriſtum exhibitum, licet in gradibus aliqua differentia eſſe poſſit*, quæ ſunt verba Chemnitii in exam. conc. Trident. p. 66. 4.) Quæſtionem non eſſe

CALOVIUS in *ſyſt. theol. tom. IX. art. V. cap. 2. qu. I.* IO. AFFELMANNUS in *ſyntagm. exercitat. academ. part. I. diſſert. XXVI. p. 768. ſeqq.* & QUENSTEDIUS, in *ſyſtem. theol. tom. II. part. IV. p. 1108. ſeqq.* Quibus ex cœtus Reformati doctoribus IO. VOSSIUS *diſp. VIII. de baptiſmo*, IO. FRANC. TURRETTINUS, in *inſtitut. theol. elenct. part. III. p. 444. ſeqq.* IO. HENR. HEIDEGGERUS in *rumulo concilii Tridentini, tom. I. p. 638. ſeqq.* aliique addi merentur.

Cæterum non tantum pontificii, contra quos heic diſputat GERHARDUS, ſed & Sociniani hancce propugnare adnituntur ſententiam, diverſum fuiſſe baptiſmum Ioannis a baptiſmo Chriſti, ſeu apoſtolorum. Legenda, quæ FAVSTUS SOCINUS in libr. *de baptiſmo*, qui *oper.* eius iunctim editorum *tomo II.* inſertus eſt, *cap. LXIV.* itemque IO. VOLKELIUS *libr. IV. de vera relig. cap. VIII. p. 49.* & *cap. IX. p. 53.* hanc in rem ſcripſerunt. Eorum de hoc argumento cogitata copioſe ediſſerit SCHERZERVS in *collegio Anti-Socin. diſput. XCIV. p. 822. ſeqq.* edit. tertiæ. Ad eandem ſententiam propius accedunt IO. ARMINII adſeclæ, ſpeciatim STEPHANUS CURCELLÆUS in *inſtitut. relig. chriſt. libr. V. cap. II. §. VIII. & IX.* in *operib.* iunctim editis *p. 218.* PHILIPP. LIMBORCHIUS in *theolog. chriſt. libr. III. cap. XI. §. IX. & XI. p. 217, 218.* & ADRIANUS A CATTENBVRGH, in *ſpicilegio theolog. chriſt. libr. IV. cap. LXV. §. XII. p. 1075. ſeqq.*

Nec defuerunt ex patribus, qui identitatem baptiſmi Ioannis & Chriſti negarent, quam tamen alii diſertis verbis aſſeruerunt, veluti BASILIVS, PRVDENTIVS, AMBROSIVS, quin ipſe AVGVSTINVS, celeberrimus iſte Hipponenſium præſul. Loca illorum recitavit VOSSIVS *loco excitato, num. XVI.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0112-8

esse simpliciter & absolute accipiendam de baptismi susceptione post Iohannis baptismum, neque enim negamus, quosdam a Iohanne baptizatos, a discipulis Christi baptismum fortassis iterum suscepisse, Act. II. 41. in numero trium millium ab apostolis baptizatorum forte fuerunt aliqui Iohannis baptismate prius tincti; sed de necessitate susceptionis, an scilicet necessarium fuerit baptizatis a Iohanne denuo ab apostolis baptismum petere ac suscipere, ita ut sine illo regenerationis ac salutis non potuerint esse participes, quod negamus.

Argumenta pro nostra sententia.

§. XLV. Hisce præsuppositis ita inferimus: si eadem causa efficiens principalis, eadem materia, eadem forma, eadem spiritualis efficacia baptismi Iohannis cum baptismo Christi, utique erunt idem sacramentum; adeoque unus baptismus, unitate scilicet non numerica, sed specifica. Sed verum est prius. Ergo & posterius. *Adsumtionis* singula membra confirmanda sunt.

1.) Eadem causa efficiens principalis baptismi Ioannis cum baptismo Christi.

I.) Eandem esse causam efficientem *principalem* baptismi Iohannis cum baptismo Christi, demonstratum fuit superius §. 10. membr. 2. Quamvis enim Christus discipulis sua voce administrationem baptismi mandaverit, tamen cum Deus *per filium* locutus sit, Hebr. I. 2. ac Spiritus sanctus *non ad mensuram ei datus sit*, Joh. III. 34. ideo solennis ista institutionis promulgatio, ac mandatum illud toti sacro sanctæ Trinitati rectissime tribuitur. Iam vero idem Deus, eadem sacro sancta Trinitas Iohannem ad baptizandum misit, & admiranda illa revelatione Matth. III. cum Christus in Iordane baptizaretur, Johannis baptismum confirmavit (*).

§. XLVI. II.) *Materiam* utrobique eandem fuisse, dubium nullum. Iohannes enim baptizavit *aqua*, Matth. III. 11. Marc. I. 8. &c. idem visibile elementum usurparunt apostoli in suo baptismo. Act. VIII. 36. X. 47.

2.) Eadem utriusque materia.

III.) De *forma* quibusdam dubitatio suboritur. Durandus statuit, *quod baptista non habuerit certam formam in baptismi administratione.* Lombardus, Alensis, Paludanus, Thomas &c. statuunt, Iohannem hac forma usum fuisse: *Ego baptizo te in nomine venturi.* Scotus & Biel disputant, *utramque sententiam esse probabilem.* Bellarminus libr. I. de sacramento baptismi c. 20. sequitur Durandum, disputat enim, *baptismum Iohannis non habuisse invocationem Trinitatis, ac probabile sibi videri, quod nulla verborum forma Iohannes fuerit usus.* Atque nihil absurdius a Bellarmino dici potuisset: num enim judicabimus baptismum Iohannis fuisse mutam tantum ceremoniam? num aqua sine verbo est baptismus? quinimo verbum est quasi anima baptismi, qui ab apostolo propterea definitur, quod sit *lavacrum aquæ in verbo*, quo (lavacro) *Deus ecclesiam suam mundat*, Eph. V. 26. Quamvis igitur disertis & expressis verbis in scripturis non adseratur, qua verborum forma in administratione baptismi Iohannes fuerit usus, nullum tamen dubium, a.) quin Iohannes in baptismo illum invocaverit, & in illius nomine baptismum suum administraverit, *qui misit eum ad baptizandum*; Ioh. I. 33. is vero est unus verus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo Iohannes baptizando in nomen veri Dei, a quo ad baptizandum missus, baptizavit in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti, sicque baptismi formula a Iohanne usurpata fuit eadem cum forma verborum, quam Christi, quia per baptismum Iohannis non conferebantur illa peculiaria Spiritus sancti dona, quæ vigebant in primitiva ecclesia. Rom. II. 16. *secundum evangelium meum.* GERHARDUS.

3.) Eadem forma.

(*) Obiiciat quis: *Dicitur Iohannis baptismus, quia tantum Iohannem habet auctorem.* Resp. dicitur Iohannis 1.) ratione ministerii, 2.) promulgationis, 3.) respectu alicujus discriminis, quod ipsi intercedit cum baptismo Christi,

Christus apostolis suis postea præscripsit. b.) Accedit, quod sacramenta sequantur naturam ejus doctrinæ, cujus sunt sigilla. Iam vero una atque eadem est doctrina Iohannis & apostolorum Christi; (quamvis post adscensionem Christi clarior doctrinæ lux & uberior donorum copia in nov. test. effulserit, tamen gradus distincti non variant ipsam speciem) Ergo etiam unum administrarunt baptismi sacramentum. Quæ fuerit doctrina Iohannis ex evangelistis facili negotio colligitur, docuit Deum *misisse* filium suum, eidemque *omnia in manus dedisse*, Joh. III. 34,35. docuit, hunc Filium esse *agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. I. 29. 36. quo ipso ostendit, typos sacrificiorum leviticorum in Christo consummatos, & in solo Christo quærendam peccatorum remissionem: docuit, *Patrem diligere hunc suum Filium, eidemque dedisse Spiritum sanctum non ad mensuram*, Joh. III. 34. in hujus veri Dei nomen Iohannes baptizavit, hanc doctrinam suam de persona & beneficiis Messiæ divinitus missi externa baptismi ceremonia confirmavit. Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 23. §. 2. negatur, *Iohannem nihil docuisse de passione & merito Christi, quod enim ipsum vocarit agnum Dei, id posse referri ad innocentiam & mansuetudinem.* Resp. si Iohannes baptista nihil docuit de passione & merito Christi, quomodo erit *excellentior, quam propheta?* Matth. XI. 9. cum quidam ex prophetis, præsertim David & Esaias verbis tam claris & perspicuis de Christi passione fuerint vaticinati? quinimo *omnes prophetae testimonium illi perhibent, remissionem accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in ipsum.* Act. X. 43. Evangelistæ non omnia, quæ Iohannes auditoribus suis late exposuit, sed summa tantummodo capita doctrinæ in literas redegerunt. Et quid dicemus de unica illa pericope concionis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi?* num de innocentia solum Christi agit? minime vero, dicit enim hunc agnum αἴρειν, hoc est, in se recipere & simul auferre peccata mundi, quod in passione & morte ejus innocentissima peractum: unica hoc concione veluti remoto velo manifestat, quidquid sub typo sacrificiorum vet. test. absconditum latebat. Hilarius in libr. de Patris & Filii unitate p. 765. recte monet, *nomine agni denotari & patientiam & passionem.* Epiphanius hæres. VIII. *ex typo paschalis agni adpellationem petitam esse judicat.* Justinus in dial. cum Tryph. p. 200. *quod sit symbolum supplicii crucis.* Thomas II. q. 2. art. 7. *Non est credendum, quod ignoraverit Iohannes Christum ad passionem venturum, ipse enim dixerat, ecce agnus Dei, pronuncians immolationem futuram.* Breviter adpellatio agni deducta est ex cap. LIII Esaiæ, in quo & passio, & innocentia, & parientia Messiæ late describuntur. Videns igitur Bellarminus hanc exceptionem, quod Iohannes nihil docuerit de passione Christi, esse nimis crudam, aliud quærit latibulum: *doctrina* (inquit) *nihil facit ad sacramenti essentiam & veritatem, alioquin haeretici, qui haberent falsam doctrinam, haberent etiam falsa sacramenta. Ut ergo diversitas doctrinae non facit diversum baptisma, ita nec doctrinae similitudo facit baptisma esse unum & simile.* Resp. quamvis cum aliquibus doctrinæ corruptelis veritas sacramentorum possit consistere, ex eo tamen inferri nequit, quod ex similitudine doctrinæ non possit colligi identitas baptismi. Sacramenta enim obsignant illam doctrinam, cui sigilli loco adduntur, nec minus efficacia instrumenta salutis censenda sunt, quam ipsa doctrina. Quare cum non solum apostoli, sed etiam Iohannes baptismi administratione evangelii promissiones in credentibus obsignarint, utique ex eo immote colligitur, quod idem sacramentum utrique contulerint. c.) Apostoli etiam ante gloriosam Christi resurrectionem & adscensionem baptizarunt, ut perspicue adparet, Joh. IV. 2. & quidem eodem tempore, quo adhuc baptismus Iohannis durabat. Jam vero in historia evangelica itidem non commemoratur, quod *in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti* baptizarint. Ecquis vero inde inferre velit, quod sine verbo baptizarint, vel alia verborum forma in baptismo usi fuerint? In quem & qua verborum forma baptizarint, colligendum est ex doctrina, quam Christus eo tempore prædicavit, is itidem ut Iohannes docuit,

cuit, quod *Deus sic dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*, Joh. III. 16. quod Filius in adsumta carne *exaltandus sit in ara crucis, ut credentes in ipsum salventur*, v. 14. 15. quod *Spiritus sanctus ex aqua baptismi nos regeneret*, v. 5. in hanc doctrinam apostoli Christi baptizarunt. Jam vero eadem fuit doctrina Iohannis. Ergo etiam idem baptismus. Lombardus IV. sent. dist. 3. lit. G. *Si quaeritur, in qua forma tunc* (ante Christi resurrectionem) *baptizarunt apostoli, sine dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma, in qua postea baptizaverunt gentes, quae ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum.* d.) Joh. III. 26. refertur de discipulis Iohannis, quod aegre tulerint, Christum per apostolos baptizare, deferunt igitur rem ad Iohannem hisce verbis: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes venerunt ad eum.* Quod si alia fuisset baptismi forma discipulis Christi usitata, nec eadem opera ad praeceptorem id retulissent, suaeque querimoniae speciem aliquam ex eo obduxissent (*).

Act. XIX. 4. Iohannes baptizavit in nomen venturi.

§. XLVII. *At, inquis,* Act. XIX. 4. *videtur expressa verborum forma, qua Iohannes usus, quod scilicet in nomen venturi baptizaverit.* Resp. 1.) Non agitur ibi de *forma* verborum, quibus Iohannes in suo baptismo usus est, sed de praedicatione ejusdem; sic enim habent verba apostoli: *Iohannes baptizavit baptisma poenitentiae, dicens populo, ut in eum, qui venturus erat post ipsum*, hoc est, in Christum Jesum, *crederent.* Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 20. §. 2. *Illa verba Pauli non videntur significare Iohannem baptizasse in nomine venturi, sed tamen admonuisse populum, ut crederent in venturum Messiam. Nam etiam Christum baptizavit eo ritu, quo caeteros, & certe ridiculum fuisset, Christum baptizasse in nomine venturi.* 2.) Quod si vel maxime in venturum Messiam baptizasse censendus, id tamen neutiquam tanti est, ut specificam differentiam inter baptismum Iohannis, & apostolorum Christi constituat, baptizavit enim Iohannes in Christum venturum non ratione incarnationis, sic enim digitis ipsum praesentem demonstravit; Joh. I. 29. sed respectu publici ministerii, cumprimis vero ratione officii redemtionis per passionem & mortem: atque sic ipsi quoque apostoli ante Christi passionem in venturum baptizasse dici possunt, quorum tamen baptismus non est specie diversus ab eo, qui passionem Christi insecutus est: quinimo ut una fides est eorum, qui a Iohanne baptizati in Messiam venturum sperarunt, & eorum, qui post Christi passionem in eum crediderunt, ita quoque unum est baptisma Iohannis & apostolorum Christi. 3.) Si vel maxime Iohannes in principio ministerii sui in Christum venturum baptizasset, tamen progressu temporis, cum Christus in Iordane baptizatus officium suum publice ac solenniter fuit auspicatus, procul dubio non amplius in venturum, sed in eum, *qui stetit in medio ipsorum*, Joh. I. 26. baptizavit: ac per baptismum sponsam Christo coelesti sponso veluti praesentem adduxit. Joh. III. 29. 4.) Neve ulla resset dubitatio, conferimus haec scripturae loca: Act. XIX. 4. de Iohanne dicitur, quod baptizaverit *in Christum*, v. 5. vel quod idem est, *in nomen Domini Iesu.* Gal. III. 26. de baptismo apostolorum dicitur: *quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Recte autem monet Ambrosius, nomen Christi complecti totam sacrosanctam Trinitatem, videlicet Patrem, *qui unxit Filium oleo laetitiae prae consortibus*, Psalm. XLV. 8. Filium, cui *Pater dedit Spiritum non ad*

(*) Denique ubi iidem effectus, ibi eadem forma. Atqui in baptismo Iohannis & nostro sunt iidem effectus. Ergo etiam utriusque est eadem forma. GERHARDUS.

ad mensuram, Joh. III. 34. & Spiritum sanctum, qui est *ipsa unctio*, 1 Joh. II. 27. Ergo qui in Christum baptizat, is Patrem ungentem, & Spiritum, qui est unctio, neutiquam excludit. 5.) Denique si papa Nicolaus I. recte pronunciavit, verum ac legitimum esse baptismum, qui in solius Christi expressum nomen datus est, *quod videlicet institutio Christi non de vocibus, sed de rebus sit intelligenda*, quanto verius hoc erit de Iohannis baptismo ante traditam expressam illam formam usurpato? Vide Cajetanum in Thom. part. III. q. 66. art. 6. Pertinet huc, quod Hardingus disputat, *apostolos essentialem verborum formam in baptismo mutasse, & quandoque in nomine Christi tantum baptizasse*: qua de re dicetur inferius §. 90.

§ XLVIII. Atque hæc dicta sint de *forma* baptismi, quem Iohannes administravit: restat quartum argumenti membrum, scilicet ut demonstremus, eandem esse *efficaciam* spiritualem baptismi Iohannis cum baptismo Christi. Dicimus ergo, quemadmodum Deus per baptismum apostolorum ad regenerationem, & remissionem peccatorum fuit efficax: ita quoque eadem beneficia per baptismum Iohannis pœnitentiam agentibus, & in Christum credentibus fuisse divinitus collata. Id demonstramus 1.) *ex συνωνυμία* phrasium, quæ de baptismo Iohannis & apostolorum usurpantur: Marc. I. 4. Luc. III. 3. *Erat Iohannes in deserto baptizans, & praedicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* Eadem loquendi formula usurpatur de baptismo apostolorum, Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Act. XXII. 16. Ananias Paulum adloquitur hisce verbis: *Exsurge, baptizare & ablue peccata tua invocato nomine Christi.* Ergo baptismus Iohannis non fuit administratus in pœnitentiam sine fide & remissione peccatorum, talis siquidem pœnitentia est ministerium mortis & opus legale; sed in veram & salutarem pœnitentiam, ac proinde etiam in remissionem peccatorum, quæ cum vera & salutari pœnitentia individuo nexu est conjuncta. Atque hæc beneficia non *significative* tantum vel adumbrative, nec *praeparative* tantum vel dispositive, sed etiam *exhibitive* & dispensative per baptismum Iohannis fuerunt collata, id quod non solum ex ipsis verbis evangelistarum, sed etiam ex concionibus Iohannis baptistæ adparet. Joh. I. 29. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* v. 16. *Ex plenitudine ejus omnes accipimus gratiam pro gratia &c.* 2.) *Ex* verbis Iohannis, quibus ad pharisæos hypocritas & incredulos baptismum petentes, usus est: Matth. III. 7. Luc. III. 7. *Γεννήματα viperarum, quis demonstravit vobis fugere a futura ira?* ubi per *iram venturam* tempus extremi judicii, & pœnas inferni intelligendas esse patet ex v. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quod si pharisæi hypocritæ & increduli per baptismum Iohannis, in vera pœnitentia & fide susceptum, potuissent effugere venturam iram, utique ergo vere pœnitentes baptizati a Iohanne fide in Christum acceperunt remissionem peccatorum, & reliqua bona cœlestia in evangelio promissa. 3.) *Ex* præconio Christi de baptismo Iohannis Luc. VII. 30. *Pharisaei & scribae spreverunt consilium Dei adversus semet ipsos non baptizati a Iohanne.* Hoc certe fuit consilium evangelicum, fuerunt *cogitationes pacis*, Jer. XXIX. 11. quod scilicet Deus per baptismum Johannis voluerit eos in gratiam & vitam recipere. Ambrosius in hunc locum: *Justificatur Deus per baptismum, qui enim peccat & confitetur Deo peccatum, justificat Deum, credens ei ab eoque sperans gratiam.* Sic de baptismo Johannis dicitur: Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Illi baptismo tribuit Christus regenerationem & cœlestis regni apertionem, qui tunc erat in ecclesia usitatus. Jam vero series historiæ evangelicæ ostendit, baptisma Iohannis vel solum, vel præcipue tunc temporis viguisse. Ergo baptismus Iohannis fuit medium, per quod homines sunt regenerati ad vitam æternam. 4.) *Ex* vaticinio Zachariæ de filio suo Iohanne: Luc. I. 77. *Praebis faciem Domini &c. ad dandam scientiam salutis*

plebi

plebi ejus in remissione peccatorum eorum. Hæc remissio peccatorum non solum per evangelii prædicationem, sed etiam per baptismi susceptionem pœnitentiam agentibus & in Christum credentibus contigit. Quale fuit ministerium Iohannis in docendo, tale etiam fuit in baptizando, cujus connexionis rationem exposuimus superius. Jam vero per Iohannis ministerium in docendo homines viam salutis edocti & peccatorum remissionem fide consecuti sunt. Ergo & per baptismum Iohannis eadem beneficia ipsis fuerunt collata. 5.) *Ex* encomio, quod Apolloni a Iohanne baptizato tribuitur Act. XVIII. 24. *Judaeus quidam, Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit in Ephesum, potens in scripturis*, v. 25. *hic erat edoctus viam Domini & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quae sunt de Jesu, sciens tantum baptismi Iohannis.* Quod si Apollos a Iohanne baptizatus fuit fervens Spiritu, cur Spiritum sanctum cum suis donis tam longe a baptismo Iohannis ablegaremus? 6.) Quo etiam referri potest, quod Petrus 1 epist. III. 21. de baptismo suo dicit: *Baptisma nos salvat.* Jam vero ex cap. I. Joh. 37. IV. 2. probabiliter colligitur, Petrum a Iohanne fuisse baptizatum, (quidam tamen ex veteribus statuunt, Petrum ab ipso Christo baptizatum esse) utique ergo baptismus Iohannis fuit medium salutis. 7.) Legati Hierosolymitani Joh. I. 25. cum Iohanne baptista expostulant: *Quare ergo baptizas, si non es Christus?* hoc est, cum non sis Christus, nec debebis, nec poteris baptizare in remissionem peccatorum, quippe quæ soli Deo competit. Intellexerunt igitur ex concionibus Iohannis, baptismum ipsius non esse ceremoniam legalem, sed pœnitentibus & in Christum credentibus cedere in remissionem peccatorum. 8.) Si baptismus Iohannis omni spirituali efficacia destitutus fuit, consequens erit, aquam lustralem majorem vim habere, quam baptismus Iohannis habuit. Nam de aqua lustrali dicit Alex. 1. in c. aquam sale de consecr. dist. 3. *quod populum sanctificet, mundet, expurget &c.* Discip. de temp. sermon. 110. *quod valeat in deletionem venialium peccatorum.* Bellarminus libr. III. de cultu sanctorum cap. 7. *quod habeat vim delendi peccata venialia & fugandi daemones ac curandi morbos.* Denuo tamen monemus, distinguendum esse inter communia & extraordinaria Spiritus sancti dona, itemque inter copiam donorum spiritualium majorem & minorem. Quamvis enim per baptismum Iohannis extraordinaria illa dona loquendi linguis, prophetandi, sanandi &c. non fuerint collata, quæ per impositionem manuum in baptismo apostolorum credentibus tempore primitivæ ecclesiæ distribuebantur, Act. VIII. 16. XIX. 5. quæque post gloriosam Christi in cœlum adscensionem demum conferenda erant: Joh. VII. 39. *Spiritus sanctus nondum erat, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*; ex eo tamen inferri nec potest nec debet, ne quidem communia Spiritus sancti dona omnibus salvandis necessaria per baptismum Iohannis fuisse collata; contrarium enim ex adlatis fundamentis satis manifeste adparet, id quod ad stabiliendam identitatem sacramenti inter baptismum Iohannis & apostolorum nobis sufficit. Etenim si ex eo, quod extraordinaria illa Spiritus sancti dona per baptismum Iohannis non fuerunt collata, legitime inferri posset, baptismum Iohannis non esse idem sacramentum cum baptismo apostolorum, consequens foret, nec nostrum baptismum eundem esse cum apostolorum baptismo; ecquis enim audivit illos, qui hodie in ecclesia baptizantur, novis linguis loqui, prophetare &c. Quamvis & in baptismo apostolorum major donorum copia baptizatis credentibus fuerit collata, ex eo tamen non potest inferri, quod Iohannis baptismus omni efficacia spirituali fuerit destitutus, quia gradus speciem non variant.

§. XLIX. Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 23. quibusdam ex his nostris argumentis respondere conatur. Profert enim has exceptiones: I.) *Baptismum Iohannis dici baptismum pœnitentiae, sed baptismum Christi nusquam dici baptismum pœnitentiae, sed lavacrum regenerationis.* Tit. III.

Exceptiones Bellarmini.

1.) Baptismum Iohannis dici baptismum pœnitentiae.

Resp. baptismus Iohannis non dicitur simpliciter baptismus pœnitentiæ, sed diserte additur *in remissionem peccatorum*: ea vero sine fide & regeneratione locum habere nequit. Et quemadmodum baptismus apostolorum dicitur *lavacrum regenerationis*; Tit. III. 5. ita quoque de baptismo Iohannis dicit Christus Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* II.) *Pœnitentiam contrario modo se habere ad baptismum Christi & Iohannis, cum baptismum Iohannis sequatur ut ejus effectus, baptismum autem Christi præcedat, ut ejus dispositio*, quo refert verba Petri: Act. II. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Resp. quamvis Marcus dicat *Iohannem baptizasse & praedicasse*, ex ea tamen verborum serie non potest colligi, Iohannem prius baptizasse, quam prædicasse: cum enim baptismus fuerit nova ceremonia, utique omnino necessarium fuit, de ea prius homines doceri. Ergo ut apostoli inter gentes prius pœnitentiam prædicarunt, postea demum illos, qui Christo nomen dederant, in remissionem peccatorum baptizarunt: ita quoque eodem modo inter Iudæos Iohannes egit: id quod ex Matth. III. sole clarius adparet; v. 1. *In diebus illis venit Iohannes baptista praedicans in deserto Iudaeae*, v. 2. *& dicens, pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cœlorum.* v. 5. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma & omnis Iudaea & omnis regio circa Iordanem.* v. 6. *Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.* Sic Luc. III. 3. *Venit Iohannes in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* v. 7. *Dicebat ergo ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso, γεννήματα viperarum &c.* Pulcherrime Chemnitius in harm. evangel. cap. 16. p. 302. *Iohannes non cœpit statim baptizare, priusquam vocationem suam exposuisset, ac homines doctrina sua, quantum satis erat, instituisset: sed primum in deserto Iudaeae, excitato voce clamante hominum concursu capita doctrinae, quam in vocatione divinitus acceperat, proposuit, sicut Matthaeus ostendit: postea cum fundamenta doctrinae suae jecisset, & homines doctrinam illam illustratione Spiritus sancti certatim amplecterentur, tunc ex deserto Iudaeae a mari mortuo per aliquot milliaria septentrionem versus progressus, venit in regionem finitimam Iordani, & ibi cœpit eos, quos doctrina sua imbuerat, aqua in Iordane baptizare, haec ratio profectionum Iohannis in tabulis considerari potest.*

III.) *Remissionem peccatorum non tribui baptismo Iohannis* (*), *sed tantum pœnitentiae, ad quam ipsius baptismus provocabat.* Resp. imo vero verba evangelistæ sunt satis perspicua, quod Iohannes & baptizaverit & prædicaverit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Docuit ergo Iohannes, mandatum sibi divinitus esse, ut novo ac peculiari ritu baptismi venienti Messiæ ecclesiam colligeret, atque ad suscipiendum illum homines præpararet, utque promissionem regni cœlorum credentibus ritu illo adplicaret & obsignaret. Quia enim in baptismo Iohannis erat verbum seu *promissio regni cœlorum*, hoc est, gratiæ & remissionis peccatorum, & quia fides in Christum venturum, quæ in baptismo Iohannis exigebatur, Act. XIX. 5. & promissio regni cœlorum Matth. III. 2. Marc. I. 4. Luc. III. 3. baptismo illo obsignabantur, ideo vocatur baptismus *in remissionem peccatorum.* Vide Chemnitium in harm. evang. cap. 16. p. 307. ubi addit: *Qui contra manifesta verba contendunt, in baptismo Iohannis credentibus non datam remissionem peccatorum*

Remissionem peccatorum non tribui baptismo Iohannis, sed pœnitentiæ.

(*) Diversam a BELLARMINO sententiam amplexi sunt fratres WALENBURCHII, quos supra iam adlegavimus. Non negant enim, eos, qui a Ioanne fuerint baptizati, accepisse remissionem peccatorum, quia eius baptismus fuerit baptismus *pœnitentiae*; sed contendunt tamen, *effectum formalem baptismatis Christi esse aliquid amplius*, nimirum iustificationem nostram, eandemque non consistere in sola remissione peccatorum, sed (ut ex hypothesi sua loquuntur) in regeneratione ac sanctificatione. Adducunt probationis loco oracula sacra *Tit. III. 4 & Rom. VI. 3.* Vid. *tom. II. controv. fidei p. 401, 402.*

rum, illi cogentur verba illa mirabiliter torquere, ut scilicet clausula illa: in remissionem peccatorum, non referatur ad baptismum, sed ad vocabulum pœnitentiæ. *Sed si pœnitentia, quae fuit baptismi Johannis, fuit in remissionem peccatorum, quid igitur prohibet, quo minus dicamus, pœnitentiae illum baptismum datum credentibus in remissionem peccatorum?* IV.) *Evangelistam loqui de remissione peccatorum per baptismum Christi demum futura.* Resp. imo vero de sui baptismi fructu loquitur. Sic enim dicit ad turbas, quæ exierant, ut baptizarentur ab eo: Luc. III. 7. *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* ergo baptismus Johannis fuit medium salutare, per quod a ventura ira homines liberari potuerunt; quo respectu etiam *consilium Dei* dicitur Luc. VII. 30. nimirum de remissione peccatorum & salute per hoc medium conferenda hominibus. Reliqua argumenta Bellarminus non attingit.

4.) Evangelistam loqui de remissione peccatorum per baptismum Christi demum futura.

Argumenta nostræ sententiæ minus principalia.

§ L. Exposito præcipuo sententiæ nostræ fundamento ex identitate caularum petito, restat, ut *secundaria* & minus principalia argumenta proferamus, unde pro stabilienda identitate sacramentali inter baptismum Johannis & apostolorum porro sic inferimus: Si statuitur, baptismum Johannis non fuisse idem sacramentum cum baptismo apostolorum & nostro, consequens fuerit, 1.) alio baptismo caput, puta Christum, alio vero membra usum; 2.) Christum baptismatis sui susceptione non sanctificasse baptisma nostrum; 3.) non esse unum baptisma nov. test. 4.) baptistam non fuisse novi test. ἔξαρχον nec gratiæ ex plenitudine Christi redundantis οἰκόνομον; 5.) apostolos a Johanne baptizatos non fuscepisse salutarem baptismum, aut acceptum iterasse, 6.) non omnes nos in unum corpus baptizari. *Connexionis* ratio est manifesta, quæ enim essentia differunt, ea etiam adjunctis & effectis differunt. Jam vero absurdum est, a.) statuere, quod alio baptismo Christus, alio vero membra ejus tingantur, cum corporis mystici unitas contrarium testetur, cumque eandem circumcisionem cum Israëlitis ver. test. Christus susceperit; b.) veteres unanimi consensu adserunt, Christum susceptione sui baptismatis nostrum baptisma consecrasse; Hieronymus, Chrysostomus in cap. III. Matth. Ambrosius & Beda in cap. III. Luc. c.) *Unum esse baptisma* nov. test. sicut est *una fides, unus Dominus*, evidenter adserit apostolus Eph. IV. 5. d.) baptistæ ministerium non ad vetus, quod fuit tempus umbrarum, sed ad novum testamentum pertinere ostendimus in tract. de sacram. & in hoc ipso tractatu §. 17. e.) apostolos baptismum a Johanne susceptum iterasse, non potest idoneis testimoniis confirmari; f.) *nos omnes in uno Spiritu, in unum corpus baptizari*, testatur apostolus 1 Cor. XII. 13. Relinquitur ergo, quod baptismus Johannis sit idem sacramentum cum baptismo apostolorum.

Exceptiones Bellarmini. 1.) Christum non indiguisse peccatorum remissione.

§. LI. Bellarminus excipit I.) *baptismum Christi ipsi Christo vix tribui posse sine ejus injuria, cum enim sit lavacrum regenerationis & adoptionis filiorum, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse regeneratione & adoptione filiorum Dei, quae est maxima in Christum blasphemia, cum sit Filius Dei naturalis & ab ipsa conceptione sanctissimus.* Resp. Bellarminus statuit, *baptismum Johannis provocasse ad pœnitentiam*, ita enim loquitur in hoc ipso capite 23. §. 4. num ergo eodem modo inferemus; baptismum Johannis Christo sine ejus injuria vix tribui posse, cum enim sit provocatio ad pœnitentiam, si is Christo tribueretur, videretur indiguisse pœnitentia, quæ est maxima in Christum blasphemia, cum sit sanctissimus ille, *qui non novit peccatum nec inventus est dolus in ore ejus.* Esaj. LIII. 9. 1 Pet. II. 22. Quidquid Bellarminus huic ratiocinationi responderit, etiam suæ responsum statuat. Rem ipsam quod attinet, quamvis Christus non indiguerit regeneratione vel adoptione in Filium Dei, ex eo tamen non potest inferri, quod non susceperit eundem cum nobis baptismum; si quidem qui

per verbum jam ante regeniti & in filios Dei adoptati baptizantur, itidem non renascuntur & adoptantur in filios Dei per baptismum; absit tamen, ut statuere velimus, eos non suscipere eundem baptismum cum reliquis: sufficit, quod beneficia jam ante accepta in illis per baptismum obsignentur, & Spiritus sancti dona augeantur. Ceterum quamvis Christus pro se non indiguerit peccatorum remissione per baptismum sibi ipsi conferenda, interim tamen nostro loco & nostrum omnium personam ut mediator sustinens, ut agnus onustus totius mundi peccatis, ad baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum accessit, effecturus, ut per illud ministerium omnis justitia impleatur. Perinde ut in circumcisione ac purificatione sistit se Domino, ut agnum onustum peccato, unde in plurali evangelista loquitur, *quod completi fuerint dies purgationis αὐτῶν* & Mariæ & pueri Jesu. Luc. II. 22. Unde ecclesia in die Epiph. canit: *Christum esse baptizatum, ut lavaret nostra in baptismo crimina.* Bellarmino hoc videtur *blasphemum, cum ex eo sequatur, Christum dici posse furem, homicidam, adeoque maximum peccatorem*, sed de tota hac re late diximus in tract. de justif. §. 241. Addit hoc loco Bellarminus argumentum, quo probare conatur, *magis gloriosum fuisse Christo non accipere suum baptismum, quam accipere. Dum enim baptismum confert & non accipit, imperatorem se & principem hujus militiae ostendit, quippe qui characterem suum in aliis imprimit, at si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam adscribi.* Resp. procedit hæc similitudo ex hypothesi scholasticorum, qui per baptismum characterem quendam animæ imprimi statuunt, de qua re quid statuendum sit, exposuimus suo loco. Quidquid autem sit de illo charactere, quemadmodum gloriæ Christi nihil decedit, si statuatur, quod simus ejus, tanquam capitis nostri in corpore mystico, membra: ita quoque non minus ipsi glorioſum, quod velut dux & princeps spiritualis militiæ eundem cum nobis, sub vexillo ejus militantibus, baptismum susceperit. Quid enim? num duci turpe erit, militibus non solum præcepto, sed etiam exemplo præire? ac num honorificentius est, imperatorem servi, quam suum ipsius characterem gestare?

§. LII. II.) *Vere quidem dici, quod Christus ideo baptizatus fuerit, ut baptismum salutarem institueret & consecraret; sed ex eo nihil quidquam pro nostra sententia stabiliendæ elici posse, quin imo cum ea pugnare. Nam antequam Dominus baptizaretur, nunquam adparuit columba, nec audita est vox de cœlo, neque sanctificatae sunt aquae, & tamen idem erat baptismus Johannis cum eo, qui postea fuit. Non igitur baptismus, quem habuit Dominus a Johanne, idem erat cum nostro. Nam illum accepit, non instituit, nostrum autem instituit, non accepit.* Resp. præcipua causa, quare Christus baptizari voluerit, ab ipso Christo proponitur in verbis illis: *Omitte nunc, sic enim decet, ut compleamus omnem justitiam.* Matth. III. 15. In quæ verba sic commentatur Chemnitius cap. 17. harm. evang. p. 12. *Quando Christo mediatori tribuitur impletio justitiae, sensus hic est: Pater misit Filium in hunc mundum, ut fieret nobis justitia,* 1 Cor. I. 30. *idque hoc modo, ut factus sub lege fieret victima pro nobis, & de peccato damnaret peccatum, atque ita justitia legis impleretur in nobis,* Rom. VIII. 4. *utque daret ministerium reconciliationis, ut ita nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 2 Cor. V. 21. *Fuit ergo officium Christi mediatoris, omnia illa, quae ad consequendam illam justitiam, qua coram Deo ad vitam aeternam justificamur, pertinent, implere, ut ita ipse in solidum esset nostra justitia. Implevit autem hanc justitiam, primo quando victima pro nobis factus, peccata nostra sustulit, & perfectissima obedientia legi pro nobis satisfecit. Secundo autem, ut justitia illa nostra fiat, & nobis adplicetur, opus est mediis seu organis, per quae justitia illa obedientia & sanguine Christi adquisita nobis distribuatur, & efficacia Spiritus sancti nobis adplicetur. Christus igitur illa etiam media, sive organa voluit sanctificare, quae & ipsa ad justitiam fidei pertinent.* Hæc Chemnitius ex Luthero. Quod si ergo baptismus Johannis non

2.) *Christus baptismum nostrum non accepit, sed instituit.*

fuit

fuit idem cum noſtro baptiſmo, quomodo Chriſtus ſuſcipiendo baptiſmum Johannis conſecravit noſtrum, tactu ſui corporis aquas ſanctificando ad diluenda credentium peccata? Quin potius Chriſtus ipſe deſcendit in baptiſmum cum ſuo corpore, atque ita illa, quæ in corpore carnis ſuæ promeruit & adquiſivit, quaſi depoſuit in baptiſmo, ita ut per illud medium diſtribuantur & adplicentur. Unde in baptiſmo noſtro *Chriſtum induimus*, Gal. III. 27. *σύμφυτοι* efficimur *in mortem Chriſti* per baptiſmum, Rom. VI. 4. efficimur membra ipſius, & coaleſcimus quaſi cum ipſo, *quia in unum corpus* baptizamur. 1 Cor. XII. 13. Hoc fundamentum conſolationis tollitur, quando negatur eodem baptiſmo nos baptizari, quo Chriſtus eſt baptizatus. Quamvis vero ante ſolennem illam baptiſmi conſecrationem etiam alios Johannes baptizaverit, ex eo tamen neutiquam inferri poteſt, quod in illis omni efficacia ſpirituali baptiſmus Johannis fuerit deſtitutus, ſed ut fructus paſſionis Chriſti extendit ſe ad præteritum & futurum, ita quoque illa ſanctificatio baptiſmatis tactu dominici corporis facta. Ipſe Bellarminus ex Hieronymo in cap. III. Matth. diſputat, *Chriſtum inter alias cauſas etiam ideo a Johanne baptizari voluiſſe, ut baptiſmum Johannis confirmaret, tanquam bonum & Deo gratum*: id ſi ad tempus poſt baptiſmum a Chriſto ſuſceptum tantummodo refertur, conſequens fuerit, reliquos ante Chriſtum a Johanne baptizatos non ſuſcepiſſe baptiſmum bonum & Deo gratum. Ut confirmatio, ita etiam ſanctificatio baptiſmi ad tempus præteritum & futurum referenda eſt. Invertimus igitur verba Bellarmini: Chriſtus, quia eſt unus cum Patre & Spiritu ſancto verus Deus, a quo Johannes ad baptizandum miſſus eſt, ideo etiam Johannis baptiſmum inſtituiſſe eſt dicendus: & quia eum inſtituit, ideo etiam ſuſcipere voluit. Viciſſim ſuſcipiendo baptiſmum a Johanne noſtrum baptiſmum inſtituit & conſecravit, quippe cum Johannis baptiſmus ſit idem cum noſtro. Quemadmodum Chriſtus *nobis natus, ac nobis datus*, Eſaj. IX. 6. *factus nobis a Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio*; 1 Cor. I. 30. ita quoque baptizatus eſt, ut noſtrum baptiſmum ſanctificaret. Quemadmodum circumciſionem ſuſcepit eandem, non diverſam a patrum circumciſione: ita quoque eundem nobiſcum baptiſmum ſuſcepiſſe judicandus eſt.

§. LIII. III.) *Si argumentum ex loco* Eph. IV. *de unitate baptiſmi deductum valeret, probaret etiam, tempore Moſis & Davidis fuiſſe Chriſti baptiſmum. Tunc enim itidem erat unum corpus eccleſiae, eadem ſpes, eadem fides, &c. Illud ſaltem voluit apoſtolus, quod chriſtiani debeant omni diligentia ſervare unitatem Spiritus, quia ſunt unum corpus, & unum habent Spiritum, unum Deum, unam fidem, unum baptiſmum.* Reſp. a tempore novi teſtamenti, in quo baptiſmus inſtitutus fuit ad tempus veteris teſtamenti, in quo nondum inſtitutus fuit, non poteſt legitime procedi. Apoſtolus loquitur de tempore novi teſtamenti, in eo omnium chriſtianorum eſt unum baptiſma, ſicut omnium eſt una fides & unus Dominus, ut in veteri teſtamento fuit una circumciſio omnium Iſraëlitarum, in cujus locum baptiſmus ſucceſſit. Quod de baptiſmo hæreticorum Bellarminus addit, apud illos eſſe verum Chriſti baptiſma, licet apud eos non ſit unum corpus, unus Spiritus, una fides &c. non infringit vim noſtri argumenti. Neque enim ex unitate corporis myſtici & fidei unitatem baptiſmi deducimus, ſed ex unitate baptiſmi, quam diſertis verbis apoſtolus ponit, diſcrimen illud, quod inter baptiſmum Johannis & noſtrum a Scholaſticis conſtituitur, evertimus. Adde, quod argumenta a contrario ſenſu ducta non ſint perpetuæ & immotæ veritatis. Recte dicitur, ut inter vere pios eſt unum corpus myſticum, unus Spiritus, una fides: ita quoque unum baptiſma, ſed ex eo non poteſt inferri: Ergo ubi non eſt unum corpus myſticum, unus Spiritus, una fides, ibi non eſt unum baptiſma, ſiquidem veritas baptiſmi dependet ab inſtitutione divina, quæ ubicunque inviolata ſervatur, verum baptiſma confertur.

3.) Sequeretur, etiam Moſis ac Davidis tempore fuiſſe unum baptiſmum.

§. LIV.

§. LIV. IV.) *Novi testamenti auctorem non esse Johannem, sed Christum*, lib. I. de sacram. in genere cap. 14. particula 3. *Resp.* hac de re diximus in tract. de sacramentis, §. 15. V.) *Apostolos Christi baptismo esse baptizatos.* Resp. hac de re diximus superius §. 14. VI.) *Paulum loqui solum de corpore, non de capite. Nos enim membra Christi, & proinde unum corpus efficimur per baptismum, quia per hoc sacramentum regeneramur, & Christo adnectimur: at ipse caput nostrum factus est, non per baptismum, sed per gratiam unionis hypostaticae.* Resp. quamvis Christus per gratiam unionis *hypostaticae*, & exaltationem ad dextram Dei constitutus sit *caput ecclesiae*, Eph. I. 22. nos tamen per baptismum efficimur membra illius corporis mystici, cujus caput est Christus. Baptismum igitur cum nobis peccatoribus commune suscepit, ut testaretur, nos per baptismum effici membra ejus, & coalescere quasi cum ipso, cum baptizemur in unum corpus, & σύμφυτοι efficiamur in mortem ejus per baptismum, Rom. VI. 4. Quemadmodum igitur circumcisionem suscepit, ut testaretur, pios in veteri testamento per circumcisionem factos esse membra ipsius: ita quoque baptismum eundem nobiscum suscepit, ut testaretur, pios in nov. testam. per baptismum membra ipsius fieri. Brevirer: baptismus, quem a Johanne Christus suscepit, tam vere est idem specie cum baptismo ab apostolis collato, ac tam vere ad novum testament. pertinet, quam vere ejusdem speciei fuit circumcisio, quam suscepit Christus cum ea, quam accepit Abraham, ejusque posteri. Ideo enim Christus utrumque sacramentum suscipere voluit, ut tam veterum, quam novorum sacramentorum vim & sanctificationem a se uno, utriusque populi tam baptizati, quam circumcisi servatore, unice dependere doceret.

4.) Novi testamenti auctor est Christus, non Johannes.
5.) Apostolos Christi baptismo esse baptizatos.
6.) Paulum loqui de corpore, non de capite.

§. LV. Videamus, quid Pontificii de baptismo Johannis statuant. Concilium Trident. sess. VI. de bapt. can. 1. ita intonat: *Si quis dixerit, baptismum Johannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 2. lit. D. *Johannes sola corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat: baptismus Johannis erat in pœnitentiam, non in remissionem, baptismus vero Christi in remissionem.* Salmeronius tom. IV. p. 19. *Differebat baptismus Christi a baptismo Johannis, non in materia, sed solum in forma & verbis, ex quo & in fructu gratiae* (*). Barradius in cone. evangel. p. 404. *Baptisma Johannis rudimentarium fuit ad pœnitentiam deducens, praeludium saltem quoddam gratiae.* Bellarminus antequam ad canonis Tridentini explicationem acce-

Adversariorum de baptismo Johannis sententia.

(*) Idem tom. IV. p. 52. *Johannis baptismum a Christi baptismo fuisse diversum*, probat his rationibus: 1.) *quia Johannes aperte se in aqua tantum baptizare docet: at de Christo ait, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.* 2.) *Quia in actis Christus ipse Johannem quidem baptizasse aqua, apostolos autem baptizandos esse Spiritu sancto profitetur.* 3.) *Multis absurditatibus patere fores, nisi distinguatur Johannis a Christi baptismo: a.) scripturas in depravatos sensus & peregrinos fore detorquendas: b.) praebitum iri occasionem, ut contra Pauli doctrinam ad Corinthios credant homines, ex ministrorum dignitate pendere sacramenta: c.) sacramenta ecclesiae viliora redditum iri, si alius eorum quam Christus auctor & institutor agnoscatur: d.) viam apertum iri anabaptistis, cum exemplo Pauli possint alios semel tinctos rebaptizare: e.) recedendum fore a communi sensu & consensu patrum.* Bartichius in postill. Domin. IV. advent. p. 352. *Qui baptismum Johannis baptismo Christi æquat, præcipuam nov. testam. vim & energiam enervat.* Costerus in concion. p. 120. verba Johannis: *Ego baptizo aqua*, sic explicat: *ego nihil facio, nisi quod aqua naturaliter facit. p. 119. baptismus meus est corporis ablutio, est expers gratiæ & remissionis peccatorum.* Stapletonus in promt. cathol. Dom. IV. Advent. *Johannis baptismus fuit infirmus, inefficax & nuda ceremonia, adeoque toto genere distinctus a baptismo Christi, utpote qui non conferebat gratiam, non dabat Spiritum sanctum, non tribuebat remissionem peccatorum. Sed ad hæc omnia præparabat, sicut totum ejus ministerium erat præparatorium.* GERHARDUS.

Quas dissensiones Bellarminus nostris in hac quæstione tribuat.

accederet, dissensiones nostrorum evincere conatur: 1.) *quia Lutherus in disputatione de baptismo legis, Iohannis & Christi, statuit, baptisma Iohannis non esse sacramentum, nec remittere peccata, ac baptizatos a Iohanne iterum fuisse baptizandos.* Resp. habita est illa disputatio anno 1520. de ea igitur accipiendum, quod in præfat. tom. I. operum Lutherus scribit: *Haec ideo narro, optime lector, ut, si lecturus es opuscula mea, memor sis, me unum fuisse ex illis, qui, ut Augustinus de se scribit, scribendo & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint neque operati, neque tentati, neque experti, sed ad unum intuitum scripturae totum Spiritum ejus exhauriunt.* Quid Lutherus statuerit de baptismo Iohannis, patet ex concionibus de pædobaptismo habitis Dessaviæ anno 1541. quæ exstant tom. VII. Jenens. german. in quibus hos aphorismos invenies: fol. 454. *Baptismus Iohannis non minus a Deo institutus, quam baptismus Christi.* fol. 456. *Baptismus Iohannis non valet solum ad emendationem carnis, quales lotiones erant in lege Mosaica praescriptae, sed est baptismus pœnitentiae in remissionem peccatorum.* fol. 460. *Iohannis baptismus non multum distat a baptismo Christi: illi, quos Iohannes baptizavit, quique ante baptismum Christi mortui, fide salvi facti sunt.* Tom. VIII. Jen. german. conc. I. de baptismo Christi habita anno 1546. fol. 301. *Iohannes baptisma suum vocat baptisma pœnitentiae, per quod peccatores, qui pœnitentiam agunt & baptizantur, remissionem peccatorum consequuntur.* Quidquid autem sit de Lutheri sententia, nos nemini hæreseos dicam scribimus, qui in hac quæstione de baptismo Iohannis non per omnia nobiscum consentit. 2.) *Chemnitius non audet definire, an baptizati a Iohanne essent iterum baptizandi Christi baptismo.* Resp. scripturam non nimium vel curiose vel scrupulose illud observasse adserit, quod est verissimum. De tota hac re suo loco plura. Quod Zwinglius in libr. de vera & falsa relig. cap. de bapt. Johannis baptismum nominat *elementarem sola aqua constantem*, eumque definit *initiale sacramentum, quo se signabant & inter pœnitentes accensebant, qui vitam & mores erant emendaturi;* ad nos non pertinet.

§. LVI. Rectius de Scholasticis Bellarminus dixisset, quod in hac quæstione non conveniant 1.) Lombardus libr. IV. dist. lit. F. distinguit *duo genera baptizatorum, unum eorum, qui sic baptizabantur a Iohanne, ut spem ponerent in eo baptismo, & non haberent notitiam Spiritus sancti, & hos dicit fuisse baptizandos Christi baptismo. Alterum eorum, qui baptizabantur a Iohanne, sed non ponebant spem in eo baptismo, & habebant notitiam Spiritus sancti, & hos dicit non fuisse necessarium baptizari Christi baptismo.* Hanc opinionem Bellarminus vocat irrationabilem & multum improbabilem. 2.) Idem Lombardus & multi Scholasticorum docent, *baptismum Iohannis fuisse sacramentum quoddam, qualia erant sacramenta veteris legis.* Hanc opinionem Bellarminus vocat erroneam, ac statuit, baptisma Iohannis non pertinuisse ad legem veterem, sed potius ad novam (*), ut præparationem quandam ad Christi baptismum. 3.) Lombardus, Alexander Alensis, Petrus de Palude, Thomas &c. statuunt, quod *Iohannes hanc*

Dissensiones Scholasticorum in hac quæstione.

(*) Secundum BONAVENTURAM in *4. dist. 2. qu. 2.* atque THOMAM in *4. dist. 2. qu. 2. art. 1.* baptismus Ioannis neque ad veterem, neque ad novam legem referri debet, sed medium quendam inter utramque locum habet. Ab hac tamen sententia recessit doctor iste, qui in ecclesia Rom. *angelicus* adpellari solet, in *summa 3. part. quæst. 38. in resp. ad 1.* ubi expresse ait: *baptismum Ioannis non fuisse per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi.* Ast, quis non rideat inanes istas absurdasque scholasticorum hac de re altercationes?

hanc formam habuerit: Ego te baptizo in nomine venturi. Durandus dicit, *quod baptista nullam habuerit formam.* Scotus & Biel statuunt, *utramque opinionem esse probabilem.* Bellarminus libr. I. de sacrament. bapt. cap. 29. sequitur Durandum. 4.) Biel IV. sent. dist. 2. q. 2. artic. 3. dub. 1. propter tres causas Iohannis baptismum institutum fuisse dicit: a.) *Ad figurandum baptisma Christi.* b.) *Ad praeparandum populum ad Christi baptismum, ut eum non horrerent.* c.) *Ad consecrandam materiam baptismi Christi.* Alensis addit: d.) *Ut Iudaei revocarentur a circumcisione.* Bellarminus dicit, *fuisse provocationem ad poenitentiam.* 5.) Alensis statuit, *mulieribus non conveniisse Iohannis baptismum, ne scilicet in concursu populi nudarentur.* At quomodo id convenit verbis evangelistae, quod *omnis regio circa Iordanem exiverit ad Iohannem, ac baptismum ab eo susceperit.* Matth. III. 5. Quasi vero nudatione totali opus fuerit ad baptismum? 6.) De baptismo Iohannis dicit Lombardus libr. IV. sent. dist. 2. lit. E. *a Deo erat, non ab homine tantum* Bellarminus contrarium statuit libr. I. de baptism. c. 20.

Argumenta Bellarmini, quibus probare conatur, quod baptismus Iohannis non fuerit idem sacramentum cum baptismo Christi.

1.) Baptismus Iohannis fuit ab ipso Iohanne institutus.

§. LVII. Ad explicationem canonis Tridentini Bellarminus format tres propositiones: I.) *Baptismus Iohannis non fuit idem sacramentum cum baptismo Christi.* Hanc c. 29. probare conatur argumentis quatuor: 1.) *Baptismus Iohannis ab ipso Iohanne institutus erat, quia in scripturis passim vocatur baptismus Iohannis.* Matth. XXI. Marc. XI. Luc. XX. Act. I. 18. & 19. *Ergo non erat sacramentum praesertim novae legis.* Resp. baptismum Iohannis a Deo ipso institutum esse, immotis argumentis confirmatum dedimus superius §. 10. & 12. Quo sensu Iohannis baptismus dicatur, exposuimus §. 13. Atqui *si ratione ministerii tantum dicitur baptismus Iohannis, cur non & Christi baptismus vocatur baptismus Petri, Pauli, Philippi &c.* Resp. non solum ratione ministerii, sed etiam respectu promulgationis & inchoationis baptismus Iohannis dicitur, quia scilicet primus in nov. test. baptismi ceremoniam inchoavit, ac promulgavit: apostoli vero baptismum a Christo promulgatum administrarunt. Concedimus etiam ob id cumprimis dici baptismum Iohannis, ut a baptismo Christi distinguatur: quale autem sit illud discrimen, expositum superius §. 36. memb. 3. 2.) *In baptismo Christi non sola aqua est de essentia sacramenti, sed etiam invocatio Trinitatis: at baptismus Iohannis non habuit invocationem Trinitatis. Ergo non est idem sacramentum cum baptismo Christi.* Resp. de *forma* baptismi a Iohanne administrati egimus superius §. 38. & 39. 3.) *Baptisma Iohannis non fuit in praedicatione Christi institutum, nec a Christo mandatum, sed a Iohanne, antequam inciperet nov. test. auctor praedicare. Ergo non est sacramentum nov. testam.* Resp. de auctore nov. test. late egimus in tract. de sacramentis §. 15. & in hoc ipso tractatu §. 17. 4.) *Baptismus Christi non potest iterari. At baptizati a Iohanne jussi sunt iterum ab apostolis baptizari.* Resp. de iteratione baptismi a Iohanne susceptii paulo post agemus.

2.) Non habuit invocationem Trinitatis.

3.) Non pertinet ad nov. test.

4.) Fuit iteratus.

§. LVIII. *Secunda* propositio Bellarmini haec est: *baptismus Iohannis non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet baptismus Christi.* Hanc cap. 21. probare conatur: 1.) Ex scriptura Marc. I. *Iohannes baptista distinguit suum baptisma a Christi baptismate, quod ipse baptizet in aqua, ille Spiritu sit baptizaturus. Ego baptizavi vos in aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Resp. 1.) Ostendimus superius a Iohannis baptismo non

Quod Iohannis baptismus non habuerit eandem efficaciam cum baptismo Christi.

1.) Iohannes baptizavit in aqua, Christus in Spiritu.

non posse omnino separari gratiam & efficaciam Spiritus sancti, quæ argumenta omnia hoc loco repeti debent. 2.) Dicimus ergo *baptismi* vocabulum dupliciter accipi: *primo* pro sacramento initiationis, quem vocant baptismum *fluminis;* deinde pro visibili effusione Spiritus sancti & donorum ejus, qui dicitur baptismus *flaminis.* Priorem significationem vox *baptizandi* habet in verbis prioribus apud Marcum, posteriorem autem in verbis posterioribus. 3.) Id quod demonstramus sequentibus fundamentis: *Primo* usurpatur vox temporis *futuri* βαπτίσει. Agitur igitur de baptismo Spiritus miraculoso, sequentibus temporibus exspectando. Iohannes ac discipuli Christi eodem tempore baptizarunt. Ioh. IV. 1. Per baptismum apostolorum communia Spiritus sancti dona fuerunt collata, quod non negat Bellarminus: ergo propter hunc apostolorum baptismum Iohannes in præsenti dicere debuisset, quod Iesus Spiritu sancto baptizet, si de communibus Spiritus sancti donis, non autem de extraordinariis ageret. *Secundo* Matth. III. 11. eadem verba Iohannis copiosius describuntur: *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne;* ubi vox *ignis* manifeste ostendit, Iohannem loqui de extraordinariis & miraculosis Spiritus sancti donis, die pentecostes in specie linguarum ignearum apostolis & aliis fidelibus collatis. *Tertio* hanc explicationem ipse Christus diserte comprobat. Cum enim jamjam adscensurus in cœlos discipulis præciperet, ne Hierosolymis discederent, sed promissionem patris exspectarent; Act. I. 4. ἀπιολογικῶς subjungit, *quia Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies;* v. 5. ubi sole clarius elucet, Christum de baptismo *flaminis* verba Iohannis interpretari. Apostoli jam ante baptizati erant baptismo Christi, ut vult Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 23. jam vero per baptismum Christi efficax est Spiritus sanctus, nihilo tamen minus Christus promittit apostolis, quod baptizandi sint Spiritu sancto. *Quarto* accedit complementum hujus dicti, quod describitur Act. II. 3. *Adparuerunt in apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque Spiritus sanctus super singulos eorum.* Ibi jam adparet, quid per promissum Spiritus & ignis baptismum sit accipiendum. *Quinto* Petrus Act. XI. 16. ad visibilem Spiritus sancti effusionem verba illa diserte adplicat: *Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & vos in initio: & recordatus sum verbi Domini, sicut dicebat, Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Sexto* exemplar græcum Lugdunense in concordantiis marginalibus ad horum locorum collationem nos remittit ad Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Joh. I. 26. Act. I. 5. XI. 16. *Septimo* Hieronymus in cap. III. Matth. itidem intelligit de linguis igneis, visis die pentecostes in apostolis; Hilarius tamen can. 3. in Matth. ita explicat, quod qui jam baptizantur in Spiritu sancto, postea consummandi sint igne extremi judicii. Chrysostomus hom. III. operis imperfecti nomine ignis intelligit tribulationes. 4.) Quod Bellarminus regerit, *Christum & Petrum adludere solum ad verba Iohannis,* nimis dilutum est. Non enim solummodo ad ea modo qualicunque adludunt, sed certam eorum explicationem in ipso complemento nobis monstrant. Quemadmodum igitur alia vaticinia ex eventu optime intelliguntur: ita quoque hæc promissio ex complemento rectissime intelligitur & explicatur. Ex eo, quod baptismus Iohannis dicatur in aqua, non potest colligi, quod distinguatur a baptismo, qui fit ex aqua & Spiritu, quia Eph. V. 6. etiam apostolorum baptismus dicitur lavacrum aquæ, a quo tamen Spiritus sancti gratia non est separanda. Et Christus Joh. III. 5. de baptismo Iohannis tunc vigente dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* Fictitia ergo est distinctio illa inter tria baptismata, quod *aliud sit in aqua solum, videlicet baptismus Iohannis: aliud in Spiritu & igne solo, videlicet visibilis missio Spiritus sancti: aliud in aqua & Spiritu, videlicet baptismus Christi.* 5.) Quamvis igitur proprie & commodissime verba Iohannis de visibili missione Spiritus sancti accipi statuamus; tamen non improbamus

eorum sententiam, qui statuunt, Iohannem distinguere hoc loco voluisse inter ministerium *externum*, quod sibi tribuit: & efficaciam baptismi *interiorem*, quam Christo transcribit, sicut Joh. I. 23. inquit: *ego vox clamantis in deserto*, ubi efficaciam Deo, sibi vero externum ministerium vendicat: & ut apostolus 1 Cor. III. 6. dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum.* Augustinus tract. V. in Joh. *Sibi Dominus potestatem baptizandi reservavit, servis ministerium commisit.* Neque enim in *futuro* tantum Iohannes loquitur: *Ipse vos baptizabit Spiritu & igne*, sed etiam in *praesenti* dicit Joh. I. 33. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ac de efficacia ministerii Iohannis testantur haec dicta: Joh. I. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Luc. I. 16. *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Cumprimis vero solemnis illa patefactio sacrosanctae Trinitatis circa baptismum Christi baptismum Iohannis nobis commendat. 6.) Regerit Bellarminus, *Chemnitium non posse causam reddere, cur in futuro omnes evangelistae dixerint:* ipse baptizabit, *si operabatur Christus interius illo ipso tempore, quo Iohannes exterius.* Resp. non omnes loquuntur in *futuro*, ut adparet ex verbis Iohannis, & quare in *futuro* loquantur, optima potest dari ratio: Christus enim baptizat Spiritu sancto dupliciter, *tum* per verbum & sacramenta dona Spiritus sancti communia distribuendo, *tum* extraordinaria Spiritus sancti quibusdam conferendo. Nec valet distinctio inter praedicationem & baptismum Iohannis, quasi praedicatione verbi tantum moverit corda hominum, non autem per baptismum ea purgaverit; siquidem sacramenta obsignant & confirmant id, quod in verbo promittitur, nec minor vis tribuenda verbo visibili, quam audibili, qua de re diximus superius. Quod columba, in qua Iohanne baptizante Spiritus sanctus adparuit, non testetur de efficacia ministerii Iohannis, ἀπαιδεύτως Bellarminus negat. Quo enim fine solemnis illa Trinitatis patefactio ac coelorum apertio in baptismo Iohannis fuit facta, nisi ut baptismum nobis commendaret? nimirum, quod tota sacrosancta Trinitas baptismo adsit, quod coeli portae per baptismum recludantur, quod Christum induamus per baptismum, quod Spiritus regenerationis & renovationis per hoc lavacrum in nos effundatur, quod vox complacentiae Patris, nos in gratiam recipientis, sonet, ac proinde, quod *baptismus sit stipulatio bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi*, 1 Petr. III. 21. *At*, inquit Bellarminus, *Christus non eguit efficacia baptismi Iohannis, ergo columba illa non testatur de efficacia ministerii Iohannis.* Resp. plus est in consequente, quam antecedens inferre permittit. Christus a primo conceptionis initio fuit *plenus gratia & veritate*, Joh. I. 14. *plenus sapientia*, Luc. II. 40. *plenus Spiritu sancto*, Luc. IV. 1. *accepit Spiritum non ad mensuram* Joh. III. 34. Non ergo indiguit nova Spiritus sancti collatione. Ideo autem in baptismo a Iohanne suscepto *Spiritus sanctus descendit, & mansit super ipsum*, Joh. I. 32. ut esset publicum testimonium, quod hic Jesus Nazarenus sit verus ac promissus Messias, non oleo corporali, sed *Spiritu sancto unctus;* Psalm. XLV. 8. Esa. LXI. 1. divina auctoritate coelitus missus, ac proinde ab omnibus *audiendus*, Deut. XVIII. 18. Cumque per baptismum *induamus Christum* Gal. III. 27. & efficiamur ipsius membra, ideo descensus Spiritus sancti denotat, etiam nobis per baptismum dari Spiritum sanctum, a quo *regeneramur & renovamur.* Tit. III. 5. Haec consolatio non mediocriter labefactatur, si baptismus Christi a nostro baptismo specie distinguitur.

§. LIX. *Secundo* loco Bellarminus profert testimonia patrum. *Dicta patrum. Resp.* 1.) Veteres de Iohannis baptismo nec inter se consentiunt, nec diversum sentientes damnant. Origines in cap. VI. Roman. docet, baptismum Iohannis non remisisse peccata: sed Basilius dicit, baptismum Iohannis dedisse remissionem peccatorum. Sic enim scribit in orat. Quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Evangelio Domini nostri

nostri Iesu Christi. tom. I. pag. 455. *Iohannis baptisma multis modis excelluit,* (Mosis baptisma), *nullam enim prorsus faciebat ad gratiam Dei & Christi ipsius perveniendi dilationem. Simul itaque acceserat quis & peccata sua quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Augustinus libr. V. contra Donatistas cap. 10. mediam amplectitur sententiam: *Credo Iohannem ita baptizare in aqua pœnitentiae in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa vero in Domini baptismo id fieret, sicut resurrectio, quae in fine exspectatur, spe in nobis facta est, quia simul nos excitavit, & simul sedere fecit in cœlestibus.* Item, *spe salvi facti sumus. Nam & ipse Iohannes cum dicat: Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiae in remissionem peccatorum, Dominum videns ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nec tamen hanc suam sententiam Augustinus proponit ut necessarium dogma, nec damnat, si quis diversum sentiat. Ita enim inquit cap. 11. *Ne quisquam contendat, etiam in baptismo Iohannis dimissa esse peccata, sed secundum aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus denuo jussit* Act XIX. *baptizari, per baptismum Christi remissionem esse collatam, non ago pugnaciter.* Ita etiam libr. II. contra literas Petiliani cap. 37. *Causa & ratio baptismi sive istae sit, quam exposui, sive alia melior, certiorque reddatur, illud tamen manifestum est, alium fuisse baptismum Iohannis, alium Christi.* 2.) Quando igitur patres diversitatem quandam inter baptismum Christi & Iohannis statuunt, id de externis quibusdam circumstantiis, & de donorum Spiritus sancti visibilium specie admiranda, & donorum invisibilium copia & ubertate majori, non autem de substantia & communicatione donorum communium accipiendum. Basilius libr. I. de bapt. cap. 2. & Nazianzenus orat. in sancta lumina, baptismum Iohannis statuunt *medium inter baptismum Mosaicum in veteri testamento, & inter baptismum Christi.* Iustinus in qq. & respons. ad orthodox. q. 37. pag. 322. *Baptismus Iohannis proœmium fuit evangelii gratiae.* Utique ergo alia quædam efficacia quam nuda adumbratio & significatio Iohannis baptismo tribuenda. *Sicut non sequitur,* (ait Chemnitius in examine concilii Trident. in expl. hujus quæstionis) *circumcisos non habuisse remissionem peccatorum, propterea, quia differentia est inter circumcisionem & baptismum Christi: ita multo minus baptismo Iohannis, qui propius ad novum testamentum accessit, imo qui fuit initium novi testamenti, ideo deroganda est remissio peccatorum, ut discrimen aliquod sit inter baptismum Christi & Iohannis.* 3.) Bellarminus ipse non amplectitur omnium veterum de hac quæstione sententias. Ambrosius libr. I. de Spiritu sancto cap. 3. Hieronymus in cap. II. Joelis docent, *Iohannem in suo baptismo usum forma quadam verborum, nimirum in nomine venturi Messiae,* sed Bellarminus libr. I. de baptismo cap. 22. §. *Haec expositio* dicit, *hoc non esse verum.* Idem Ambrosius dicto loco & in cap. III. Galat. disputat, *duodecim illos viros, qui negabant se scire Spiritum sanctum, non fuisse vero baptismo Iohannis baptizatos, sed adulterinum aliquod & corruptum baptisma sine nomine Spiritus sancti accepisse. Iohannes* (inquit) *in remissionem peccatorum in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine, & ideo Spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Iohannes baptizare solebat, acceperant.* Hanc sententiam itidem Bellarminus improbat. Prudentius cathemer. hymn. VII. de baptismo Iohannis ita canit, ut manifeste adpareat, remissionem peccatorum ab eo non sequestrari:

Hortator ille primus & doctor novae
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Pie vetustas lavit errorum notas.
Sed tincta postquam membra defecaverat,
Cœlo refulgens influebat Spiritus:
Hoc ex lavacro labe demta criminum
Ibant renati, non secus quam si rudis
Auri recocta vena pulcrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei
Sudum polito praenitens purgamine.

4.) Quosdam ex patribus remissionem peccatorum baptismo Iohannis tribuere in principio

cap. 21. Bellarminus agnoscit: addit autem, *intelligendum hoc esse de fide & devotione accedentium, vel etiam de contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & baptismo Iohannis, nequaquam vero baptismum Iohannis ex opere operato remissionem peccatorum contulisse.* Resp. de opere operato suo loco diximus. Virtus baptismi & fides utentis non sunt opposita, sed subordinata. Sacramenta enim non prosunt sine fide utentis: quare si homines non solum ex concionibus, sed etiam baptismo Iohannis contritionem & fidem concipere potuerunt, ut hac ratione per veram pœnitentiam consecuti fuerint remissionem peccatorum, utique remissio peccatorum & spiritualis efficacia non est baptismo Iohannis omnino deneganda.

3.) *Iohannes erat præcursor Domini, & solum ad hoc venerat, ut pararet vias ejus.*

§. LX. *Tertium* argumentum petit Bellarminus ex persona & officio Iohannis. *Erat enim Iohannes praecursor Domini, & solum ad hoc venerat, ut pararet vias ejus.* Luc. I. 17. Præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios. v. 76. Præibit ante faciem Domini parare vias ejus. Joh. I. 23. Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini. *At certe parare viam salvatori non est dare salutem & justificationem, sed disponere ad recipiendum salvatorem & salutem.* Resp. 1.) Bellarminus sibi ipsi contradicit. Nam in hoc ipso cap. 21. §. *Denique*, sic scribit: *Nemo negat, quin Iohannes efficacissime praedicaverit, & converterit plurimos ad Deum.* Atqui si Iohannes efficacissima prædicatione plurimos ad Deum convertit, utique etiam plurimis salutem dedit, ὀργανικῶς puta, perinde ut de Timotheo apostolus loquitur 1 Tim. IV. 16. *Hoc faciens, te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt.* In eodem cap. §. 1. scribit, *baptismum Iohannis potuisse remittere peccata ex devotione & fide accedentium, vel etiam contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & baptismo Iohannis.* Atqui si prædicatio & baptismus Iohannis fuit efficax ad contritionem, utique etiam efficax fuit ad justificationem & salutem. Disputat enim Bellarminus libr. II. de pœnit. cap. 12. *Contritionem esse causam remissionis peccatorum.* Cap. 14. object. 17. *Contritionem cum solo sacramento voce culpam purgare.* 2.) Quod ergo Iohannes præcursor Christi, viam ipsi parasse dicitur, id non de toto Iohannis ministerio accipiendum, quasi paraverit saltem homines ad salutem, non autem ipso actu per prædicationem & baptismum eos salvaverit, sed accipitur tantum de parte ministerii, videlicet de prædicatione pœnitentiæ, ut ostendit series textus apud Matthæum III. 2. *Venit Iohannes praedicans, agite pœnitentiam, adpropinquavit enim regnum cœlorum.* v. 3. *Hic est, de quo praedictum per Esaiam: Vox clamantis in deserto, parate viam Domino.* 3.) Jam vero non solum pœnitentiam sive contritionem docuit Iohannes, sed etiam fidem in Christum & peccatorum remissionem in evangelio promissam. Act. XIX. 4. *Iohannes baptizavit baptismo pœnitentiae, dicens populo, ut crederent in eum, qui post ipsum venturus esset, hoc est, in Christum;* unde sic argumentamur: quicunque in ministerio suo legem & evangelium proponit, ac pœnitentiam & remissionem peccatorum docet, is non solum præparat homines ad salutem, sed ipso actu eos salvat, *instrumentaliter* scilicet: Iohannes legem & evangelium in ministerio suo conjunxit, ac pœnitentiam & remissionem peccatorum docuit. Ergo ipso actu homines salvavit. *Adsumtio* constat ex sequentibus scripturæ testimoniis. Matth. III. 2. *Agite pœnitentiam*, v. 10. *jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Joh. I. 29. *Videns Christum ad se venientem dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Luc. III 8. *Facite fructus pœnitentia dignos.* In his tribus capitibus summa totius christianismi, & tota salutis ratio consistit. 4.) Frustra argumentatur Bellarminus ex verbis Zachariæ, Iohannem *dedisse tantummodo scientiam salutis*, non autem ipsam salutem. Luc. I. 77. Cum illa namque scientia salutis ipsa salus immediate est connexa; siquidem Iohannes eo modo dedit populo scientiam salutis, ut digito demonstraret Christum, in quo solo est re-

remissio peccatorum & salus, unde Zacharias addit: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, quae consistit in remissione peccatorum.* Quotquot ergo digitum Iohannis secuti verbis ejus fidem adhibuerunt, pœnitentiam agentes, in Christum credentes & baptismum suscipientes, illi non solum scientiam salutis, sed etiam ipsam salutem consecuti sunt. *Haec enim est vita aeterna, ut agnoscamus Patrem cœlestem & Christum ab ipso missum.* Joh. XVII. 3. 5.) Cæterum quod Johannes ex verbo evangelii de remissione peccatorum & salute in Christum quærenda docuit, illud etiam ceremonia baptismi obsignavit; sigillum enim prædicationis fuit baptismus. Jam vero non de corporis, sed animi sordibus fide in Christum eluendis concionatus est. Ergo etiam baptismus Johannis non externam quandam corporis lotionem, sed animarum purgationem contulit, fide scilicet a vere pœnitentibus susceptus. Ut prædicatio Johannis erat præparatio ad Christum suscipiendum, & tamen erat ipsius Christi verbum: sic baptismus ejus fuit præparatio ad Christum, & tamen vere fuit ipsius Christi baptismus.

3.) *Post baptismum Johannis necessario fuisse suscipiendum Christi baptismum.*

§. LXI. *Tertia* Bellarmini propositio haec est: *Post baptismum Johannis necessario fuisse percipiendum baptismum Christi.* Hanc cap. 22. probare conatur: 1.) *Ex verbis Johannis* Matth. III. Marc. I. Luc. III. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne; ubi fit collatio baptismi Johannis & Christi, iidemque, quos Johannes baptizaverat, dicuntur baptizandi iterum a Christo.* 2.) *Ex historia evangelii & actorum.* Nam ut legimus Marc. I. Matth. III. ac Luc. III. *Ibant ad Johannem, ut baptizarentur tota Hierusalem, omnis Judaea, & omnes regiones vicinae Jordani. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati a Johanne. At post Domini adscensionem ipso primo die pentecostes cœpit Petrus in Hierusalem praedicare necessitatem baptismi Christi;* Act. II. *& baptizati sunt eo die tria millia, deinde paulo post quinque millia &c. Igitur necesse est, ut multi a Johanne baptizati iterum ab apostolis baptizati fuerint.* 3.) *Ex loco* Act. XIX. *ubi Paulus jubet baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerant, se non habere nisi baptismum Johannis.* Resp. nos hac de re sic statuimus, multos a Johanne baptizatos, iterum a discipulis Christi baptismum suscepisse; interim non fuisse simpliciter necessarium, ut post baptismum Johannis susciperetur baptismus Christi. Prius patet ex eo, quod apostoli, cum baptizarent tria millia, Act. II. nec diu post quinque millia, non leguntur curiose & scrupulose inquisivisse, ne quis forte in illa turba lateret Johannis baptismo baptizatus, quem nefas esset, denuo una cum reliquis baptizari. Posterius patet ex eo: 1.) quod Johannes prædicaverit *baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* Marc. I. 4. Qui ergo vera fide in Christum susceperunt baptisma Johannis, remissionem peccatorum & salutem consecuti sunt, etiamsi baptismum Christi non consequerentur. 2.) Primi apostoli, qui a Johanne baptizati fuerunt, non leguntur denuo aqua baptizati. 3.) Apollo sciebat tantum baptisma Johannis, & is quidem adsumitur & diligentius instituitur in via Domini, non tamen legitur denuo aqua baptizatus. 4.) Si præcise necessarium fuisset, post baptismum Johannis suscipere baptismum Christi, sequeretur, ipsi baptistæ necessarium fuisse, cum Christus jam inchoasset ministerium, ut a discipulis Christi baptizaretur. 5.) Si absolute necessarium fuisset, post baptismum Johannis suscipere Christi baptismum, quomodo Paulus adserit, *unum esse* novi testamenti *baptisma?* Eph. IV. 5. 6.) Johannes & discipuli Christi uno eodemque tempore baptizarunt, ut colligitur ex Joh. III. 23. IV, 1. Quod si baptismus Johannis fuit tantummodo præparatio ad baptismum Christi, destituta omni spirituali efficacia, quare non continuo desiit baptizare, cum Christi baptismus inciperet? Cur non remisit homines baptizari desiderantes ad Christi discipulos?

§ LXII. Bellarminus cap. 23. sub finem regerit, *apostolos & Apollo-* *Apostoli an*

fuerint Christi baptismo tincti.

Apollona fuisse Christi baptismo baptizatos. Quamvis enim hoc scriptum non sit, tamen ex eo inferri non posse, quod non fuerit factum, alioquin negandum fore, Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses &c. baptizatos fuisse, cum itidem id nusquam exstet. De Johanne baptista dicit, *non levem esse conjecturam, quod a Christo baptizatus sit, cum dicat* Matth. III. *Ego a te debeo baptizari.* Resp. Romanos, Galatas, Ephesios &c. baptizatos fuisse, colligitur non solum ex eo, quod Paulus in epistolis ad eos scriptis baptismi mentionem facit, Rom. VI. 3. Gal. III. 27. Eph. IV. 5. sed etiam ex generali regula Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum Dei.* Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Talis autem generalis regula, quod scilicet post baptismum Johannis necessario fuerit Christi baptismus suscipiendus, nusquam exstat. Ideo est dispar ratio in adductis exemplis. Johannem baptistam a Christo ipso baptizatum esse gratis dicitur. Thomas ex apocryphis illud recitat, quem Bellarminus sequitur. *Jesus non baptizabat*, dicit Evangelista Joh. IV. 2. Verba illa: *ego a te baptizari debeo,* Nazianzenus orat. in sancta lumina & Hieronymus in cap. III. Matth. de baptismo Spiritus rectius accipiunt. Illa enim interpretatio desumta est ex ipsis verbis Johannis: *hic est, qui baptizat Spiritu sancto.* Joh. I. 33. Vide Chemnitium cap. XVII. harm. IV. evangelist.

An Act. XIX. baptizati a Johanne iterum fuerint Christi baptismo baptizari?

§. LXIII. Quod ergo ad locum Act. XIX. attinet, varie ab interpretibus illum exponi constat. 1.) Ambrosius in cap. III. ad Galat. & lib. I. de Spiritu sancto cap. 3. statuit, Ephesios illos adulterino baptismate ex κακοζηλίᾳ sub nomine baptismi Johannis, non tam tinctos, quam sordidatos, aut certe non rite baptizatos, cum ex ipsorum confessione Spiritum sanctum esse personam a Patre & Filio distinctam nesciverint, sine quo non potest esse recta fides in Christum, a Paulo autem prius edoctos & postea vera baptismi forma in nomen Christi baptizatos fuisse. Hæc explicatio confirmari posset eo, quod non simpliciter confitentur se esse baptizatos Johannis baptismo, sed εἰς Ἰωάννου βάπτισμα. Jam vero non in Johannem, sed in solum Christum verus baptismus conferri debet. Rom. VI. 3. Gal. III. 27. 1 Cor. I. 13. Item quod absque nomine Spiritus sancti se baptizaros dicunt. Hanc explicationem urget Musculus in locis p. 332. Eandem sequuntur auctores hist. eccles. cent. I. lib. 2. cap. 4. p. 354. 2.) Lombardus lib. IV. sent. dist. 2. & Alensis statuunt, illos quidem a Johanne baptizatos esse, sed spem in illo baptismo posuisse, nec fidem Trinitatis habuisse, ideoque iterum fuisse baptizandos. Reliquos autem, qui non posuerunt spem in eo baptismo, & fidem Trinitatis habuerunt, non fuisse denuo baptizatos. 3.) Ex recentioribus quidam vocabulum *baptismi* in priore parte historiæ accipiunt *proprie* pro baptismo aquæ; in posteriori autem parte accipiunt *metaphorice* pro admirandis Spiritus sancti donis per impositionem manuum in primitiva ecclesia ab apostolis conferri solitis, ut sit sensus v. 5. *Baptizati sunt in nomine Jesu*, hoc est, cum Paulus imposuisset illis manus, acceperunt peculiaria Spiritus sancti dona. Hæc explicatio confirmari posset ex eo, quod vox *baptismi* eo sensu in scripturis accipiatur: Act. I. 5. *baptizabimini Spiritu sancto* &c. Qua ratione v. 6. esset ἐπεξήγησις versus quinti præcedentis, & in verbis apostoli v. 4. esset ἔλλειψις ἢ ἀνανταπόδοτον. Addenda enim fuisset ἀντίθεσις, Christum scilicet baptizare Spiritu & igne. Nos secuti Chemnitium amplectimur simplicissimam explicationem, quæ grammaticam verborum sententiam intuetur. Possellius in syntaxi græca recte monet, quod particulæ μὲν & δὲ in oratione sese mutuo consequantur, ita ut altera vocula alteri necessario correspondeat: ex quo intelligitur, vers. 5. complere sententiam vers. 4. atque hos duos versiculos ita cohærere, ut ambo contineant sermonem Pauli de baptismo Johannis. Verba hæc sunt: *Johannes quidem baptiza-*

ptizavit baptismo pœnitentiae, dicens populo, ut crederent in eum, qui venturus esset, hoc est, in Christum Jesum. Illi vero, qui audierunt, hoc est, qui doctrinam baptistæ de Christo receperunt, *baptizati sunt in nomen Domini Jesu* (*). Ostendit apostolus modum ac rationem baptismi Johannis, nimirum, quod primo populum docuerit de Christo venturo, postea demum illos baptizaverit. Sequitur v. 6. *Et cum Paulus illis imposuisset manus, venit Spiritus sanctus super eos.* Illa jam sunt verba evangelistæ Lucæ, ubi particula καὶ respondet versui tertio & quarto. Hæc explicatio convenit cum eo, quod sub finem cap. XVIII. de Apollone, *qui tantum baptisma Iohannis noverat*, scribitur, *ipsum quidem accuratius in via Domini institutum, aqua autem non fuisse denuo baptizatum.* Et collationis gratia huc referri potest locus Act. VIII. 14. *Cum audissent apostoli, quod Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem*, v. 15. *qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum* v. 16. *Nondum enim in quemquam illorum supervenerat, sed baptizati tantum erant, in nomine Domini Jesu.* v. 17. *Tunc imponebant manus super ipsos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

§. LXIV. Huic explicationi
Exceptiones Bellarminus cap. 22. §. sexta expositio, hæc obvertit. I.) *Si verba illa: his auditis baptizati sunt &c. pertinent ad populum, cui loquebatur Iohannes, sequetur, populum illum bis baptizatum a Iohanne, aut certe Paulum rem illam non bene narrasse.* Resp. inconsequens est hæc illatio. Paulus primum in genere dicit de toto ministerio Iohannis, quod baptizaverit baptismo pœnitentiæ, hoc est, quod concionibus & baptismo ad pœnitentiam homines provocaverit: postea in specie declarat, quo ordine & modo baptismum suum administraverit; scilicet quod primum hortatus fuerit auditores, ut in Christum crederent, postea demum illos in nomen Christi baptizaverit, perinde ut apostolos Christus jubet *praedicare evangelium, & docere omnes gentes*, postea *in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizare.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. II.) *Vel duodecim illi viri sunt jussu Pauli baptizati baptismo Christi, vel non. Si sunt baptizati, est id, quod nos contendimus: si non sunt baptizati, quorsum pertinet illa narratio Pauli? certe supervacanea videtur. Non enim alia de causa Paulus monuit eos, qui baptizati erant solo baptismo Iohannis, ipsum Iohannem praedicasse Christum, nisi ut intelligerent esse necessarium praeterea Christi baptismum.* Resp. ex ipso contextu vera causa satis est manifesta. Vers. 2. quærit apostolus, an Spiritus sanctum, hoc est, visibilem Spiritus

Bellarmini.

(*) Secundum hanc expositionem verba versiculi quinti, ἀκούσαντες δὲ &c. non sunt LUCÆ, quid post sermonem Pauli Ephesi gestum fuerit, narrantis; sed PAULI, sermonem suum adhuc continuantis, atque adeo, quid adhuc in Iudæa, durante Ioannis baptistæ ministerio, factum fuerit, exponentis, verba sunt. Robur aliquod huic interpretationi exinde accedere videtur, quod *Luc. VII. 29.* dicitur, populum Ioannem baptistam *audivisse*, h. e. doctrinam eius ita excepisse, ut *baptismum susceperet.* Videntur quoque ea, quæ in textu occurrunt, stante hac expositione, rite cohærere, ita ut protasi egregie respondeat apodosis. Ut alia, quæ pro hac interpretatione IO. MARCKIUS in *exercitat. textuali XXXVII. p. 376. seqq.* in medium adduxit argumenta, haud memoremus. Primus, qui hancce expositionem adoptavit, eandemque cum orbe erudito communicavit, fuit PHIL. MARNIXIUS, ecclesiæ reformatæ doctor isque doctissimus, observante GER. Io. VOSSIO in *disp. de baptismo thes. XXXIII.* Huius vestigia non tantum THEOD. BEZA, sed & complures alii ex theologis Reformatis veluti CHAMIERIUS, SPANHEMIUS, GATAKERUS, DRUSIUS, COCCEIUS, SUICERUS, TURRETTINUS, MARCKIUS, & L'ENFANT sunt secuti. Quibus ex nostris theologis GLASSIUS, CALOVIUS, CALIXTUS, TRILLERUS, OLEARIUS, BUDDEUS, RAMBACHIUS, WOLFIUS aliique suum adiecerunt calculum.

tus ſancti effuſionem & miraculoſa ejusdem dona, quæ cum baptiſmo apoſtolorum ſolebant eſſe conjuncta, acceperint? (ita enim vox *Spiritus* accipitur Ioh. VII. 39. Act. I. 5. atque eo ſenſu hoc loco accipiendam eſſe patet ex v. 6. hujus capitis.) Cumque Epheſii ſe eo modo Spiritum ſanctum accepiſſe negarent; imo etiam ſe neſcire, an ſit Spiritus ſanctus, hoc eſt, an dentur etiam aliis credentibus talia miraculoſa Spiritus ſancti dona, diſerte profiterentur, quærendo pergit apoſtolus v. 3. εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε, *in quod ſive quare ergo baptizati eſtis*, id eſt, annon ergo baptiſmum ſuſcepiſtis ab apoſtolis? Cumque illi reſponderent, ſe in Iohannis baptiſma eſſe baptizatos, hoc eſt, a Iohanne; (ſicut phraſis illa accipitur 1 Cor. X. 2. *Omnes in Moſen baptizati ſunt*) hac occaſione apoſtolus de diſcrimine baptiſmi Iohannis & apoſtolorum diſſerit, quod ſcilicet in baptiſmo Iohannis non fuerit facta viſibilis effuſio donorum Spiritus ſancti, ſicut in baptiſmo apoſtolorum poſt Chriſti glorificationem, Joh. VII. 39. & tandem per impoſitionem manuum peculiaria illa Spiritus ſancti dona ipſis impetrat.

Exceptiones Stapletoni.

§. LXV. Stapletonus majoribus viribus hanc interpretationem adgreditur, cujus exceptiones antequam proferamus, monemus, duodecim illos viros, non niſi Iohannis baptiſmo baptizatos, vocari *diſcipulos* v. 1. *& credentes*. v. 2. Utique ergo Iohannis baptiſmus ad diſcipulos Chriſti faciendos, ac proinde ad fidem & remiſſionem peccatorum fuit efficax. Sine fide enim nemo poteſt Deo placere aut Chriſti eſſe diſcipulus. Ubi autem vera fides, ibi gratioſa Spiritus ſancti inhabitatio. 1 Cor. XII. 3. *Nemo poteſt Jeſum vocare Dominum, niſi in Spiritu ſancto.* Sic vero Stapletonus in antid. Act. apoſt. p. 534. & ſeqq. contra hanc explicationem inſurgit: I.) *Stante ea ſequeretur, Ioannem baptizaſſe in nomine Domini Jeſu.* Reſp. ita eſt. In ejus enim nomen baptizavit, quem prædicavit. Ambroſius libr. I. de Spiritu ſancto cap. 3. Hieronymus in cap. II. Joelis. Hugo de S. Victore libr. II. de ſacram. part. 6. c. 6. ex hoc ipſo loco docent, *Iohannem baptizaſſe in nomine venturi Meſſiæ* (*). II.) *Iohannes baptizavit, dicens, ut in Chriſtum venturum crederent. Ergo in ipſo nomine Chriſti non baptizavit.* Reſp. invertimus argumentum. Ut docuit Chriſtum venturum, imo tam venientem, quam præſentem digito demonſtravit: ita quoque in nomine Chriſti venturi, adeoque jam venientis & præſentis baptizavit. Quale fuit miniſterium Iohannis in docendo, tale etiam in baptizando. III.) *Non potuit Iohannes baptizare in virtute, poteſtate & inſtituto Chriſti, quia redemtio generis humani necdum peracta.* Reſp. virtus illa nequaquam reſtringenda eſt ad momentum actualis paſſionis in cruce, ſed propter infinitatem perſonæ extendit ſe ad tempus præteritum & futurum: unde agnus *ab origine mundi occiſus* dicitur, Apoc. XIII. 8. Ipſi apoſtoli ante Chriſti paſſionem baptizarunt Joh. IV. 2. quid, num & illorum baptiſmum omni ſpirituali efficacia deſtitutum fuiſſe adſerent? IV.) *Si Epheſii illi baptizati fuiſſent in nomine Jeſu, non dicerent ſe baptizatos eſſe baptiſmo Iohannis.* Reſp. ſubordinata non ſunt opponenda. Vocatur baptiſmus Iohannis, non quod Iohannes in ſuo nomine baptiſmum contulerit, ſed quia Iohannes non erat ex numero apoſtolorum Chriſti, qui tamen primus divino mandato hoc ſacramentum inchoaverat & adminiſtraverat. Diſcedit hoc loco Stapletonus a Lombardo, Alenſi, Thoma Paludano &c. qui omnes ſtatuunt, Johannem baptizaſſe in nomine venturi. V.) *Non fuiſſet neceſſarium, ut Paulus quaedam diceret ad extenuationem baptiſmi Iohannis.* Reſp. ubi vero extenuat? quin imo collaudat & adprobat, cum fuerit baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem pec-

(*) Johannes baptizavit in Chriſtum *venturum*, non ratione *incarnationis*, digito quippe monſtrabat eum, ſed ratione futuræ plenariæ per paſſionem *ſatisfactionis*. GERHARDUS.

peccatorum, licet miraculosa illa Spiritus sancti dona non contulerit, nec tantam spiritualium donorum copiam habuerit conjunctam.

Sententia Augustini de loco Act. XIX.

§. LXVI. Nec tamen dissimulamus, Augustinum & alios statuere, quod duodecim illi viri a Iohanne baptizati, aqua iterum baptizati fuerint (*), quodque in genere baptizatis a Johanne necessarium fuerit baptismum Christi suscipere: ex eo autem nondum potest firma & immota consequentia deduci, quod Iohannis baptismus fuerit plane inefficax ad remissionem peccatorum & salutem. 1.) Quia multi a Iohanne baptizati mortui fuerunt, antequam Christi baptismum suscipere possent, quos a salute æterna excluſos fuisse nequaquam dicendum. 2.) Qui circumcisi erant, illis necessarium fuit Iohannis baptisma suscipere, nihilo tamen minus circumcisio erat *sigillum justitiae fidei*, hoc est, remissionis peccatorum per fidem in venturum Messiam. Rom. IV. 11. Ut ergo ex necessitate baptismi a Iohanne suscipiendi nihil decedit spirituali efficaciæ circumcisionis: ita ex necessitate baptismi ab apostolis suscipiendi nihil decedet spirituali efficaciæ baptismi Iohannis. 3.) Sed ut illis, qui in venturum Messiam circumcisi erant, necessarium fuit, Deo per Iohannis ministerium patefacienti, Messiam in propinquo esse, fidem adhibere, & baptismum Iohannis suscipere: ita quoque baptizatis a Johanne in Chri-

(*) Eandem sententiam iam ante AVGVSTINVM, Hipponensium præsulem, adoptavit CYPRIANUS, episcopus Carthaginensis, seculo tertio clarus. Is enim *epist. LXXIII. p. 266.* sequentem in modum scribit: „ baptizatos quoque a Paulo eos, qui iam baptismo „ Ioannis baptizati fuissent, legimus in *actibus* „ *apostolorum* „. Quæ in eiusdem *epist. LXXV. p. 221.* repetuntur. Nec alia fuit mens b. LVTHERI nostri itemque PHIL. MELANCHTONIS. LUTHERUS quidem *tom. I. oper. ien. latin. p. 524.* edit. ann. *MDLVI.* disertis verbis scribit: *baptizati a Ioanne denuo baptizandi fuerunt baptismate Christi.* Quod vero ad MELANCHTONEM attinet, is ita pronunciat: *rebaptizabantur a Paulo, qui Ioannis baptismo loti erant.* Locum hunc, ex *libris eccles. Norimberg. normalibus p. 780.* desumtum, recitavit SIGISMVNDVS IAC. APINVS in peculiari schediasmate academ. *de duplici baptismo discipulorum Ephesinorum*, Altdorfi *MDCCXIX.* edito, *p. 16.* In eandem sententiam descenderunt IUSTUS MENIUS, in *der Wiederlegung der Widertæuffer*, quæ ann. *MDXXX.* in lucem publicam prodiit, nec non DESIDERIUS ERASMUS in *paraphrasi b. l.* ULR. ZWINGLIUS *oper. tom. II. p. 78, 79,* & *104.* itemque MATTH. FLACIUS Illyricus, MUSCULUS, LUCAS OSIANDER, FRANZIUS, GROTIUS, VOSSIUS, PISCATOR, HAMMONDUS, BASNAGIUS, WITSIUS, aliique, quibus ex antiquioribus ecclesiæ nostræ theologis CHEMNITIUS in *examine concilii Trident. part. II. loco 11. sect. I.* §. XI. *p. 323.* ex recentioribus vero b. WEISMANNUS in *institut. theolog. exegetico-dogmaticæ p. 854.* b. ZELTNERUS in *bibliis german. glossatis* ad *Act. XIX.* b. BENGELIUS, in *gnom.* ad *h. l.* cumprimis vero IO. HERM. BENNERUS, theologus Giessensis isque præstantissimus, in dissertat. erudita lectuque dignissima *de baptismo Ephesiorum in nomen Christi*, ann. *MDCCXXXIII.* edita, & in *notitia salutis p. 1056.* nec non CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS in *der Erklærung des neuen Testaments, part. VI. p. 323. seqq.* addi possunt. Non patitur instituti nostri brevitas, ut fundamenta, quibus hæc interpretatio innititur, hoc adducamus in medium. Exhibent ea viri laudatissimi, BENNERUS atque HEUMANNUS *locis citatis*, quibus & b. BENGELIVS noster iungi meretur. Sufficiat, paucis hoc adnotasse, eos, qui statuunt, non denegatum fuisse Christi baptismum discipulis iltis Ephesinis, qui, licet a Ioanne tincti, eundem enixe petierint, ad confirmationem fidei in Christum exaltatum, nativam Lucæ narrationem retinere, atque hanc ipsam ob rationem ab antiquissimis præstantissimisque interpretibus, quos supra laudavimus, fuisse adoptatam; cum contra altera illa sententia, quæ particulas in textu occurrentes μὲν & δὲ ad Pauli sermonem refert, atque christianos istos Ephesinos semel duntaxat baptizatos statuit, non tantum novella, sed & valde coacta sit. Addimus & hoc, si vel maxime iteratio baptismi hoc loco concedatur, minime tamen exinde colligere posse Anabaptistas, iterandum esse Christi baptismum.

Christum jamjam *venturum*, necessarium erat, Deo, per apostolorum ministerium patefacienti Messiam, jam *venisse*, & opus redemtionis perfeciisse, fidem adhibere, & baptismum apostolorum suscipere: quæ necessitas ex ordinatione divina dependeret, nequaquam vero vel circumcisionem vel baptismum Iohannis omni spirituali efficacia destitutum argueret.

Quæstiones circa causam instrumentalem baptismi.

§. LXVII. Atque hæc dicta sint de baptismo Iohannis, atque in universum de causa instrumentali sive ministro baptismi: antequam vero hinc abeamus, exponendæ sunt aliquot quæstiones.

1.) An quis se ipsum baptizare debeat?

I.) *An quis se ipsum baptizare debeat* (*)? Scholastici negant; 1.) Quia mutaretur forma verborum: *Ego baptizo te* &c. Quorum loco dicendum foret: *Ego baptizo me in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* 2.) Quia in baptismi institutione personæ duæ, videlicet baptizantis & baptizati, diserte exprimuntur: *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos.* 3.) Sicut nemo potest se ipsum generare: ita nemo debet se ipsum regenerare. Panormitanus in c. debitum de baptismo & ejus effectu. *Nemo potest se ipsum baptizare, etiam instante necessitatis articulo, quia necessitas non facit deficere solennitatem substantialem, & quia regeneratio spiritualis debet sequi naturalem, in quantum potest; ut igitur nemo potest se corporaliter, ita nec spiritualiter regenerare.* Addunt alii: 4.) quod Christus ipse a Iohanne baptizari voluerit, quodsi in ullo homine, certe in Christo, propria baptismi dispensatio locum habuisset. Pro parte *affirmante* hæc argumenta formari possunt: 1.) Abrahamus circumcidit se ipsum; Gen. XVII. 24. Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. 2.) Ubicunque substantialia baptismi haberi possunt, ibi baptismus conferendus: jam vero ministri qualitas non pertinet ad baptismi substantialia. 3.) Quemadmodum sibi ipsi cœnam sacram minister ecclesiæ distribuit, ita quoque catechumenus se ipsum baptizare poterit, cum baptismus, utpote sacramentum initiationis, magis necessarius sit, quam eucharistia. 4.) Ut ministri dicuntur *se ipsos salvare;* 1 Tim. IV. 16. ita quoque non erit absurdum, catechumenum per baptismum se ipsum regenerare; sustineret enim in hac actione duplicem personam. Argumenta priora evidenter probant, quod extra casum necessitatis nemo debeat se ipsum baptizare, an vero posteriora efficaciter demonstrent, catechumenum in casu extremæ necessitatis se ipsum baptizare posse, in medio relinquimus, cum talis casus rarissime contingat.

2.) An baptismus a non baptizato collatus sit legitimus.

§. LXVIII. II.) *An baptismus administratus ab eo, qui ipse non est baptizatus, ratus sit habendus?* Gregorius II. pontifex Romanus irritum eum pronunciat cap. Quos a paganis dist. 4. de consecrat. Nicolaus I. ratum illum habet in rescripto, quod legitur inter decreta tom. III. concil. Idem statuit Thomas part. III. q. 67. art. 5. Augustinus libr. VII. de bapt. cap. 53. & libr. II. contra epist. Parmen. cap. 13. in dubio relinquit, dicit enim, se non audere rem determinare. Pro adfirmante quæstionis parte proferimus hæc argumenta: 1.) Personæ baptizantis qualitas nihil addit vel demit integritati baptismi, modo substantialia observentur. *Baptisma est tale, qualis ille, in cujus potestate datur, non qualis ille, per cujus ministerium datur* (**). 2.) Johannes baptista aliis baptismum

(*) Nota est *Sebaptistarum* secta, a quodam fanatico Anglo, Io. SMITHIO, sub initium superioris seculi condita, quæ statuit, posse aliquem se ipsum sacro fonte initiare, sive baptizare. vid. HORNBECKII *summam controvers. libr. X. p. 740.* & KOENIGIVM in *casibus conscientiæ de baptismo, casu VI. p. 223.*

(**) Bellarminus libr. I. de sacram. bapt. cap. 7. *Res jam definita est in concilio generali, ut Augustinus*

simum contulit, cum tamen ipse baptizatus non fuerit. Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 23. existimat, Iohannem a Christo baptizatum fuisse, argumento ducto ex verbis Iohannis: *Ego a te debeo baptizari.* Sed, præterquam quod hoc incertum, unde ipse Bellarminus vocat *conjecturam*, nec satis conveniens verbis evangelistæ Joh. IV. 2. *Jesus non baptizabat*; unde veteres de baptismo Spiritus verba baptistæ recte exponunt, accedit etiam hoc, quod ex hypothesi Bellarmini Iohannes tunc demum fuisset baptizatus, cum Christum prius baptizasset, jam vero series historiæ evangelicæ ostendit, ante Christi baptismum alios a Iohanne baptizatos fuisse: in illis igitur Iohannis non baptizati baptismus fuit ratus. 3.) Thomas utitur hac ratiocinatione: Licet uti aqua quacunque: ergo ministro quocunque. 4.) Sicut verbum ab eo, qui nondum regeneratus & vere conversus est, prædicatum in aliis per Spiritus sancti gratiam & operationem est efficax: ita baptismus a non baptizato collatus judicandus est efficax & ratus.

3.) *An baptismi administratio*

§. LXIX. III.) *An baptismi administratio committenda ministro alterutrius manus usu destituto?* Aureolus libr. IV. sent. distinct. 5. quæst. 1. statuit, quod non habens manus non possit administrare baptismum: definit enim ministrum baptismi, quod *sit viator quilibet unus personaliter distinctus, potens contingere & verba proferre, intendens in habitu facere, quod facit ecclesia, vel de quo præsumitur, quod intendat.* Petrus de Palude dist. ead. disputat, quod sit verus baptismus, si quis manus usu destitutus proferret verba, & mutus aquam in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti adfunderet. Alii vero negant talem baptismum esse ratum. *Respondemus*, baptismi administrationem non esse committendam alicui alterutrius manus ministerio destituto propter ecclesiæ scandalum; interim tamen, si baptismus a tali ministro collatus fuerit, ratum esse judicandum, cum omnia substantialia fuerint observata. Ex quo etiam intelligitur, quid statuendum de eo, an plures ministri simul aliquem baptizare possint, ita ut alter aquam adfundat, alter vero verba baptismi substantialia proferat? utrumque ab uno eodemque ministro proficiscei debet, ut vere dicat: Ego te baptizo &c.

administratio committenda ministro alterutrius manus usu destituto?

CAPUT V.

DE MATERIA BAPTISMI.

Materia sive externum elementum in baptismo est aqua.

§. LXX. A causa efficiente transitum facimus ad baptismi *materiam*; externum baptismi elementum dicimus esse *aquam*; quod enim baptismus in aqua & per aquam fieri debeat, ac perinde nulli hominum liceat hoc externum elementum mutare, atque aliud quiddam substituere, confirmatum damus his argumentis: 1.) Iohannes, qui primus Dei mandato hoc sacramentum administravit, non nisi aqua baptizavit. *Ego baptizo aqua*, inquit Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Joh. I. 26. *Iohannes aqua baptizavit*, inquit Christus Act. I. 5. & Petrus Act. XI. 16. *Baptizavit in Iordane*, Matth. III. 6. &c. atque in *Enon prope Salem*, ubi

stinus cupiebat. Nam in Florentino concilio habetur, in casu necessitatis licere laico, seu viro, seu fœminæ, seu christiano seu pagano baptizare, modo adsint materia, forma & intentio debita. Et ratio idem suadet. Nam cum non requiratur in ministro baptismi fides aut probitas, aut ordinatio, ut notum est; nulla est ratio, cur non sit verum baptisma, quod a pagano aut Judæo confertur, si adsint ea, quæ necessaria sunt ad baptismi essentiam. Augustinus libr. VII. de bapt. cap. 53. aperte dicit: *si sententia ipsius quæratur, se responsurum, baptismum esse ratum a quocunque & ubicunque traditum, modo verbis evangelicis consecratum.* GERHARDUS.

ubi erant aquae multae, Joh. III. 23. ne quis scilicet cogitaret, aquas Jordanis tantummodo ad baptismum consecratas. 2.) Apostoli cum ante, tum post Christi passionem non nisi aqua baptizarunt. Act. VIII. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Act. X. 47. *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt?* 3.) Oracula scripturae, quae de externo baptismi elemento agunt, non nisi aquae mentionem faciunt. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu* &c. Eph. V. 26. *Mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo.* 4.) Τὸ βαπτίζειν proprie significat *aquae immergere* vel *aqua adspergere*, ut ostendimus superius §. 2. & 3. Reliquae significationes sunt *metaphoricae*. Jam vero in institutione sacramentorum verba proprie sunt intelligenda, ut suo loco plenius ostendemus. 5.) Baptismus vocatur *aqua & lavacrum aquae*, Joh. III. 5. Eph. V. 26. Joh. V. 6. nimirum quia externum baptismi elementum, ac visibilis ejusdem materia est aqua. 6.) Quo etiam pertinent typi vet. testamenti superius enumerati: videlicet diluvium, transitus Israelitarum per mare rubrum, lotiones leviticae, aqua expiationis, Naamanis septena in Iordane ablutio &c. Qui typi omnes ostendunt, aquam esse baptismi materiam. 7.) Christus in Jordane baptizatus Jordanis & reliquas aquas ad salutarem baptismum consecravit Matth. III. 16. &c. 8.) Ex latere Christi in cruce pendentis profluxit *sanguis & aqua*, gemina ecclesiae sacramenta, per quae Christo ecclesia colligitur, sicut ex latere Adae dormientis aedificata est Eva Gen. II. 22. Joh. XIX. 34. 9.) Inter tres testes in terris connumeratur *aqua* baptismi symbolum, 1 Joh. V. 8. 10.) Idem docent pii vetteres. Augustinus tract. XV. & LXXX. in Johan. Libr. de catech. rudibus cap. 3. Ambrosius libr. I. de initiandis cap. 4. &c (*). Ex quibus omnibus adparet, aquam esse externum hujus sacramenti elementum a Deo institutum, ab apostolis usurpatum; an vero aqua fluminum, sive maris, sive fontium, sive stagnorum usurpetur, itemque an aqua sit calida, frigida, vel tepida, nihil quidquam ad sacramenti veritatem atque integritatem interesse judicandum. Vid. Arnobium in Psalm. LXXIV. *Johannes & discipuli Christi ex fluentis quamvis obviam sumsere aquam.* Walefridus Strabo de reb. eccles. cap. 26. *Sciendum primo simpliciter, in fluviis vel fontibus baptizatos credentes.*

§. LXXI. Discedimus igitur ab omnibus, qui hanc divinae institutionis partem in baptismo mutant. 1.) *Seleuciani & Hermiani* circa annum 380. non aqua, sed igni baptizandum existimabant. Philastrius de haeresibus cap. de Seleucianis. Augustinus de haeresibus c. 59. 2.) *Pauliciani* pro elemento aquae substituebant illa verba Christi: *Ego sum aqua viva* Joh. IV. 14. 3.) *Jacobitae* circa annum 390. aquae baptismatis loco ferro candente crucis figuram frontibus imprimebant. Bernhardus Lucemb. in chronol. quo referendi sunt Indi aethiopes, Abyssini dicti, sub presbytero Iohanne, qui baptizandos charactere stellae signare consueverunt. 4.) *Manichaei* aquam ad baptismum adhiberi nolebant, propterea quod illam a malo deo conditam opinarentur. Augustinus de haeres. cap. 46. 5.) *Flagellantes* non aqua, sed sanguine proprio, eoque flagellis excusso atque expresso baptizandum esse dicebant. Trithemius in chronol. 6.) *Quidam sectatores Marci haeretici* baptizandos non ad aquam

Errores de materia baptismi.

(*) Breviter probatur aquam requiri: 1.) *ex* mandato & institutione ipsius Christi; Joh. I. 33. III. 5. 2.) *ex* omnibus locis, in quibus baptismus describitur; Eph. V. 26. Tit. III. 5 1 Joh. V. 6. 3.) *ex* notatione nominis: *baptizare* enim significat immersionem seu adspersionem in aqua; 4.) *ex* baptistae & apostolorum exemplo; Joh. I. 26. 31. III. 23. Act. VIII. 36. X. 47. 5.) *a* baptismo Christi, qui non alio elemento peractus legitur Matth. III. 16. 6.) *ex* typis vet. testamenti Gen. VI. 7. Exod. XV. 25. 7.) *ab* aquae in verbo Dei inclusione & cum nomine sacrosanctae Trinitatis conjunctione; 8.) *a* communi omnium lavacrorum materia. GERHARDUS.

aquam, sed ad liquorem ex oleo & aqua mistum deducebant, eumque capitibus illorum primum infundebant, postea opobalsamo inungebant. 7.) Illegitimus imo nullus fuit baptismus Judæi, qui per loca arida & deserta iter faciens ac in morbum lethalem incidens, *arena* in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti conspersus est circa annum Christi 141. Nicephorus libr. III. hist. cap. 37. Cedrenus fol. 206. Unde Dionysius Alexandrinus cum sua ecclesia recte decrevit, Judæum illum aqua juxta Christi institutionem baptizandum esse (*). 8.) Improbanda præpostera religio muliercularum, quæ ex fastu, huic sexui innato, *aquam rosaceam* vel alium liquorem ex herbis extractum, loco elementaris aquæ in baptismo adhibent.

An Lutherus usum lactis vel cerevisiæ in baptismo concesserit.

§. LXXII. Bellarminus libr. I. de baptism. cap. 2. *Lutherum* graviter adcusat, quod in colloquiis convivalibus interrogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte vel cerevisia, primum quidem responderit, *id divino judicio committendum*, deinde vero subjunxerit: *quidquid balnei nomine adpellari potest, illud esse aquam ad baptizandum sive sit vinum, sive lac, sive cerevisia* (**). Resp. 1.) Liber ille convivalium colloquiorum talis est, qui Luthero nec visus, nec lectus, nec adprobatus. 2.) Contrarium habet Lutherus in concionibus de baptismo Dessaviæ habitis concione 2. tom. VII. Jenensi germ. p. 469. *Esto* (inquit) *persona sit impia & incredula, dummodo institutionem Christi inviolatam servet, & non vino* (***), *cerevisia, lixivio vel alia quapiam re, sed aqua cum adjuncto verbo Dei utatur, tunc est & vocatur sacrum baptisma.* 3.) Notæ esse debebant Bellarmino Scholasticorum aliorumque pontificiorum scriptorum disputationes. Guido de monte Rocherii in manipul. curatorum de baptismo cap. 2. *In lixivio, si aqua inveniri non possit, posset fieri baptismus, cum lixivium nihil aliud sit, quam aqua colata per cineres. Et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in urina propter defectum aquae posset baptizari, quod non credo verum, quia urina non est aqua, sed humor resolutus a cibis comestis. Nonne in jure carnium fieri posset baptismus, ubi alia aqua inveniri non potest? Dicendum quod aut tanta resolutio carnium est facta in illo jure, quod desiit esse species aquae, & est alia species de novo generata, & tunc non potest fieri baptismus; aut non est ibi tanta resolutio carnium facta, & tunc fieri potest, & in tali jure baptizari. Quando autem talis resolutio fit facta, quando non potest perpendi ex spissitudine; si enim fit tanta spissitudo juris, quanta est in carne vel aliquantulum minor, non credo, quod illo jure posset baptizari. Idem dico de luto, si scilicet aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expressa posset fieri baptismus.* Eodem modo Richardus libr. IV. sent. dist. 3. art. 3. quæst. 3. concludit, quod *in aqua paludosa fieri possit bapti-*

(*) Narrat hancce historiam IOANNES MOSCHUS cognomento EVIRATUS, in *prato spirituali, cap. CLXXVI. toto tom. III. bibliothecæ patrum magnæ f. 1133.* Conf. *centurias Magdeburg. cent. II. cap. VI. f. 82.* & IO. ANDR. SCHMIDII differt. *de baptismo per arenam*, quæ Helmstadii ann. *MDCXCVII.* in lucem publicam prodiit.

(**) Paucis hoc occasione notamus, in collectionibus iuris Canonici exstare decretum sub nomine SIRICII, pontificis Romani, quo adseritur, *presbytero, qui in vino baptizet ex necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nullam culpam adscribi* posse. Aft ANTON. AUGUSTINUS *de emendat. Gratiani p. 200.* & STEPH. BALUZIVS in *notis p. 431.* observarunt, decretum istud non SIRICIO, sed STEPHANO II. qui seculo demum octavo floruit, adscribendum esse. Legenda, quæ HARDVINUS, Iesuita Gallus, in differt. *de baptismo in vino*, eiusdem *operibus select. f. 223.* inserta, hac de re copiose differuit.

(***) Sandæus quoque Iesuita Herbipolens. in themate seculari de secta protest., deserenda thes. 110. dicit, *Lutherum in libr. de capt. Babylon. docere, quidquid dici potest balneum, id esse idoneum ad baptismum.* GERHARDUS.

ptismus. Toletus libr. II. de casibus conscientiæ cap. 18. *Potest esse baptismus in hxivio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio, ut aqua non sit. Potest etiam esse aqua expressa a luto, si qua exprimatur, licet sit cum terra: Similiter in aqua sulphurea.* Idem statuit Gregorius de Valent. tom. IV. disput. 4. quæst. 1. 4.) Notum etiam esse debebat Bellarmino, quod Volaterranus lib. VII. geograph. scribit, Innocentium VIII. permisisse usum alterius liquoris in cœna pro vino in Norvegiis, ubi vinum non provenit, nec diu conservari potest.

Bezæ sententia de quovis liquore explodituri.

§. LXXIII. Huc referendum, quod Beza epist. II. ad Thom. Tilium in operibus vol. III. pag. 196. scribit: *Desit aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum aedificatione non possit: ego certe quovis alio liquore non minus rite quam aqua baptizarim* (*). Resp. 1.) Argumenta superius adducta evidenter probant, aquam, non autem alium quemvis liquorem esse externum hujus sacramenti elementum; sacramenta in substantialibus non sunt mutanda. Jam vero aqua pertinet ad ipsam baptismi substantiam, quippe cum sit ejus materia ab ipso Deo instituta & ordinata &c. Quidquid non constat verbo mandati & promissionis, non est sacramentum vel pars sacramenti. Atqui nullus liquor, præter solam aquam, habet verbum mandati & promissionis. Ergo (**). Quod Christus in suo baptismo non consecravit, non potest esse lavacrum regenerationis. Atqui solam aquam Christus in baptismo suo consecravit. Ergo. Fides & verbum habeant se *correlate*, Substituere liquorem alium in aquæ locum destituitur omni Dei verbo. Ergo non fit ex fide. 2.) Baptizatus alio liquore perpetuis diaboli tentationibus exponetur; semper enim dubitabit, an rite sit baptizatus, cum aqua tanquam *essentialis* pars abfuerit. 3.) Opponimus igitur Bezæ complicum suorum saniores sententias. Calvinus lib. IV. instit. cap. 15. §. 16. *Nihil hic est vel sanctius, vel melius, vel tutius, quam unius Christi auctoritate nos esse contentos.* Zacharias Ursinus part. I. oper. theol. fol. 345. in disp. de sacr. in genere thesi 24. edit. anno 1587. *Signo mutato, vel in alium usum converso, vel pacto non observato sponsoris consensus amittitur, sine quo nihil confirmat arrhabo vel signum, ut si sponsus det annulum, non proderit sponsae suppositum monile vel nummus, non agnoscet enim hunc arrhabonem, qui dederat annulum.* Bucanus de baptismo loco XLVII. pag. 626, *Materia externa baptismi est aqua vera, pura; munda & naturalis, & sine discrimine simplex, vulgaris & obvia, non mixta, non medicata, non facta, non stillatitia, nec alius liquor simplex & vulgaris, non oleum, non sanguis, non ignis, non sabulum, aut aliud quodvis elementum.* Beza ipse part. II. resp. ad act. colloq. Mompelg. pag. 41. & 42. edit. Genev. anno 1588. statuit, *baptismum & sanguinem proprie esse partes essentiales baptismi.* Atqui sublata parte essentiali, non potest salva manere totius essentia.

Argumentum pro opinione Bezæ.

§. LXXIV. Posset autem pro opinione Bezæ de quovis liquore in casu necessitatis adhibendo adferri hoc, quod *in casu necessitatis*

(*) Bezæ opinionem adprobat Anton. Sadeel volum. oper. theol. 429. GERHARDUS.

(**) *Essentiale*, quod ad rei essentiam constituendam requiritur, sine mutatione essentiæ mutari nequit. At aqua est pars essentialis baptismi, quod concedit Treicatius iustit. pag. 189. ubi præter aquæ elementum rem aliam substantialem non admittit. Bellarminus lib. I. de bapt. cap. 2. pag. 215. *nullum liquorem esse materiam baptismi, qui non sit vera & naturalis aqua*; & Cotterus in augmento enchirid. pag. 57. *ejus materiam non esse quemvis liquorem, sed aquam naturalem*, adferunt. Et si licet baptizare alio liquore, licebit adorandum nomen Trinitatis elemento in verbo Dei non expresso nec mandato adnectere. Consequens absurdum, quia nomen Dei non est adsumendum in vanum. Exod. XX. 7. GERHARDUS.

tis esset dispositio de ministro ecclesiae ordinario baptismi collatore. Resp. est dispar ratio in illis, quæ ut paria hoc loco conferuntur. Ministri baptizantis qualitas non est pars essentialis baptismi; cum causa efficiens, præsertim ministerialis, nunquam ingrediatur rei essentiam, sed aqua est materia, ac proinde pars baptismi essentialis: ergo in casu necessitatis alius quam ordinarius ecclesiæ minister ad baptizandi ministerium adhiberi poterit, nequaquam vero alius liquor in aquæ locum substitui. Deinde quod laici in casu extremæ necessitatis admittuntur ad baptizandum, in eo nihil agitur contra expressam baptismi institutionem, quin potius nititur id exemplis non contemnendis; sed mutatio aquæ in alium quemvis liquorem ipsi institutioni hujus sacramenti repugnat.

Consecratio aquæ Pontificia.

§. LXXV. Pontificii aquam in baptismo adhibendam in vigilia Paschatos & Pentecostes certis ritibus & exorcismis prius consecrant, quam postea vocant benedictam. Catech. Rom. p. 308. *Aqua, qua ad baptismum utimur, prius paranda & addito mystice benedictionis oleo consecranda est, idque non nisi in vigiliis Paschae & Pentecostes fieri debet.* Resp. 1.) Consecratio illa aquæ destituitur verbo Dei. 2.) Caret exemplo Johannis & apostolorum, qui obviam quamvis aquam baptismati adhibuerunt. Justinus apol. II. pro christ. pag. 73. *credentes catechumenos eo adduci* ait, *ubi est aqua, qua loti regenerantur:* ex quo constat, simplicem & communem aquam ad baptizandum olim fuisse adhibitam. 3.) Derogat elemento aquæ, quæ per se est bona Dei creatura, nullis indigens exorcismis, quin etiam per institutionem Christi baptismo consecrata, in ipso Christi baptismo sanctificata: imo in actu ipso baptizandi per verbum Dei, per preces & Spiritum sanctum fit aqua salutaris abluendis criminibus apta. Augustinus serm. XXXVII. de temp. *Omnes aquae a Christo in Jordane consecratae sunt.* 4.) Consecrationem illam aquæ Pontificii non habent pro ritu adiaphoro, sed necessaria divini cultus parte. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 3. concedit, *quod non de necessitate, sed de congruo requiratur, ut aqua baptismatis sit prius sanctificata a presbytero;* interim tamen addit, *sacerdotem baptizantem in aqua non sanctificata extra necessitatis casum peccare mortaliter. Baptismus debet fieri cum chrismate illius anni, aliter punitur sacerdos, si contra fecerit nisi in necessitate.* cap. Si quis de alio. dist. 4. de consecr. Ita quoque Toletus lib. II. de casib. consc. c. 18. *peccat mortaliter, qui in aqua non benedicta baptizat.*

Quæstiones circa materiam baptismi.

1.) Quare Deus in aqua baptismum fieri voluerit.

§. LXXVI. Quæritur hoc loco: I.) *Quare Deus in aqua baptismum fieri voluerit.* Resp. Quamvis rationes divinorum consiliorum nobis non semper constent, cum Deus sit mirabilis in operibus suis, non tamen absurde dicitur, placuisse Deo ad sacratissimum baptismi sacramentum aquam adhiberi. 1.) Propter vaticiniorum ac typorum vet. test. veritatem. 2.) Propter summam hujus sacramenti necessitatem, ut scilicet ubivis materia baptismi esset obvia, nec propter defectum homines periculum salutis incurrerent. 3.) Propter aquæ naturalis proprietatem. Sicut aqua sordes corporis abluit, sic baptismus abluit sordes mentis. Ezech. XXXVI. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* 1 Petr. III. 21. *Baptisma non est depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum.* Ambrosius in cap. VI. ad Rom. *Ideo per aquam celebratur baptismus, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos & innovatos credamus, ut, quod incorporale est, invisibiliter abluatur.* Ut aqua humum fœcundari & rigari oportet ad fructificandum: sic per aquam baptismi datur Spiritus sanctus, per quem ad omnis generis opera bona frugiferi reddimur. Ut aqua sitim corporis sedat: sic æstus iræ divinæ in corde peccatoris gratia baptismi restinguitur & refrigeratur. Hieronymus epist. LXXXIII. ad Oceau. *Aqua refrigerat; sic baptismus prae-*

ſiat refrigerium contra concupiſcentiae ardorem. Rom. VI. 6. *vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.* Aqua exſtinguit ignem, ſic baptiſmus exſtinguit ignem infernalem, Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Algerius lib. III. de euch. c. 4. *Quia aqua exſtinguit, mundat & candidat prae caeteris liquoribus, ideo etiam in baptiſmate carnis incentivam reſtinguit, peccatorum tam originalis, quam actualium labem abluit, & innocentiae candorem reducit.* Anshelmus in cap. III. Matth. *Quaeritur, quare in aqua fieri voluit remiſſionis ſacramentum? ſcilicet ut flammeum gladium, ſcilicet ignem gehennalem nobis exſtingueret, quia aqua contrarium eſt elementum igni.* Aqua ſubmergit; ſic baptiſmus omnem poteſtatem diabolicam & carnem peccatricem ſubmergit. Aqua eſt corpus diaphanum & transparens, luminis ſuſceptivum: ſic baptiſmus lumen fidei praeſtat, unde φωτισμὸς a veteribus dicitur. Aqua eſt argumentum & indicium benedictionis divinae: Lev. XXVI. 4. *Benedicam vobis, & dabo vobis pluviam in tempore opportuno:* ſic lavacrum baptiſmi eſt benedictionis ſpiritualis medium. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 15. *Cum duo ſcopi in baptiſmo propoſiti ſint, abolere ſcilicet corpus peccati, ut non amplius morti fructum ferat, & vivere Spiritu, fructumque habere in ſanctificatione; aqua quidem mortis imaginem exhibet, velut in ſepulchro corpus excipiens: Spiritus autem vivificam vim immittit, a morte peccati ad vitam ab initio animas noſtras renovans, hoc igitur eſt ex ſupernis natum eſſe, ex aqua & Spiritu: nimirum dum mortificatio noſtra perficitur in aqua, & vitam noſtram operatur Spiritus.* Panorm. in cap. Non ut adponens de bapt. *Aqua eſt igni contraria, peccatum autem comparatur igni.* 4.) Propter Spiritus ſancti, aquis in prima creatione incubantis, majeſtatem. Quemadmodum enim Spiritus ſanctus in prima univerſi creatione *aquis incubabat*, eaſdemque frugiferas faciebat; Gen. I. 3. ita quoque placuit Deo ad regenerationem, quae eſt ἀνάκτισις, ſecunda creatio, aquam adhiberi, quae virtute Spiritus ſancti eſt efficax regenerationis & renovationis medium. Damaſcenus lib. II. orthod. fidei cap. 9. πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν, ἐπειδὴ ἤμελλε διὰ ὕδατος καὶ τὸ ἐπ' ἀρχῆς ἐπιφερόμενον τοῖς ὕδασιν ἁγίου πνεύματος ἀνακαινίζειν τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο γὰρ ὁ θεῖος ἔφη βασίλειος. Rabanus lib. V. de ſerm. propr. cap. 11. *Voluit Deus, ut res ſeu gratia hujus ſacramenti inviſibilis per convenientiam, per contrectabile & viſibile impenderetur elementum, ſuper quod etiam in principio ferebatur Spiritus.* Aqua principium fuit reliquarum rerum creatarum, unde dicitur: ὠκεανὸς γένεσις πάντεσσι τέτυκται: ſic baptiſmi aqua eſt regenerationis principium.

§. LXXVII. II.) *An aqua paludoſa, cocta, ſulphurea &c. in baptiſmo ſit utendum?* Reſp. Johannes & Chriſti diſcipuli e fluentis limpidam ſumſerunt aquam, unde merito liquores putidos, lutoſos, ſulphureos &c. improbamus. Hebr. X. 22. *Abluti corda aqua munda.* Angelus de Claviſio in ſumma tit. baptiſmus cap. 3. quæſt. 3. *Ad cognoſcendam aquam ſacramento iſti debitam attendi debet primo origo; & ſic ſaliva, urina &c. non ſunt materia debita: ſecundo ad ſpeciem aquae, hoc eſt, ut ſit liquida, non condenſata, & ſic glacies, nix, lutum non eſt debita materia: tertio ut ſapor alterius cujusdam liquoris non tollat aquae virtutem, & ſic aqua vino mixta non eſt materia debita: quarto ut poſſit lavare, & ſic aqua in linteo vel lana non eſt materia debita, niſi exprimatur: quinto ut ſit aqua materialis, non artificialis, & ſic aqua roſea, aqua ſupernatans emiſſo ſanguini, aquae chymiſtarum, &c. non eſt debita materia.*

2.) *An aqua paludoſa, cocta, ſulphurea?*

§. LXXVIII. III.) *Quare Johannes in fluvio Jordanis potiſſimum baptizaverit?* Reſp. factum id propter typos. Aqua enim Jordanis Naamani lepram abluit, 2 Reg. V. ſic baptiſmus a peccati lepra mundat. Per Jordanis fluvium Iſraelitæ terram promiſſionis ingreſſi ſunt, *ſic bapti-*

3.) *Quare Johannes in fluvio Jordanis potiſſimum baptizaverit?*

baptismus nos salvat, 1 Petr. III 21. & ad promissam regni cœlestis hæreditatem traducit. In Jordane Deus incepit Josuam exaltare: Jos. III. 7. sic cœlestis PaterFilium suum Jesum Christum apud idem flumen publice manifestare & exaltare in baptismo voluit. Jordanis flumen regionem Israelitarum a regione gentilium dividit: sic baptismus christianos ab infidelibus secernit.

Quid de facto Constantini statuendum, qui in Jordane baptizari voluit?

§. LXXIX. IV.) *Quid statuendum de eo, quod Constantinus magnus in Jordane fluvio, ubi servator baptizatus esset, baptizari voluit, ideoque ad finem usque vitæ ad annum aetatis 65. baptismum suum distulit?* ita namque Eusebius lib. IV. de vita Constant. cap. 61. *Ut ei* (Constantino) *in mentem venit extremus ejus vitae dies, existimaretque hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, quae quoniam mortalis erat, admiserat, crederetque arcanorum mysteriorum efficacia & salutaris lavacri initiatione mentem expiari, haec, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus & in ipsa martyrum aede* (Helenopoli) *errata sua confessus supplicem se Deo offerebat: ubi primum manuum per precationem impositione dignus habitus est, inde discedens ad suburbana Nicomediae civitatis pervenit, & convocatis episcopis, ita fere ad eos locutus est.* cap. 62. *Quam ego fratres avida mente omnibusque votis a Deo salutem multis hisce annis deprecatus sum; eam nunc hodiernus dies a me vehementer exspectatus adtulit. Tempus igitur est, ut tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscemur, perfruamur. Quod ego etsi in illius Jordani gurgitibus, in quibus servator noster ad nostrum exemplum lavatus esse memoratur, facere constitueram, tamen Deus, quod mihi maxime adcommodatum esset, cernens, hoc in loco eisdem mysteriis dignatur: omnis igitur amoveatur disputatio &c.* Theodoretus lib. I. hist. eccl. c. 31. Evagrius lib. III. hist. c. 41. *Constantinus in ipso aetatis extremo tempore Nicomediae baptismi lavacro tinctus, illudque ad id temporis propterea distulit, quod magnopere cupiebat in Iordane fluvio baptizari.* Huc pertinet, quod Eusebius de locis Hebr. interprete Hieronymo refert, *multos in Bethabara trans Iordanem, ubi Iohannes baptizabat, baptizari voluisse.* Resp. Christus non solum Iordanis, sed omnes omnino aquas ad baptismum salutarem consecravit: ideo Iohannes non solum in Iordane, sed etiam *in Enon prope Salem* baptizavit, Joh. III. 23. & apostoli quavis aqua obvia in baptismo usi sunt; Act. VIII. 38. nequaquam vero baptizandos ad Iordanem deduxerunt, unde etiam mirabili Dei providentia factum, ut Constantinus morbo urgente desiderium illud suum explere non potuerit. Tertullianus lib. de baptis. *Neque quidquam refert inter eos, quos Iohannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.*

Aqua baptismi est verbo Dei comprehensa

§. LXXX. Quamvis vero externa & visibilis baptismi materia sit aqua, quæ suam substantiam ac proprietates naturales in baptismo ac post baptismum retinet, tamen aqua baptismi non est simpliciter aqua, sed est aqua mandato Dei comprehensa & verbo Dei conjuncta: unde efficitur salutaris aqua vitæ, & lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu sancto. Eph. V. 26. dicitur *lavacrum aquae in verbo.* Augustinus tr. LXXX. in Joh. *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum.* Hugo de sacram. p. 6. c. 2. *baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* Lutherus in catech. min. *baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua mandato Dei septa & verbo Dei conjuncta.* In catech. majori: *Iterum atque iterum repetens moneo, ne haec duo, verbum & aquam, ullo modo disjungi ac divelli patiamur. Separato enim verbo, inde non alia est aqua atque illa, qua in culina utimur &c. sed conjuncto verbo, sicut Christus ordinavit & instituit, tum sacramentum est, ac Christi baptismus dicitur.* In art. Smalc. cap. 5. *Baptismus nihil aliud est, quam verbum Dei cum mersione in aquam secundum ipsius institutionem & mandatum, sive, ut Paulus inquit, lavacrum aquae in verbo.* Tam igitur ad partes essentiales baptismi requiritur verbum, quam aqua, quippe quod aquæ tribuit

vim sacramentalem regenerandi, renovandi ac salvandi, sine quo aqua esset ac maneret simpliciter aqua, neque vim illam cœlestem obtineret. Verbum illud in sacramento baptismi spectatum distribuitur in tres classes. Est enim 1.) verbum *mandati* de administrando baptismo: 2.) verbum *ordinationis divinae* de baptismo administrando in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: 3.) verbum *promissionis* de fructu & efficacia baptismi. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* (*). Cum autem verbum mandati pertineat ad causam efficientem, verbum promissionis ad finem & effectum, reliquum erit, verbum ordinationis divinæ proprie esse partem essentialem, quæ una cum aqua hoc salutare sacramentum constituit.

Verus sensus verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.

§. LXXXI. Adcurate igitur considerandæ sunt verba institutionis divinæ, quæ proponuntur Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*; ex quibus adparet, vi hujus mandati & institutionis divinæ nomen Patris, Filii & Spiritus sancti super baptizatum invocari & in baptismo aquæ conjungi. Quando igitur minister baptizans dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, eo sensu hæc verba sunt accipienda. 1.) Quod baptismus non sit *ceremonia* quædam ab hominibus excogitata, sed *ordinatio* veri *Dei*, & sanctum sacramentum divinitus institutum, ab eo scilicet, qui est unus in essentia (unde non dicit in *nominibus* tanquam multis, sed in *nomine* tanquam unius veri Dei) ac trinus in personis, quæ distincte exprimuntur, quod sint Pater, Filius & Spiritus sanctus. 2.) Quod hoc sacramentum non administret privato arbitrio, sed *loco Dei*, cujus est minister & mysteriorum dispensator: quando ergo minister baptizat, eo loco habendum est, ac si Deus ipse baptizasset. 2 Cor. II. 10. *Si quid condonavi, propter vos condonavi in persona Christi.* 2 Cor. V. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* 3.) Quod super hanc baptismi aquam invocetur nomen Patris, Filii & Spiritus sancti unius veri Dei, ut in hac actione a se mandata juxta promissionem suam adsit, & baptizatum in gratiam recipiat. 4.) Quod baptismi aqua non amplius sit nude & simpliciter aqua, sed talis aqua, per quam tota sacrosancta Trinitas velit in salutem baptizati esse efficax, adeoque per quam in hac ipsa baptizandi actione efficaciter juxta promissionem suam operetur. *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*, id est, ego testificor, quod per hoc sacramentum in fœdus Dei recipiaris, quod Pater acceptet te in filium, quod Filius abluat te a peccatis suo sanguine, ac veste justitiæ te induat, quod Spiritus sanctus te regeneret ac renovet ad vitam æternam, ut hac ratione in posterum sis filius Dei Patris, frater Christi & habitaculum Spiritus sancti. Pater nominatur ut causa largiens: Filius ut causa promerens: Spiritus sanctus ut causa obsignans. 5.) Quod baptizatus in fœdus Dei per hoc sacramentum receptus hac ratione obligetur, ut unum illum verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ex verbo suo agnoscat, invocet & colat, ipsique unice serviat, ac sub vexillo Christi contra satanam & omnia ejus organa atque opera militet.

Paraphrasis exegetica illorum verborum.

§. LXXXII. Hæc omnia ut breviter complectamur, dicimus, hunc esse verborum baptismi sensum: Ego minister verbi non meo nomine aut privato ausu vel arbitrio, sed mandato, auctoritate

(*) Lutherus tom. VI. Jen. germ. p. 281. b. *die Tauff ist Wasser und GOttes Wort, beyde aus seinem Befehl geordnet und gegeben. Denn also hat er befohlen, daß man soll die Creatur (nemlich Wasser) darzu nehmen, und die Wort in seinem Nahmen sprechen. Darumb wenn diß beydes also aus seinem Befehl geschicht, so heißt es und ist ungezweiffelt eine Rahm Tauffe, also daß diese drey Stücke immediate bey einander bleiben und keines ohne das ander sey, als zusammen verbunden, wie eine Ketten, ja zusammen verbleibt, wie ein Glied im andern.* GERHARDUS.

tate, institutione atque ordinatione, adeoque nomine & loco Christi, summi ecclesiæ pontificis, mediatoris & salvatoris nostri unici baptizo te, hoc est, aqua verbo Dei sanctificata te perfundo in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, hoc est, mandato & invocatione veri Dei, unius in essentia ac trini in personis, videlicet Patris, Filii & Spiritus sancti, illum oro, ut in gratiam te recipiat, peccata tibi remittat, & salutem æternam conferat, ac vere testificor, te in gratiam a Deo Patre recipi, sanguine Filii mediatoris a peccatis ablui, & Spiritu sancto ad vitam æternam te regenerante ac renovante obsignari; ac scias te εἰς ὄνομα *in nomen* unius illius veri Dei baptizari, id est, obligari ad illius agnitionem, invocationem ac cultum &c. Hanc esse vim hujus phraseos, in *nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti* baptizari, patet ex sequentibus scripturæ locis: Exod. V. 23. *Moses loquebatur in nomine Dei ad Pharaonem.* Deut. XVIII. 7. *Levitae serviunt in nomine Dei.* v. 20. *quando propheta praesumserit loqui in meo nomine, quod non praecepi ei.* 1 Sam. XVII. 45. *Venio ad te in nomine Dei Zebaoth.* 2 Sam. VI. 18. *David benedicebat populo in nomine Dei.* 1 Reg. XVIII. 32. *Elias exstruit altare in nomine Dei.* Matth. XVIII. 20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo.* Marc. IX. 39. *in Christi nomine virtutes facere.* Joh. XVI. 23. *Quidquid rogaveritis Patrem in nomine meo.* Ex his & similibus locis adparet, in nomine Dei aliquid loqui vel agere idem esse, quod mandato Dei, loco Dei, in vera invocatione Dei, virtute Dei, in vera erga Deum fiducia, ad gloriam Dei &c. aliquid loqui vel agere. Lutherus tom. II. lat. fol. 286. a. *Cum dicit:* (minister) *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, Amen, non dicit, ego baptizo te in nomine meo, quasi dicat, id quod facio, non mea auctoritate, sed vice & nomine Dei facio, ut non aliter habeas, quam si ipse Deus visibiliter faceret. Auctor & minister diversi sunt, sed opus idem utriusque imo solius auctoris per ministerium meum. Sic enim ego arbitror, in nomine referre personam auctoris, ut non tantum sit nomen Domini praetendere & invocare in opere, sed ipsum opus tanquam alienum alterius nomine & vice implere.*

§. LXXXIII. *Deinde* cum nomen Dei nihil aliud sit quam ipse Deus; Psalm. XLVIII. 11. *Secundum nomen tuum Deus, sic laus tua usque ad fines terrae.* 2 Paral. XIV. 11. *Tibi confidimus, & in nomine tuo venimus contra multitudinem istam;* & vero nomen Patris, Filii & Spiritus sancti juxta Christi institutionem cum aqua baptismi conjungatur, inde consequitur, totam sacrosanctam Trinitatem in baptismo gratia sua præsentem & per aquam baptismi ad salutem hominum efficacem esse, ut sit talis verborum institutionis sensus: *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, hoc est, quando vi hujus institutionis & mandati juxta formam præscriptam baptismum administratis, non est nuda quædam externa ceremonia, lavacrum aliquod externum, sed præsentia gratiæ adest huic actioni Deus Pater, adest Deus Filius, adest Deus Spiritus sanctus. Neque hæc est otiosa præsentia, sed Deus Pater per baptismum recipit baptizatum in gratiam propter me constitutum generis humani mediatorem ac redemtorem: ego Filius abluo ipsum a peccatis meo sanguine, ipsique dono justitiam meam, participem eum facio meorum beneficiorum &c. Spiritus sanctus baptizatum regenerat ac renovat, quin & promissionem cœlestis hæreditatis in ipsius corde obsignat. Lutherus tom. VI. Jenensi germ. fol. 282. 283. *Deus suum nomen ipsi aquae adjunxit, ut jam nomen Dei cum aqua baptismi sit plane unum inseparabiliter mixtum, possitque aqua deificata aut divina vocari.* Ergo pars baptismi substantialis altera est nomen totius venerandæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, hoc est, ipsa infinita majestas, ineffabilis sanctitas, inenarrabilis bonitas, admiranda virtus, & gratia totius sacrosanctæ Trinitatis, quæ cum omni virtute sua & beneficiis gratiæ per aquam verbo unitam & sanctificatam efficax est.

Tota sacrosancta Trinitas in baptismo gratia sua præsens est.

Spiritus sanctus in, cum & per aquam baptismi efficaciter agit.

§. LXXXIV. *Tertio*, cum Spiritus sanctus sit tertia Trinitatis persona, cumque baptismus non solum in Patris ac Filii, sed etiam Spiritus sancti nomine conferatur, inde sequitur, Spiritum sanctum *in, cum & per aquam baptismi* efficaciter agere, fidem, regenerationem & renovationem in illis, qui Deo non reluctantur, operari ac fœdus gratiæ in cordibus baptizatorum obsignare. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare regnum cælorum.* (Spiritus sanctus nominatur solus, quippe cui regenerationis opus peculiariter tribui solet: is baptismi aquam salutare regenerationis medium efficit, non tamen excluduntur personæ reliquæ, cum opera Trinitatis *ad extra* sint indivisa, servato tamen ordine & discrimine personarum.) 2 Cor. I. 21. *Deus est, qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos*, v. 22. *qui & obsignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Eph. I. 13. IV. 30. *Obsignati estis credentes Spiritu promissionis sancto.* Sicut Spiritus sanctus supernaturaliter & singulariter conjunctus erat cum columba, in qua descendebat super Christum in baptismo; Matth. III. Marc. I. Luc. III. Joh. I. ita adhuc hodie cum aqua baptismi supernaturaliter & singulariter conjungitur. Sicut cum flatu discipulis dabatur Spiritus sanctus, Joh. XX. 22. ita per baptismi aquam donatur hominibus. Sicut aqua ab igne calefacta itidem ut ignis calefacit: ita quoque aqua virtute Spiritus sancti *sacramentaliter* & vere sibi conjuncta regenerat. Cyprianus de baptismo Christi: *Spiritus sanctus invisibiliter manum totius bonitatis adponit, & plenitudinem gratiae divinae unctionis pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti consummat ac perficit.* Concilium Nicænum in can. de baptismo: *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est; aquam vides, sed tamen considera Dei potentiam, quae latet occulta in aquis: nos enim Spiritu sancto & igne baptizari, sacra testantur eloquia.* Nazianzenus orat. XL. in bapt. p. 641. δίπτων ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως διπτὰ καὶ καθαρσις, διὰ ὕδατός τε φημὶ καὶ πνεύματος, τὰ μὲν θεωρητικῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανόμενα, τὰ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος, καὶ τὰ μὲν τυπικὰ, τὰ δὲ ἀληθινὰ καὶ τὰ βάθη καθαίροντος. Ambrosius libr. I. de sacram. cap. 5. tom. 4. pag. 430. *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est, non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit.* Idem tom. V. in cap. III. Luc. *Aqua corpus abluitur, Spiritu animae delicta mundantur.* Basilius in Psalm. XXII. *Cum istud elementum aquae acceperit Spiritum sanctum, fit sacramentum, & jam non erit aqua potationis, sed sanctificationis.* Augustinus epist. XXIII. ad Bonifacium: *Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae regenerat hominem in uno Christo ex uno Adam generatum.* Idem libr. qq. ex nov. test. cap. 59. *Sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit a peccatis.* Inde dulcissimi versus Paulini epist. XII. ad Serenum:

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab aeterno semine progeniem.

Itemque alii recentioris cujusdam poetæ christiani:

Flamma, liquor, verbum coëunt hic fœdere in uno,
Inde sacro virtus tanta subest latici.

Haymo in cap. VI. Rom. *In baptismate tria sunt corporalia & visibilia, & tria incorporalia atque invisibilia. Visibilia, ut sacerdos, corpus baptizandum & aqua. Tria invisibilia, fides, & anima, quae abluitur a peccatis, & Spiritus, quo*

quo cooperante remissio peccatorum datur. Joh. Ferus in cap. III. Joh. *Sicut in generatione carnali pater & mater, sic in spirituali Deus Pater, ecclesia autem mater: & Deus quidem Spiritum dat, ecclesia vero aquam.* Et postea: *Quemadmodum aqua viribus ignis intensius calefacta non aliter quam ignis urit: sic hic aqua Spiritus sancti operatione, quam sibi adjunctam habet, in divinam reformatur virtutem, qua baptizati corpus abstergit.* Chrysostomus hom. XXXV. in cap. V. Joh. *Quemadmodum hujus vitae natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed duntaxat cum ab angelo movebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cum Spiritus gratiam accipit, omnia peccata abluit* (*).

Qua ratione Spiritus sanctus adsit in baptismo.

§. LXXXV. In omni ergo baptismo juxta Christi institutionem administrato adest Spiritus sanctus 1.) ratione essentiae ut & reliquae Trinitatis personae; 2.) quoad oblationem salutaris efficaciae & beneficiorum Christi; 3.) quoad obsignationem foederis inter Deum & baptizatum initi quovis tempore ex parte Dei rati. Cum vero baptizatorum quidam sint hypocritae, actuali impoenitentia & incredulitate Deo reluctantes; quidam vere pii & credentes ut adulti, vel certe Deo non resistentes, ut infantes, ideo alia ratione adest Spiritus sanctus in baptismo hypocritarum & vere credentium. In credentium baptismo concurrit Spiritus sanctus, non solum ratione essentiae & quoad gratiae oblationem & foederis ex parte Dei obsignationem, sed etiam ratione efficaciae salutaris in actuali regeneratione & renovatione, itemque ratione actualis & reciprocae obligationis foederis inter Deum & baptizatum initi. In baptismo hypocritarum concurrit, non solum quoad obligationem beneficiorum, (Spiritus sanctus enim vi factae promissionis promtus est ad operationem salutarem in illis exercendam, si non resistant) & quoad obsignationem foederis ex parte Dei; (quamvis enim hypocritae, quamdiu in impoenitentia & incredulitate perseverant, fructum foederis non percipiant: tamen vi foederis semel facti, quod ex parte Dei semper est ratum ac ἀμεταμέλητον, Deus gratiam suam baptizato promtam atque obviam exponit, ad quam per poenitentiam ipsis baptizatis perpetuo patet aditus, per quam baptismus eis incipit esse salutaris) sed etiam quoad judicium, quod Spiritus sanctus per baptismum in incredulis exercet.

Sanguinem Christi a baptismo non esse excludendum.

§. LXXXVI. *Denique* cum Filius Dei in plenitudine temporis veram humanam naturam adsumserit, sibique personaliter & inseparabiliter univerit, inde sequitur, Christum non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam in baptismo praesentem esse, ac proinde sanguinem Christi nequaquam a baptismo excludendum: adest enim 1.) ratione *substantiae*, quia Filius Dei carnem & sanguinem in unitatem personae suae adsumsit, jamque post factam unionem in, cum & per naturam humanam omnia opera mediatoris perficit, ideo totus Christus θεάνθρωπος huic sacramento adesse dicendus. 2.) Ratione *meriti*, quia fructus baptismi provenit ex sanguine Christi in ara crucis pro peccatis nostris effuso; omnia sacramenta efficaciam & fructum habent ex passione Christi. Joh. XIX. 34. *Ex latere Christi profluxerunt sanguis & aqua.* 3.) Ratione *efficaciae*, quia in baptismo per Christi sanguinem a peccatis mundamur. 1 Joh. I. 8. *sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* 4.) Quia *in mortem Christi* baptizamur; Rom. VI. 3. jam vero mors Christi complectitur etiam sanguinis effusionem. Ad haec membra, praesertim

(*) Chrysostomus hom. I. in Act. Ap. p. 445. *Sed quomodo dicitur baptizabimini, cum aqua non esset in coenaculo? quia in baptismo praecipua pars est Spiritus, per quem & aqua fit efficax.* Jacob Andreae referente Beza p. II. resp. p. 52. dixit: *Spiritus sanctus tanquam principalis & substantialis pars baptismi* (si ita loqui licet) *in verbo comprehensus & inclusus est.* GERHARDUS.

tim vero ad tertium, respicit Lutherus, quando tom VI. Jen. germ. pag. 306. scribit: *Baptizari nihil aliud est, quam roseo illo & pretioso Christi sanguine lavari ac mundari.* Ibidem: *Baptismus nobis intuendus est, ut merus sanguis Christi Filii Dei & merus ignis Spiritus sancti, in quo Filius Dei sanguine suo nos sanctificat, & Spiritus sanctus igne suo nos abluit, & Pater suo lucis splendore nos vivificat.* In cap. XLIX. Gen. p. 228. *Non male dicitur nos baptizari, absolvi in sanguine vel virtute sanguinis Filii Dei, habent enim efficaciam suam sacramenta ex vulneribus & sanguine Christi* (*). Postill. eccles. part. III. p. 34. *Das Blut Christi wird kräfftiglich in die Wasser-Tauffe gemenget, daß man sie nun also nicht soll ansehen und halten vor schlecht lauter Wasser, sondern als schön geferbet und durchrötet, mit dem theuren Rosinfarben Blut des lieben Heilandes Christi, daß es nicht heisse ein gemein Wasserbad, wie Moses oder der Bader geben kan, sondern eine heilsame Blut-Tauffe oder Blut-Bad, welches allein Christus durch sein eigen Tod zugerichtet hat.* Quo pertinent verba cantionis ecclesiasticæ: *Das Aug allein das Wasser siht, Wie Menschen Wasser giessen, Der Glaub allein die Krafft versteht des Blutes Jesu Christi, Vnd ist für Ihm ein rothe Fluth, durch Christi Blut gefärbet, &c.*

Ocellus, ut fit, adspicit,
Effusio liquoris;
Sed spiritu vim percipit
Christi fides cruoris.
Fluenta sanguinis rubra
Videntur hac tuente,
Quae cuncta sanat vulnera
Accepta de parente,
Et quolibet patrante.

Qua in parte Lutherus sequitur plos veteres. Cyprianus serm. de resurr. Christi: *Baptizantur in nube & mari Hebraei, & jam Spiritu sancto & sanguine Christi mundatur a peccatis populus Dei.* Ambrosius libr. IV. de iis, qui initiantur myst. c. 4. tom. IV. p. 423. *Hinc cognosce, quod aqua non mundat sine Spiritu, ideoque legisti, quod tres testes in baptismate unum sint, aqua, sanguis, & Spiritus, quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum: quid enim est aqua sine cruce Christi? Elementum commune sine ullo sacramenti effectu, nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est.* Idem libr. III. de S. S. c. 11. *Audi, quomodo testis Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum. Sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit.* Augustinus tract. XI. in Johan. *Unde rubet baptismus Christi nisi sanguine Christi consecratus?* quem locum adlegans Joach. Westphalus de bapt. fol. 211. sic scribit: *Decet christianos intueri merita sanguinis Christi, quae in baptismate dispensantur, & intelligere, quasi tinctum esse sanguine Christi. Nam verbum promissae salutis additum est baptismo, quod complectitur, offert, ac distribuit parta Christi sanguine merita ac beneficia. Pretiosus sanguis Christi facit baptismum pretiosum, salutarem, & ita efficacem, ut baptismo ablui idem fit, quod lavari & mundari sanguine Christi: unde ait Johannes in Apocalypsi, eos, qui baptizati sunt in Christum, sanguine Christi lotos esse.*

§. LXXXVII.

(*) Lutherus tom. VI. Jen. germ. *aus Hertzog Georgen Buch* p. 226. *Wer in Christo getaufft wird, der wird durch sein Leyden und Blut getaufft, oder daß ichs deutlicher sage, durch die Tauffe wird er im Blut Christi gebadet und gereiniget von Sünden, daher sie S. Paulus ein Bad der Wiedergeburt nennet, wie auch die Christen sagen und mahlen, daß die Sacrament aus den Wunden Christi fliessen, und ist recht geredet und gemahlet* tom. eod. *im II. Theil der Predigten von der H. Tauffe.* p. 287. a. *schreibt er, man soll das Sacrament der Tauff ansehen, als viel Blut des Sohns GOttes und viel Feuer des H. Geistes, darinn der Sohn durch sein Blut heiliget, der Heil. Geist durch sein Feuer badet, der Vater durch sein Liecht und Glantz lebendig machet.* GERHARDUS.

Quæ sit pars substantialis altera, cœlestis scilicet in hoc sacramento.

§. LXXXVII. Ex his omnibus facile adparet, quid statuendum sit de parte substantiali altera hujus sacramenti, quam esse dicimus *verbum*, sive quod idem est, *nomen totius sacrosanctae Trinitatis*, in quo baptizamur. Quamvis enim sacrosancta Trinitas sit causa efficiens, instituens, ac ordinans hoc sacramentum: nihil tamen impedit, quo minus dicamus, nomen sacrosanctæ Trinitatis esse partem substantialem alteram, cum verbum institutionis ac promissionis testetur, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum cum omnibus gratiæ beneficiis in baptismo adesse. Christus est causa efficiens, instituens, & ordinans sacræ cœnæ mysterium: idem tamen suo corpore & sanguine in eo nos cibat ac potat, sicut idem in ara crucis est sacerdos, altare & victima. Qui Calvinum sequuntur, inter aquam & sanguinem Christi, quem statuunt esse rem cœlestem ac partem materialem alteram hujus baptismi (*); talem introducunt analogiam, quod quemadmodum aqua abluit sordes corporis: ita sanguis Christi abluat sordes mentis. Sed quid de analogia illa dicendum sit, suo manifestum erit loco. Quamvis vero Christus θεάνθρωπος in baptismo præsens sit, suoque sanguine, mediante fide, nos a peccatis abluat: tamen sanguinem Christi non satis commode partem baptismi *materialem* alteram dici posse gravissimi theologi statuunt. 1.) Quia in verbis institutionis non fit expressa mentio sanguinis Christi, sicut in eucharistia. Jam vero de substantialibus partibus sacramentorum judicandum est ex propria institutionis sede. 2.) Distinctæ sunt quæstiones de *essentia* baptismi, ac de ejusdem *efficacia*. Prior quæstio exponitur Matth. XXVIII. 19. posterior Marc. XVI. 16. Ratione efficaciæ omnino fit adspersio sanguinis Christi in baptismo; interim tamen ex eo non potest inferri, quod proprie & adcurate loquendo sanguis Christi sit pars materialis baptismi altera. 3.) Ut excludantur πορίσματα adversæ partis, quæ sunt, sacramenta quoad substantiam non differre; analogiam sacramentalem aquæ & sanguinis in baptismo esse tantummodo χετικὴν & *significativam*; baptismum esse duplicem, interiorem unum per sanguinem Christi, & exteriorem per aquam; item aquam baptismi non esse regenerationis medium. Vide apol. form. conc. p. 115. theologos Wirt. in colloq. Mompelg. p. 445. 450.

CAPUT VI.

DE FORMA BAPTISMI.

Forma baptismi.

§. LXXXVIII. Atque hæc de materia baptismi dicta sint. *Forma* baptismi in actione consistit, videlicet in mersione hominis baptizandi in aquam, sive, quod perinde est, in adfusione aquæ: ac deinde in recitatione verborum institutionis: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*: ut in universum tres substantiales baptismi partes sint statuendæ, quæ non possunt divelli aut mutari, scilicet *aqua*, *verbum & actio*, quæ complectitur mersionem hominis in aquam, vel aquæ adspersionem, & recitationem verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus san-*

(*) Beza part. II. resp. p. 41. 42. *Christi sanguinem esse partem essentialem baptismi*, disputat. Bucanus loc. XLVII. q. 22. p. 667. *Quæ est materia interna baptismi? res signata, eaque tum sanguis & Spiritus Jesu Christi, qui aquæ respondent, tum insitio incorporatioque in Christum per Spiritum sanctum, &c. quæ res significata pars etiam essentialis & forma interna baptismi dici potest.* Ursinus tom. I. in thesib. de baptismo thes. 7. p. 762. *Est igitur in baptismo duplex aqua; externa & visibilis terrena, quæ est elementaris, & interna, invisibilis, cœlestis, quæ est sanguis & Spiritus Christi,* GERHARDUS

ſancti. Quod baptiſmi forma conſiſtat in actione, patet ex generali illo theoremate ſuperius comprobato, ſacramentorum formam in actione conſiſtere. Jam vero baptiſma eſt ſacramentum. Quod in hac certa ac determinata actione, videlicet in merſione hominis in aquam, ſive adfuſione aquæ, & recitatione verborum inſtitutionis baptiſmi forma conſiſtat, probatur ex verbis inſtitutionis: *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti;* ex quibus adparet, baptizare, ſive ſacramentum baptiſmi adminiſtrare, nihil eſſe aliud, quam in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti hominem in aquam mergere, vel aqua perfundere; ac proinde utrumque requiri, videlicet hominis in aquam merſionem, ſive aquæ adfuſionem, & ſacroſanctæ Trinitatis invocationem, hoc eſt, verborum inſtitutionis recitationem. Non ſufficit, invocari nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti ſuper aquam baptiſmi, ſed requiritur etiam, ut homo in aquam mergatur, ſive aqua perfundatur: viciſſim non ſufficit, hominem in aquam mergere, vel aqua perfundere, ſed requiritur, ut hoc *fiat in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti* (*). Quod non merſione ſolum, ſed & adfuſione aquæ baptiſmus legitime adminiſtrari poſſit, poſtea demonſtrabitur.

An forma baptiſmi demonſtrari poſſit ex verbo Dei ſcripto?

§. LXXXIX. Bellarminus libr. I. de ſacram c. 19. & libr. I de bapt. cap. 3. negat, *formulam baptiſmi in eccleſiis noſtris uſitatam: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, ex ſolo evangelio demonſtrari poſſe, ſed neceſſario ad traditiones recurrendum* (**). Reſp. exſtat diſertum Chriſti mandatum: *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti*, quod ſimul formam actionis

(*) Hanc formulam a Chriſto præſcriptam, atque ab apoſtolis eorumque diſcipulis conſtanter obſervatam, neceſſario uſurpandam eſſe, antiquiſſimi cœtus chriſtiani doctores ſæpius inculcarunt. Ita *canon. apoſtol. XLIX.* habet: *ſi quis epiſcopus, aut presbyter ſecundum domini conſtitutionem non baptizaverit in nomine patris, & filii & Spiritus S. deponatur.* Improbat quoque baptiſmum quocunque alio modo collatum ATHANASIUS, eccleſiæ Alexandrinæ epiſcopus, ſeculo IV. clarus, in *epiſt. ad Serapion. tom. I. oper.* edit. novæ a monachis Benedictinis in Gallia curatæ, *part. II. f. 678.* Conferri quoque meretur eiusdem *oratio quarta adverſ. Arianos, tom. I. oper. f. 633.* Athanaſii veſtigia ſecuti ſunt DIDYMUS Alexandrinus *de Spiritu S. libr. II. tomo IV. bibliorh. patrum magnæ, fol.* 37. & BASILIUS M. libro *de Spiritu S. cap. XII. tom. II. oper. fol. 315.* Ut alios taceamus.

(**) Idem cum Bellarmino ſtatuit Becanus de judic. controv. pag. 81. §. 53. *Senſus verborum Chriſti Matth. XXVIII. 19. verus & legitimus eſt, quod in baptiſmo pronunciari debeant hæc verba:* Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: *& quod baptiſmus ſine tali verborum pronunciatione non ſit validus. At ſi aliquis negaret hunc eſſe ſenſum, & diceret, non eſſe opus pronunciare hæc verba:* in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, *ſed ſufficere, ſi quis inter baptizandum habeat internam voluntatem & intentionem baptizandi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, quo illum confutaremus? an ex ſolis ſcripturæ verbis? nihil minus. Nam illa verba,* baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti, *non dicunt, vocalem Trinitatis invocationem adhibendam. Unde ergo conſtat oportere? ex praxi & traditione eccleſiæ. Si hanc reſpuis, non habebis ullum præſtdium contra adverſarium, qui negaret, vocalem prolationem eſſe neceſſariam.* Reſp. 1.) adpellatio nominis clare innuit, in publica actione baptiſmi nominandum eſſe *Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.* 2.) Diſerte in nomine trium diſtinctarum perſonarum baptiſmus adminiſtrari præcipitur. 3.) Quemadmodum officium docendi non eſt mutum, ſic nec actio in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti debet aut poteſt eſſe muta. Quis enim alias ex gentibus ſciret, quomodo & in cujus nomen baptizandæ eſſent? aut unde eccleſiæ conſtaret, hunc vel illum certo eſſe baptizatum? 4.) Baptiſmus a vulgari ablutione aquæ hoc ipſo verbo & modo diſtinguitur, ut in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti adminiſtretur. Jam vero quod ſacramentum baptiſmi a vulgari ablutione aquæ diſtinguit, illud una cum externa & viſibili ablutione omnibus innoteſcat neceſſe eſt, alioquin ſi externa ablutio ſaltem vide-

nis exprimit, quæ cum non possit, nec debeat esse muta, ideo minister exponit, tum quid agat, tum qua auctoritate, itemque qua aqua baptizatum abluat. Et cum de se ac suo ministerio loquatur, ideo recte prima persona utitur: *Ego te baptizo.* Sacramentorum usus adplicationem requirit in singulis, qui illis utuntur. Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum.* Igitur verba hæc: *baptizate eos*, non in genere efferuntur, sed ad unumquemque baptizandum diriguntur compellatione singulari, & individua, videlicet: *Ego baptizo te.* Ecclesiæ græcæ (*) utuntur tertia persona: *Baptizetur servus Domini in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*; per quam licet integritati & efficaciæ baptismi nihil decedat: tamen forma in ecclesiis nostris usitata convenientior est, & propius accedit ad mandatum Christi in baptismi institutione. Surius in comment. rerum gestarum anno Christi 1501. p. 23. refert, Alexandrum VI. cum percepisset Ruthenos, & alios quosdam in Lituania Græcorum morem complexos ad Romanæ ecclesiæ consuetudinem se adjungere, sed interim non deesse, qui dicerent, eos necessario rebaptizari oportere propterea, quod more Græcorum in tertia persona essent baptizati, ad illos scripsisse, *quod revera baptismus conferatur etiam, tum in tertia persona dicatur, baptizetur hic;* quæ decisio est verissima. Idemque decretum in concilio Florentino p. 28. Sed summa Angelica in verbo baptismus c. 2. q. 8. judicat, *securius esse, ut baptizatus a Græco iterum baptizetur propter dubium, quia quidam contradicunt.*

§. XC. Cum ergo juxta institutionem Christi in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizandum sit, inde colligitur, 1.) verba illa non debere omitti, 2.) nec debere mutari addendo, vel detrahendo, 3.) non esse verum baptismum, si verba omittantur vel mutentur. Quemadmodum enim non est verus baptismus, si loco aquæ aliud quoddam externum elementum usurpatur: ita multo minus erit baptismus, si verba illa substantialia: in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti omittantur vel mutentur: utrobique enim ab institutione Christi discedit. 4.) Aquæ baptismatis extra usum sacramentalem, hoc est, extra immersionem vel adfusionem in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti factam, non esse in se, ac per se latentem aliquam cœlestem virtutem tribuendam; nihil enim habet rationem sacramenti extra usum a Deo institutum: quando non amplius ad eum finem usurpatur, ad quem in sacramento est a Deo instituta, nullam amplius habet efficaciam, præter quam communis aqua obtinet.

Verba substantialia nec omitti, nec mutari debere.

§. XCI. Neque tamen externo verborum sono magicam quandam vim & occultam proprietatem adscribimus, quando non nisi in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizandum esse adserimus, sed hoc ipso docemus, & confitemur, veris Christi discipulis hoc incumbere, ut pia simplicitate verbis Christi inhæreant, ac institutionem ejus

An sit baptismus, si verba mutentur?

videretur, verbum vero non audiretur, nemo de vero ac legitimo baptismo certus esse posset. 5.) Quidquid Christus apostolos eorumque successores in administratione publica baptismi inter Judæos & gentes facere jussit, illud non occulta mentis intentione, sed publica actione & declaratione coram tota ecclesia absolvitur. Atqui baptizari jussit publice non simplici aquæ adspersione, sed in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. 6.) Paulus inquit 1 Cor. I. 13. *Num in nomine Pauli baptizati estis?* quæ interrogatio luculenter ostendit, baptismum apud Corinthios ita fuisse administratum, ut certo sciverint, se in nomine Christi, vel ut verba baptismi habent, *in nomine Trinitatis* baptizatos esse: unde vero hoc scire potuissent, si nominis istius in baptismo publice nulla facta fuisset mentio? Gualtherus cont. Becan. p. 228. GERHARDUS.

(*) Ut & Moscoviticæ, in opere de variis rer. Moscovitic. auctorib. p. 136. GERHARDUS.

ejus inviolatam obſervent. Joh. VIII. 31. *Si in ſermone meo manſeritis, vere diſcipuli mei eritis.* Joh. X. 27. *Oves meae vocem meam audiunt &c.* Quamvis enim ſola venerandæ Trinitatis gratia & operatio aquam baptiſmi regenerationis ac renovationis lavacrum faciat, tamen Chriſtus ſua inſtitutione ad uſum horum verborum in baptiſmo nos adſtrinxit, ac promiſit, ſe per baptiſmum beneficia ſua diſtributurum, ſi tanquam obedientes diſcipuli verba inſtitutionis inviolate ſervemus. Ac quamvis videatur Nicolao I. ad conſulta Bulg. c. a quodam diſt. 4. de conſ. Lombardo libr. IV. ſent. diſt. 3. lit. E. baptiſmatis integritati & efficaciæ nihil decedere, ſi in nomine ſacroſanctæ Trinitatis abſque expreſſa mentione perſonarum adminiſtretur, vel ſi verba quædam explicationis gratia addantur: *Ego te baptizo in nomine Patris ingeniti, & Filii unigeniti, & Spiritus ſancti ab utroque procedentis:* (Juſtinus apol. II. pro chriſtianis p. 73. ἐν ὀνόματῳ τῦ πατρὸς τῶν ὅλων, καὶ δεσπότυ θεῦ, καὶ τῦ σωτῆρος ἡμῶν χριςῦ Ἰησῦ καὶ πνεύματος ἁγίυ τὸ ἐν ὕδατι τότε λέτρον ποιῦνται) tamen tutiſſimum eſt verbis Chriſti inhærere, nec alia quam a Chriſto ipſo præſcripta verborum forma uti: neque enim defuerunt Chriſto rationes, propter quas diſtinctam trium perſonarum mentionem in baptiſmo fieri voluerit: inter quas non poſtrema cenſenda eſt, quod omnes ac ſingulæ tres perſonæ hic agant, ac beneficia ſua baptizato diſpenſent. Pater recipit baptizatum in filium: Filius in fratrem ac diſcipulum, Spiritus ſanctus in templum ac habitaculum. Sicut purum hominem non ſolus Pater poteſt formare, ſed etiam Filius, ac Spiritus ſanctus; ita in ἀναπτίσει καὶ ἀναπλάσει tota ſacroſancta Trinitas operatur. Didymus libr. II. de S. S. *Non arbitror, quemquam tam vecordem atque inſanum, ut perfectum baptiſma putet, quod datur in nomine Patris & Filii, ſine adſumtione Spiritus ſancti, aut certe in nomine Filii & Spiritus ſancti, non praepoſito vocabulo Patris.* Vide Origenem libr. I. περὶ ἀρχ. Athanaſium ſerm. III. contra Arian. Damaſcenum libr. IV. orth. fid. cap. 10 (*).

§. XCII. At, inquis, *apoſtoli dicuntur baptizaſſe in nomine Jeſu Chriſti.* Act. II. 38. X. 48. &c. Ergo licet alia verborum forma uti. *Reſp.* Hardingus pontificius ſcriptor art. 2. de comm. ſub una ſpecie ſect. 9. ſtatuit, *apoſtolos ad tempus ipſum eſſentialem verborum formam mutaſſe, quibus Chriſtus ſacramen-*

Quomodo intelligendum ſit, quod apoſtoli in nomine Chriſti dicuntur baptizaſſe?

(*) Bellarminus libr. de bapt. c. 3. art. 7. in Luthero & Brentio errorem, imo Arianiſmum vocat, pronunciationem trium perſonarum in formula baptiſmi non eſſe de neceſſaria baptiſmi ſubſtantia. Idem tamen, imo pejus in quibusdam tum patribus, Ambroſio, Beda, Bernhardo, tum catholicis pontificiis, Hugone, Magiſtro ſententiarum atque ipſo Nicolao papa non eſt error, ſed *opinio tantum quaedam incommoda*, judice eodem ibid. art. 8. cum eandem ſententiam ibidem dicat eſſe *contra teſtimonia pontificum & contra traditiones omnium patrum. Si quaedam eccleſiae alia quadam formula uterentur, certis graviſſimisque de cauſis, ſalva & invariata manente ſententia verborum Chriſti, nos quidem morem illum non imitandum cenſeremus, neque tamen baptiſmum iſta formula adminiſtratum judicaremus irritum: non enim literis aut ſyllabis dictionum magicam aliquam vim adſcribimus, quo ſenſu haud dubie ſcripſit Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de ſac. bapt. tom. II. lat. fol. 272.* Quocunque modo tradatur baptiſmus, modo non in nomine hominis, ſed in nomine Dei tradatur, vere ſalvum facit. Balduinus in c. VI. Rom. Idem contra Pazmannum libr. VI. cap. 5. p. 613. *Ut his verbis baptizetur*: Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, *nuſpiam quidem expreſſe praeceptum eſt, ex verbis tamen inſtitutionis illa formula recte retinetur. Non tamen ita eſt de neceſſitate, ut baptiſmus nullus ſit, & inſans baptizatus rebaptizandus, ſi verba uſitata praeciſe non ſerventur, ut docent Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 4. Gregorius de Valent. tom. IV. diſp. 4. q. 1. ſed ſi forte aliquid in ea formula mutatum fuerit, ſalva tamen manente ſententia, hoc eſt, ut intelligantur tres perſonae, licet non omnes nominatim exprimantur, temerarius quidem eſt, qui ſic baptizat, & poena dignus, ipſi tamen baptiſmo nihil decedit, qui non a ſono verborum, ſed ab inſtitutione Chriſti dependet.* GERHARDUS.

mentum baptiſmi adminiſtratum voluerit, cum Chriſtus juſſerit baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, illi vero baptizarint in nomine Jeſu Chriſti tantum, quo illud hoc modo illuſtrius celebratiusque redderent. Sed nequaquam probabile eſt, apoſtolos a verbis inſtitutionis ab ipſo Chriſto præſcriptis diſceſſiſſe, cum voce cœlitus delata eum audire, & ſequi fuerint juſſi. Ergo verba evangeliſtæ Lucæ non de cauſa *formali*, ſed *efficiente* & *finali*, nec *diſpenſative*, ſed *recitative* intelligenda ſunt: hoc eſt, non exprimitur hic verborum forma, qua apoſtoli fuerint uſi; ſed docetur, eos in Chriſti nomine baptiſmum adminiſtraſſe, inque fidem, doctrinam, agnitionem, & nomen Chriſti baptizaſſe, ut hac ratione baptizati Chriſto fuerint obligati, quem pro unico mediatore ac promiſſo Meſſia agnoſcerent & colerent, utpote *in cujus mortem fuerunt baptizati*, Rom. VI. 3 perinde ut Iſraelitæ dicuntur *in Moſen baptizati*, 1 Cor. X. 2. hoc eſt, per mare rubrum a Moſe ducti ſunt, (qui tranſitus fuit baptiſmi typus) atque eo ipſo obligati ad credendum illis, quæ Moſes Dei nomine ipſis adnunciaturus erat. Ambroſius libr. I. de S. S. cap. 3. & ex eo Lombardus libr. IV. ſent. diſt. 3. §. 2. monent, *nomine Chriſti totam ſacroſanctam Trinitatem exprimi. Cum Chriſtum dicis & Pater, a quo unctus eſt, intelligitur, & ipſe qui unctus eſt, & Spiritus ſanctus, per quem unctus eſt.* Quod igitur apoſtoli baptizarunt in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, id compendioſa narratione Lucas exprimit, ipſos in Chriſti nomine baptizaſſe. Ita quoque Baſilius περὶ τȣ̃ ἁγίȣ πνεύμ. cap. 12. ἡ τȣ̃ χριςȣ̃ προσηγορία τȣ̃ παντάς ἐςι ὁμολογία, δηλȣ̃ γὰρ τόντε χρίσαντα θεὸν, καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα (*). Aureolus IV. ſent. diſt. 3. ſtatuit, *diſpenſatum fuiſſe cum apoſtolis in baptiſmi forma ad gloriam nominis Chriſti.*

Errores circa formam baptiſmi.

§ XCIII. Diſcedimus proinde ab omnibus, qui formam verborum a Chriſto præſcriptam auſu temerario mutarunt. 1.) *Marcus haereticus*, Valentini diſcipulus cum ſuis ſectatoribus *in nomen ignoti Patris omnium, in veritatem matrem omnium, & in nomen deſcendentis in Jeſu ad unctionem & redemtionem, & communionem virtutum baptizabat*, εἰς ὄνομα ἀγνώςȣ πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ιησȣ̃ν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Oſiander cent. II. hiſt. eccleſ. fol. 41 (**). 2.) Irenæus libr. I. c. 18. p. 72. de *Gnoſticis* dicit, quod quidam ipſo-

(*) Fulgentius libr. de incarnat. & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cap. 11. pag. 727. *Omnis qui in nomine & Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſacramento ſanctæ regenerationis abluitur, non niſi in Chriſti morte ac nomine baptizatur.* Eulogius ſerm. II. apud Photium in bibl. cap. 190. poſt τὸ ἐν ταῖς πράξεσιν εἰρημένον περὶ τῶν ἐχόντων τὸ Ἰωάννȣ βάπτισμα, ὅτι, ἀκȣ́σαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃, τοιȣ̃τόν ἐςιν, ὅτι ἐβαπτίσθησαν κατὰ τὴν παράδοσιν καὶ διδασκαλίαν τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃, ὥςε καὶ ἀλλαλȣ̃ ὅταν λέγῃ, ὅτι εἰς χριςὸν, εἰς θάνατον τȣ̃ χριςȣ̃ ἐβαπτίσθησαν, τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὀφείλομεν ἐννοεῖν δηλȣ̃σθαι, τȣτέςιν, ὅτι εἰς τὸ ὄνομα τȣ̃ πατρὸς καὶ τȣ̃ υἱȣ̃ καὶ τȣ̃ ἁγίȣ πνεύματος ἐβαπτίσθησαν, ȣ̃τω γὰρ ἐδίδαξε καὶ παρέδωκε βαπτίζειν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησȣ̃ς χριςός. *Quod in actis dicitur de iis, qui habebant Johannis baptiſma:* Audientes vero baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu, *ejusmodi eſt, ut baptizati fuerint ſecundum traditionem & doctrinam Domini Jeſu. Quemadmodum alibi quoque cum dicitur,* baptizati ſunt in Chriſtum, *vel* in mortem Chriſti, *eundem ſenſum concipere debemus, hoc eſt, baptizatos eſſe in nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti. Sic enim docuit & tradidit Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* GERHARDUS.

(**) Alphonſus de Caſtro libr. III. adv. hæreſes verbo *baptiſmus* hæreſ. 2. *Quidam ſic baptizant:* In nomine ignoti Patris omnium & veritate omnium matre & in eo, qui deſcendit in Jeſu. *Hi ſunt Marcitæ, diſcipuli Marci cujusdam, magicæ artis periti, qui circa tempora apoſtolorum fuit, de quo mentionem facit Irenæus libr I. adv.*

ipsorum Marci hæretici formam secuti fuerint, ἄλλοι δὲ ἑβραϊκὰ τίνα ὀνόματα ἐπιλέγουσι πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελειομένους οὕτως, βασεμὰ, χαμοσθὶ, βααιανορὰ, μισταδία, ῥουαδὰ, κουστὰ, βαβόφορι καλαχθεῖ, τούτων δὲ ἡ ἑρμηνεία ἐστιν τοιαύτη, ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ ζωὴ, ὅτι ἐν σώματι ἐβασίλευσας. Quomodo cum hac interpretatione corrupta illa hebraica nomina conveniant, vide Nicolaum Gallasium in annot. 3.) *Ariani in solo Patre, vero Deo, in Iesu Christo, servatore & creatura, & in Spiritu sancto, utriusque servo,* baptizabant. Hieronymus adv. Luciferianos (*). Quandoque etiam baptizabant *in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, qua verborum forma cum Deuterius quidam, Arianus episcopus, sub imperatore Anastasio Barbam quendam baptizare vellet, aqua evanuit teste Sozomeno libr. VI. hist. c. 26. ac Nicephoro libr. XVI. c. 35. 4.) *Samosateniani sive Paulianistae, Cataphryges ac Bonosiani* regulam baptismi itidem non tenebant, neque enim in Christum credebant, nec in ipsius nomen baptizabant. Augustinus de hæres. cap. 44 (**). Ruffinus libr. I. hist. cap. 6. (***). 5.) *Aetia-*

adv. hær. cap. 8. & Eusebius libr. IV. hist. eccles. cap. 11. Hic enim Marcus inter alios, quos docuit, errores dixit, quod is, qui in lege & prophetis prædicatus est Deus, non esset Pater Domini nostri Jesu Christi, *Cerdonem & Marcionem hac in parte secutus, quia ille quidem, ut dicebat, ignotus esset, hic autem notus. Quapropter ab hoc errore discipuli hujus Marci procedentes sic baptisma conficiebant:* In nomine ignoti Patris &c. *Alii vero ex ejusdem sectatoribus hebraica nomina ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terribiliter loquuntur. De Paulianistis & Cataphrygibus dicitur, quod in nomine Trinitatis minime baptizant, ut habetur 1. q. cap. Paulianistæ. Quapropter in concilio Nicæno præceptum est, ut cum ad ecclesiam catholicam aliqui ex illis redierint, rebaptizentur, quoniam veram baptismi formam non tenuerunt, atque ideo nec verum baptisma.* GERHARDUS.

(*) Tom. II. p. 166. *Arianus*, scribit, *cum aliud nihil crediderit* (claudite quæso aures qui audituri estis: ne tantæ impietatis vocibus polluamini) *nisi in Patre, solo vero Deo, & in Jesu Christo, salvatore creatura, & in Spiritu sancto, utriusque servo, quomodo Spiritum sanctum ab ecclesia recipiet?* Athanasius serm. III. contra Arian. p. 219. *Non in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore & creatura, in factore & factura. Sicut igitur creatura diversum quiddam est a Filio, ita diversum quiddam est a vero baptismate, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in scripturis vident, simulent se nominare. Non enim qui simpliciter ait: Domine, is est, qui legitimum donat baptisma, sed qui nomen exprimit & fidem rectam habet.* Et postea: *Itidem quoque Manichæi ac Phryges ac discipuli Samosatensis nomina ipsa pronunciantes nihil ob id sunt minus hæretici: ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur illuduntque iis, qui ab ipsis baptismum recipiunt.* Vide locum integrum. GERHARDUS.

(**) Verba AUGUSTINI, quæ *loco* supra *excitato* leguntur, ita se habent: *Istos sane Paullianos baptizandos esse in ecclesia catholica, Nicæno concilio constitutum est. Unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, quum de catholica discederent, abstulerunt & custodiunt.* Respicit heic AUGUSTINUS ad concilii Nicæni *canonem XIX.* ubi de *Paullianistis, qui deinde ad ecclesiam catholicam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur.* Quum enim in hoc ipso canone patres Nicæni non promiscue quoscunque hæreticos, sed tantum *Paullianistas* rursus baptizandos esse pronunciaverint, caussam huius decreti non aliam esse posse, observarunt veteres, quam quod Paullianistæ ipsam baptismi substantiam & formam, in verbo institutionis consistentem, mutaverint, reliqui vero minus. Conf. GUIL. BEVEREGII *adnotat. p. 85. tom. II. part. II. pandect. canon.*

(***) Baronius tom. II. ann. 260. num. 16. *Sancti Patres licet scirent Patrem & Filium & Spiritum sanctum ab illis* (Cataphrygibus Pepuzenis dictis) *in collatione baptismatis nominari, tamen quod per Spiritum sanctum illi Montanum intelligerent, nullum plane esse collatum a Pepuzenis baptismum in synodo Nicæna definierunt.* 1.) Apud Irenæum libr. I cap. 35. baptizarunt quidam in nomen Patris per Filium in Spiritu sancto. 2.) *Colorbasiani* suo nomine tingebant. 3.) Tem-

5.) *Aetiani & Eunomiani* baptizabant, εἰς ὄνομα θεῦ ἀκτίστου, υἱῦ κεκτισμένου, ἢ πνεύματος τῦ ἁγιαστικῦ, ἢ ὑπὸ κεκτισμένου υἱῦ κεκτισθέντος, *in nomen Dei increati, Filii creati, & Spiritus sanctificativi, & a creato Filio creati.* Epiphanius tom. I. libr. 3. hæres. 76. Augustinus de hæres. c. 49 (*). 6.) Bernhardus epist. CCCXL. meminit quorundam, qui in Dei, *sanctaeque crucis* nomen tingebant. 7.) Guilielmus de bapt. c. 2. personis Trinitatis adjicit *Mariam* semper virginem. 8.) Zwinglius *non esse necessariam ullam certam verborum formam* adserit libr. de vera & falsa relig. c. de bapt.

Quaestiones circa formam baptismi.

§. XCIV. Quæritur hoc loco I.) *Num baptismus ratus sit habendus, si alia litera aut syllaba in verbis mutetur?* Resp. si sensus maneat integer & incorruptus, neque ex industria aliquid corrumpatur, baptismus ejusmodi pro legitimo habendus: nequaquam enim tam de sono, quam sensu verborum institutio Christi accipienda. Aventinus libr. III. annal. p. 297. (**). *circa annum Christi 745. presbyter quidam Bavarus latinae linguae ignarus, baptizarat puerum* in nomine Patria, Filia, & Spiritua sanctua. *Bonifacius episcopus Moguntinus puerum jusserat rebaptizari. Salisburgensis episcopus Virgilius & Sidonius pontifex Laureacensis apud Boios baptismum ratum esse volebant: turbae excitatae maximae. Zacharias pontifex Romanus dissidium solvit, & Virgilii opinionem confirmavit. Decretum exstat c. Retulerunt. dist. 4. de consec. ad Bonifacium. Retulerunt nuncii, quod fuit in eadem provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens loqui latine, infringens linguam diceret:* Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta, *& per hoc tua reverenda sanctitas consideravit eos rebaptizare, sed, sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresin, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.* Glossa addit rationem, *quia error syllabae non nocet maxime in fine dictionis.* II.) *Num in nomen, an vero in nomine dicendum?* Resp. utraque formula reperitur in scripturis? *Prior* εἰς τὸ ὄνομα Matth. XXVIII. 19. 1 Cor. I. 13. *Posterior* ἐν τῷ ὀνόματι Act. II. 38. X. 48. Usus in ecclesia hodie obtinuit, ut dicatur *in nomine*, a qua consuetudine non est temere cum scandalo recedendum. Vide Joach. Westphalum de bapt. p. 30. III.) *Num in nomine, an vero nominibus Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizandum sit?* Resp. non *in nominibus*, sed *in nomine*, juxta Christi institutionem, quia una divinitas, unaest essentia, una majestas divina, unus Deus, cujus mandato, invocatione & auctoritate baptismus administratur. Neque voces illæ *Patris, Filii, & Spiritus sancti* per subjunctionem hic positæ sunt, ut personas in divinitate supremam, mediam & infimam dignitate distinguant: sed per conjunctionem sunt connexæ, ut divinitatis, maje-

3.) Temporibus apostolorum quidam baptizabant in nomine trium ἀνάρχων. can. 49. apost. (al. can. 48.) Substituebant illi τρεῖς ἀνάρχας, ἢ τρεῖς υἱὰς, ἢ τρεῖς παρακλήτους. 4.) *Eunomiani* baptizabant in mortem Domini. Socrates libr. IV. c. 24. GERHARDUS.

(*) *Quin & in ampliorem insaniam* (inquit Epiphanius) *delati sunt ipsius* (Aëtii) *discipuli & horum successor Eunomius quidam falso adpellatus, qui adhuc hodie supereſt, in vita magnum & temerarium flagitium. Rebaptizat enim jam baptizatos non solum eos, qui ab orthodoxis & sectis aliis ad ipsum veniunt, sed etiam eos, qui ab ipsis Arianis; rebaptizat autem eos in nomen Dei increati, Filii creati &c.* Et postea: *Asserunt quidam, quod in caput baptizas eos, qui ab ipso rebaptizantur, pedibus sursum versis & capite deorsum.* GERHARDUS.

(**) De hocce casu, quem supra ex AVENTINO refert GERHARDUS, evolvi cumprimis meretur IO. HARDUINUS, Jesuita Gallus, *tom. III. concil. fol. 1888.*

majestatis & dignitatis æqualitatem singulis vendicent. Ambrosius libr. II. de sacram. cap. ult. *In uno nomine baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: noli mirari, quia dixi unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas, hoc est nomen, de quo dictum, in quo oporteat omnes salvari.* IV.) *Num ad integritatem baptismi requiratur, ut verba illa proferantur cum fide?* Resp. Bonaventura libr. IV. sent. dist. 3. art. 2. q. 3. negat, quia baptismus non est sacramentum singularis personæ, ideo fides personæ nihil prodest vel obest, sed est sacramentum ecclesiæ Christi, unde quidquid sit de fide cordis personæ baptizantis, judicandum est secundum expressionem oris, quæ decisio Bonaventuræ probe notanda propter controversiam de necessitate intentionis.

An necessaria sit immersio?

§. XCV. Diximus *formam* baptismi consistere in mersione hominis baptizandi in aquam, sive quod perinde sit, in adfusione aquæ, & in recitatione verborum institutionis: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* Ergo postquam de forma verborum fuit actum hactenus, restat, ut de forma actionis disseramus, ubi quæritur, 1.) *An immersio sit de necessitate sacramenti, an vero per effusionem aquæ in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti factam baptismus conferri possit?* Adfirmamus posterius, argumentis ductis 1.) A *significatione* vocabuli: verbum βαπτίζειν generalem habet significationem pro qualibet ablutione, sive fiat immersione, sive adspersione, vel adfusione, ut ostendimus superius §. 2. Sic leviticæ ablutiones vocantur βαπτισμὸς; Hebr. IX. 10. Judaicæ lotiones utensilium itidem dicuntur βαπτισμοὶ. Marc. VII. 8. Israelitæ dicuntur *in Mosen baptizati*, 1 Cor. X. 2. cum tamen in mare non fuerint immersi; sed per illud transierint. Effusio Spiritus sancti miraculosa super apostolos in die Pentecostes dicitur baptismus. Cum enim promissionis illius: *Vos baptizabimini Spiritu sancto* Act. I. 5. cumplementum a Luca describitur Act. II. 4. *repleti sunt omnes Spiritu sancto*, simul v. 16. & 17. additur vaticinium Joëlis de isto baptismo Spiritus. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod propheta effusionem, illud Christus baptismum nominavit, ac proinde qui effundit aquam super hominem, baptizare dicendus est. 2.) A *definitione* baptismi. Apostolus definit baptismum, *quod sit lavacrum aquae in verbo:* Eph. V. 26. *lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto.* Tit. III. 5. Jam vero lavacrum non solum totali corporis mersione, sed etiam adfusione aquæ ac particulari ablutione constat. Exod. II. 5. *Filia Pharaonis descendit, ut lavaret se in flumine.* cap. XXX. 18. *Faciet conchum aeneam ad lavandum, ac ponas in ea aquam,* v. 19. *& lavabunt Aaron, & filii eius ex ea manus suas ac pedes suos.* 2 Sam. XI. 2. *David vidit mulierem lavantem se ex tecto.* 1 Reg. XXII. 38. *Laverunt currum in piscina Someron.* Psalm. VI. 7. *Lacrymis meis stratum meum rigo.* Joh. IX. 7. *Abi ad piscinam Siloah, & ablue te.* 3.) Ab *exemplis* Iohannis baptistæ & apostolorum. Iohannes in conspectu omnium in Jordane baptizavit; jam vero non est verisimile, ingentem illam hominum ad baptismum ejus accedentium multitudinem, in qua erant viri ac mulieres, vel depositis vestibus, vel una cum vestimentis Jordani immersam fuisse, sed in ripa Jordanis stantes vel eundem paululum ingressi adfusione aquæ in caput facta procul dubio baptizati fuerunt. Matth. III. 16. Marc. I. 10. *Cum Jesus esset baptizatus, statim adscendit ex aqua.* Act. XII. 41. *tria hominum millia uno die baptizantur,* neque tamen egressi dicuntur civitate, ad quendam fluvium, eidemque toto corpore immersi. Act. XVI. 15. Lydia ac tota familia baptizatur, ubi itidem vix locum habet cogitatio de totali mersione. Act. XXII. 16. dicit Ananias ad Paulum: *Exsurge & baptizare & ablue peccata tua;* baptizatum autem fuisse Paulum in ea domo, in quam diverterat, colligitur ex Act. IX. 18. 19. Unde vero probabitur tantum aquæ & tam ampla vasa subito adlata fuisse, ut immergi Paulus totus potuerit? 4.) A *typis* vet. test. Utraque enim actionis forma, tam mersio, quam adspersio ὡς ἀντί-

ἀντίτυπον respondet suo typo: mersio quidem diluvio, adspersio vero leviticis lotionibus & adspersionibus. Nec absurde talis analogia inter circumcisionem & baptismum, qui in ejus locum successit, instituitur. Quemadmodum in circumcisione, licet in uno tantum corporis membro fieret concisio, sua tamen sacramento constabat integritas, ac toti homini spiritualis circumcisio administrabatur: ita quoque efficacissimum est hoc regenerationis ac renovationis lavacrum, sive totus immergatur homo baptizandus, sive aqua adspergatur, modo id fiat *in nomine Patris, Filii, ac Spiritus sancti.* 5.) A *fine* baptismi. Finis baptismi *non est depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum;* 1 Petr. III. 21. Ergo non est necesse, talem in baptismo fieri totius corporis confricationem, qualis adhiberi solet, cum sordes corporis in balneo detergendæ sunt. Petrus 1 epist. I. 2. notat ῥαντισμὸν *adspersionem* sanguinis Christi, quæ est effectus non solum ministerii evangelici, sed etiam baptismi, in quo sanguine Christi ad peccatorum remissionem adspergi recte dicimur. Ergo per adspersionem aquæ etiam baptismus fieri potest.

§. XCVI. Refero huc testimonium primitivæ ecclesiæ. Immersione usos fuisse veteres, constat ex Tertulliano, qui in lib. de bapt. *hominem in aquam demissum & tinctum* esse dicit: ex Gregorio Nazianzeno, qui in orat. de laudib. patris refert, *patrem suum post baptisma ex aqua egressum:* ex Chrysostomo, qui in epist. ad Innoc. papam, *mulieres, quae se exuerant, ut baptizarentur, metu insidiarum nudas aufugisse* scribit. Idem refert Nicephorus lib. XIII. c. 19. (*) Interim tamen adspersionis ritum non fuisse eis improbatum, patet ex Cypriano, qui lib. IV. epist. 7. ad Magnum statim in principio scribit: *Quaesisti, frater carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia & modestia nostra*

Dicta veterum de immersione & adspersione.

(*) Iis antiquitatis testimoniis, quibus supra comprobat GERHARDUS, veteres christianos immersione usos fuisse, jungi meretur illud IUSTINI martyris, quod exstat *apolog. I. pro christianis*, §. *LXXIX. p. 116.* edit. JO. ERN. GRABII, ubi baptismi ritus sua ætate receptos ita describit: *Deinde* (baptizandi) *eo adducuntur a nobis, ubi aqua est; atque eo regenerationis modo, quo ipsi regeneramur, regenerantur. Nam in nomine parentis universorum, & domini Dei, ac servatoris nostri Jesu Christi, ac Spiritus sancti, in aqua tunc lavantur.* Scilicet, cum IUSTINUS eo baptizandos deduci dicat, ubi aqua deprehenditur, eo ipso haud obscure innuit, immersionem tum temporis fuisse usitatam. Neque enim ejusmodi ad aquas deductione opus est, ubi nuda adspersione actus baptismatis peragitur. Prætermittimus alia veterum scriptorum loca, ex quibus luculenter probari potest, baptismum olim plerumque per immersionem factum esse. Exhibet ea JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. sive antiquitat. ecclesiast. vol. IV. p. 329. seqq.* Nec facile ab immersione discesserunt veteres christiani, nisi in duobus casibus iisque plane extraordinariis: 1.) si *clinicus*, h. e. ægrotus, in extremo vitæ discrimine constitutus, esset baptizandus, ubi sacramentum in lecto datum per adspersionem fiebat, cujusmodi baptismum nemo veterum irritum, vel imperfectum declarare ausus est; prout recte observarunt BINGHAMUS *loc. cit. p. 333. seqq.* JO. ANDR. BOSIUS, in *disput. de baptismo clinicorum*, CHRISTOPH. JUSTELLUS in *notis ad codicem ecclesiae universae, tom. I. biblioth. jur. can. f. 79.* aliique; 2.) si martyr, vel quicunque alius, in carcere esset baptizandus, ubi in difficillimis istis rei christianæ temporibus haud satis aquarum procurari poterat. Tandem vero, & quidem medio demum ævo, in occidente, & in provinciis præsertim sub frigidiore cœlo sitis, ubi periculosa visa est demersio infantum, adspersio fuit introducta. Num id seculo sexto, an vero septimo, vel octavo factum sit, certo definiri haud potest, cum ejusmodi mutationes sensim sensimque fieri soleant. Retinuerunt tamen immersionis ritum christiani græci atque orientales, eundemque hodienum observant, teste JEREMIA patriarcha Constantinopolitano, in *responso ad theologos Würtembergicos super Aug. confess.*

fira praejudicat, quo minus unusquisque quod voluerit, sentiat, & quod senserit, faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena & tota fide & dantis & sumentis accipitur, quod divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali & seculari sordes cutis & corporis abluuntur, ut & sapone & nitris, & ceteris quoque adjumentis, & dolio & piscina opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. Nec quenquam movere debet, quod adspergi vel perfundi vocantur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, cum scriptura sacra per Ezechielem prophetam loquatur, & dicat: Adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris. *Item in Numeris:* Accipe Levitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumsperges eos aqua purificationis. *Et iterum:* aqua adspersionis purificatio est. *Unde adparet, adspersionem quoque aquae instar lavacri salutaris obtinere, &c.* Augustinus vel quicunque fuerit auctor libri de ecclesiast. dogm. c. 74. *Baptizandus catechumenus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet, ac post confessionem vel adspergitur aqua, vel intingitur.* Quare cum in ecclesia, praesertim in locis septentrionalibus, propter aëris frigiditatem, tenellis infantibus aqua lotis facile nocituram, adsersio, vel potius adfusio aquae usitata sit, ideo haec baptismi forma retinenda (*), nec propter ritum adiaphorum lites cum ecclesiae scandalo movendae (**).

§. XCVII. *At*, inquis, *baptizare proprie significat immergere. Ergo baptismus non nisi immersione fieri debet.* Antecedens est Bellarmini lib. I. de bapt. c. 1. *Baptisma proprie significat immersionem: ordinarie enim baptismus fit per mersionem, idque ad Christi sepulturam repraesentandam.* Pistorius disputat, *adsperionem in baptismo ex scripturis probari non posse, sed esse traditionem ecclesiae*, im *Wegw. p. 492.* Eodem fere modo loquuntur Calvinus lib. IV. inst. c. 15. §. 19. Beza ep. II. Wolfg. Musculus in loc. c. de bapt. Keckermannus lib. III. syst. theol. c. 8. p. 451. 452. Chassanio lib. II. loc. com. c. 43. sect. 2. *Resp.* ostendimus superius contrarium. Quod ad *mersionis* significationem attinet, dicimus 1.) baptismum non esse propter hanc vel illam significationem institutum, sed ut sit efficax medium, per quod Spiritus sanctus hominem regeneret, ac renovet. 2.) Hanc operationem Spiritus sanctus perficit, atque hunc finem adsequitur per salutare baptismi lavacrum, sive homo baptizandus toto corpore immergatur, sive aqua eidem adfundatur. 3.) Nec tamen repugnamus, quo minus concinnae quaedam significationes baptismi excogitentur, modo baptismus agnoscatur efficax regenerationis & renovationis lavacrum. Tales autem significationes non solum in immersione, sed etiam adspersione aquae locum habent. Ut *mersio* significare potest, nos cum Christo in mortem ipsius bapti-

(*) Jure meritoque haec baptismi forma retinetur in ecclesiis nostris, cum id, quod in usu elementi adspectabilis praecipuum est, & quorsum significatio ejus spiritualis praecipue tendit, purificatio scilicet, per adspersionem non minus, quam immersionem obtineri queat. Ut vero scrupuli omnes, qui forte heic suboriri possent, penitus removeantur, eorum consilium minime improbamus, qui largiorem aquae profusionem in administratione baptismi adhibendam suadent, ad ablutionem a peccatorum sordibus ob oculos depingendam, *Act. XXII. 16.* Exstat hanc in rem peculiaris GUSTAVI GEORG. ZELTNERI, theologi quondam Altdorfensis, commentatio lectu dignissima, hac insignita inscriptione: *Mersio in baptismo apostolica, ut sit larga perfusione instauranda &c.* quae Altdorfi ann. MDCCXX. lucem adspexit publicam.

(**) Moscovitae totius corporis immersionem requirunt; aqua interdum quidem consperguntbaptizandum, sed rarius: consperio enim minus sufficiens judicatur. In opere de variis rerum Moscoviticarum auctoribus pag 136. GERHARDUS.

baptizari, Rom. VI. 3. ac veterem noſtrum hominem in baptiſmo ſubmergi, v. 6. ita quoque *adſperſio* ſignificare poteſt, nos Chriſti ſanguine in baptiſmo adſpergi, 1 Pet. I. 2. & ab omni peccato mundari. 1 Joh. I 8. Adfuſio ſignificare poteſt, Spiritum ſanctum opulenter in nos effundi. Tit III. 5. 4.) Ut *immerſionis* typus quæri poteſt in diluvio, ita *adſperſionis* atque adfuſionis typi præceſſerunt in adſperſione per ſanguinem ſacrificiorum, in lotionibus leviticis, in Naamanis ablutione &c.

An trina, vel una debeat eſſe adſperſio?

§ XCVIII. Quæritur II.) *An trina, vel una debeat eſſe immerſio ſive adſperſio?* Reſp. Hoc ἀδιάφορον eſſe ſtatuimus. In primitiva eccleſia trina immerſio uſitata fuit. Tertullianus *adverſ. Praxeam, cap. XXVI. Non ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas, Patris, Filii & Spiritus ſancti tingimur.* Lib. de coron. milit. cap. III. *Ter mergitamur.* Vide etiam Cyrillum catech. II. Baſilium de Spiritu ſancto c. 27. Ambroſium lib. II. de ſacr. c. 7. Chryſoſtomum hom. XXIV. in Joh. Auguſtinum ſerm. CCI. de temp. Iſidorus Hiſpalenſis in libr. de vir. illuſt. c. 26. refert, Johannem Cappadocum antiquorum patrum ſententias de trina immerſione collegiſſe (*). In noſtris eccleſiis itidem trina adſperſio obſervatur: nec tamen *in una fide officit eccleſiae ſanctae conſuetudo diverſa; quia enim in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmo ter vel ſemel immergere, quia & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas* (unitas) *deſignari*, ut ſcribunt Iſidorus Hiſpalenſis de vir. illuſt. c. 27. & Lombardus lib. IV. diſt. 3. ſect. 9. Item c. de trina diſt. 4. de conſec. Trinam merſionem ſive adſperſionem adhiberi propter myſterium τῆς παναγίας τριάδος, docent Hieronymus in cap. IV. Eph. & Ambroſius lib. II. de ſacr. c. 7. alii vero ad myſterium triduanæ ſepulturæ Chriſti in ea reſpici docent. Damaſcenus lib. IV. orth. fid. c. 10. Gregorius lib. I. ep. 41. ad Leandr. refert, *cum Ariani trina merſione uterentur ad ſignificandas tres naturas trium perſonarum: loco ejus unam merſionem in Hiſpania fuiſſe receptam* (**). Haymo in cap. XIV. ad Rom. *In ſuo ſenſu abundabat Cyprianus, cum ſemel mergebat in baptiſmo parvulos, quia quod intelligebat, ſtudioſe implebat, bonis operibus abundando, licet in hoc neſcius delinqueret, ſed quia bonis operibus abundabat, poſtea correptus a Deo abundavit altiori*

(*) Cyprianum primo ſemel, poſtea vero ter merſiſſe parvulos in baptiſmo, refert Haymo in cap. XIV. Rom. Lombardus lib. IV. diſt. 3. lit. l. *Qui ſemel immergit tantum, non peccat, niſi conſuetudo eccleſiæ obſiſtat, vel hoc modo tantum fieri debere adſerat.* GERHARDUS.

(**) Verba GREGORII magni, ſupra a GERHARDO recitata, quæ in ejus epiſtola ad Leandrum epiſcopum Hiſpalenſem exſtant, referuntur etiam in jure canonico, *decret. part. III. de conſecrat. diſt. IV. can. ae trina, p. m. 476.* Nimirum cum nonnulli ARII ſectatores in Hiſpania degentes trina immerſione eo fine uterentur, ut oſtenderent, filium & Spiritum ſanctum non eſſe ejusdem cum patre eſſentiæ; hiſce ut ſe opponerent pluriores fidei doctores, unicam duntaxat adhibuerunt immerſionem. Quod quidem eorum inſtitutum minime improbat GREGORIUS, ita tamen, ut simul doceat, nec illorum reprehendendam eſſe conſuetudinem, qui trina immerſione, ad ſepulturam Chriſti triduanam, vel fortaſſe etiam trinitatem deſignandam uterentur. In eandem ſententiam pronunciant patres concilii Toletani IV. *can. V.* Et ſane, ut recte monet GERHARDUS, ἀδιάφορον eſt, ſive trina, ſive unica adhibeatur immerſio, ſive adſperſio, niſi peculiaris quædam adſit ratio, quæ alterutram ſuadeat, cum in ſanctioribus litteris nihil hanc in rem ſancitum deprehendamus. Trinam tamen recte retineri, neque eandem temere negligendam eſſe, exinde facile colligi poteſt, quoniam illa partim formulæ baptizandi a Chriſto præſcriptæ *Matth. XXVIII. 19.* partim vero praxi primitivæ eccleſiæ maxime eſt conſentanea, luculentamque trinitatis perſonarum in divinis continet confeſſionem. Lectu digna ſunt, quæ GERH. JO. VOSSIUS *diſp. II. de baptiſm. theſ. I. ſeqq. oper. tom. VI.* de hocce argumento diſſeruit.

tiori sensu, ter illos mergendo. Ecce habemus, inquit Lombardus l. d. *quia deliquit, qui semel mersit: sed hoc ideo, quia aliter se habebat consuetudo illius ecclesiae, vel quia unam tantum faciendam mersionem adferebat.*

An adspersio debeat esse totalis?

§. XCIX. Quæritur III.) *An immersio, vel adsperso debeat esse totalis, hoc est, an totum corpus abluendum?* Resp. et hoc ἀδιάφορον est, cum in verbis institutionis nullum de eo exstet præceptum; cum in actione sacramentali distinguendum sit inter δόσιν καὶ δόσεως τρόπον: inter λῆψιν καὶ λήψεως τρόπον: δόσις καὶ λῆψις necessaria sunt, τρόπος δόσεως καὶ λήψεως arbitrarius: denique cum finis baptismi non sit depositio sordium carnis, ut propterea totum corpus abluendum, ac fricandum sit: sed regeneratio, & ab omni immunditie peccati purificatio spiritualis. Quamvis autem regeneratio illa totum hominem spectet, non tamen necessarium, ut totum corpus aqua baptismi abluatur, cum vis regenerandi non sit ab aqua, sed a Spiritu sancto, per aquam verbo sanctificatam efficaciter agente; ideoque uno corporis membro, aqua baptismi loto, totius hominis regeneratio a Spiritu sancto perficitur. Id exemplo circumcisionis declaratum fuit superius. Sanguine fœderis adspergebatur populus, ita ut in omnes sparsus diceretur, etiamsi totum cujusque corpus non esset consperssum. Exod. XXIV.

§ C. Scholastici quærunt IV.) *Quodnam corporis membrum sit aqua adspergendum?* Resp. Richardus in lib. IV. sent. dist. 4. q. ult. quod *principaliter caput, seu facies, quia in ea vigent sensus, postea pectus, quod est sedes cordis.* Comp. theol. verit. lib. VI. c. 9. p. 434. *Ablutio fieri debet in digniore corporis parte, videlicet in capite.* Recte tamen addit summa Angelica in verbo baptismus c. 4. q. 2. *tenetur communius, quod qualitercunque quis tingatur, est baptizatus, & quod sufficit adsperso, quantumcunque modica in casu necessitatis.*

Quod membrum tingendum sit?

CAPUT VII.

DE FINE BAPTISMI.

Finis baptismi.

§. CI. Egimus hactenus de causa efficiente, materiali, ac formali baptismi: restat, ut de *fine* & *effectis* ejusdem disseramus. Cum enim baptismus non sit simpliciter aqua, sed aqua verbo Dei comprehensa, sanctificata, ac unita, ideo non adhibetur eo fine, ut corporis sordes abluat; (quo fine communis aqua adfundi solet) 1 Petr. III. 21. sed est divinum & salutare medium atque organum, per quod tota sacrosancta Trinitas efficaciter ad salutem hominis operatur. Quamvis autem varii ac multiplices sint baptismi effectus, eos tamen omnes secuti apostolum Tit. III. 5. ad hæc duo capita revocabimus, quod baptismus sit lavacrum *1.) regenerationis & 2.) renovationis.* Sane *regenerationis* vocabulum quandoque generale est, ipsam quoque renovationem ambitu suo complectens: interim tamen proprie & adcurate loquendo regeneratio a renovatione distincta est, ut ostendimus in tract. de justificat.

Baptismum esse medium regenerationis.

§. CII. Baptismum esse medium regenerationis, 1.) expressis verbis docet Christus. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Ubi baptismum cum naturali nativitate comparat: ut ergo per naturalem nativitatem homo nascitur ad hujus vitæ usuram: sic per baptismum, utpote spiritualem nativitatem ad vitam animæ & bona cœlestia renascitur. Et apostolus Tit. III. 5. *Juxta misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (*). 2.) Quo perti-

(*) Contra dictum Tit. III. 5. excipit Smalcius in catech. de officio Christi proph. c. 4. *purificationem per verbum per figuram dici lavacrum, ut Eph. V. 26. Hebr. X. 22.* Resp. 1.) Uterque locus de baptismo aquæ agit, nihil ergo probat adversarius. 2.) Nec sequitur, vox *lavacri*

pertinent hi typi: a.) quod Gen. I. 3. Spiritus sanctus dicitur aquis in prima creatione *incubuisse*, easque fructiferas reddidisse: eodem namque modo ad παλιγγενεσίαν, quæ est ἀνάκτισις, aqua baptismi utitur. b.) Quod Ezech. XLVII. 9. *aquae subter limen domus Dei egressae, quidquid contigerant, sanasse ac vivificasse* dicuntur. Referenda etiam huc piorum veterum dicta. Dionysius de eccl. hierarch. c. 2. vocat ἀναγέννησιν, Θεογενεσίαν. Justinus in dial. cum Tryphone p. 178. vocat ὕδωρ τῆς ζωῆς. Irenæus lib. I. adv. hæres. cap. 18. τὸ βάπτισμα τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως Cyrillus Hieros. in præf. catech. p. 6. *Baptismus est animae regeneratio* (*). Leo serm. IV. in solenn. nat. *Aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & virginem.* Optatus Milevitanus lib. II. advers. Parmen. *In sacramentis Trinitati occurrit fides credentium, & professio, quae apud acta conficitur angelorum, ubi miscentur cœlestia & spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut, dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritualiter Deo. Sic fit hominum Pater Deus, sancta fit mater ecclesia.* Chrysost. homil. XXV. in cap. III. Joh. *Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua, siquidem in aqua fingitur & formatur.* Cassiodorus in Cant. cap. VII. *Est fons divinus, quo fideles in novam creaturam regenerantur.* Lutherus tom. III. lat. fol. 157. *Est puerpera regni cœlorum* (**). Dulcissimos versus Paulini:

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem &c.

superius §. 74. recensuimus.

Dictum Christi Joh. III. 5. de baptismo agere.

§. CIII. Antequam vero hinc abeamus, demonstrandum fuerit dictum Christi Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu* &c. de baptismo accipiendum. Cum enim verbis hisce solis radio scriptis aquæ baptismi regeneratio diserte tribuatur, ideo quidam subterfugia quærunt, negantes, ea de baptismo accipienda esse. Zwinglius in lib. de baptismo tom. II. p. 69. & 93. aquam exponit de *agnitione Christi & de consolatione fidei.* Calvinus quamvis verborum evidentia convictus in epist. p. 377. concedat, locum illum de baptismo intelligi posse, id ipsum tamen libr. IV. inst. cap. 16. sect. 25. rursus negat. *Falluntur*, (inquit) *qui baptismi mentionem fieri putant Joh. III. quia aquae nomen audiunt:* mox aquam *pro Spiritu* accipiendam esse docet, ita ut nomen posterius ἐξηγητικὸν sit prioris. *Neque haec* (inquit) *est nova locutio; prorsus enim eum illa, quae habetur Matth. III. convenit: qui me sequitur, ille est, qui baptizat Spiritu sancto & igne.* Tandem addit: *Scio alios aliter interpretari, sed hunc esse genuinum sensum, non dubito, & tenenda est simplex sententia: neminem, donec renovatus fuerit aqua viva, id est, Spiritu, posse ingredi in regnum Dei.* Quam interpretationem repetit, & commendat in epist. l. d. Petrus Martyr in loc. comm. class. IV. c. 9. sect. 26. aquam exponit *de gratia Dei, quae mentem fidelium suaviter irriget, ac fœcundet.* Bullingerus in Joh. p. 29. locum illum in genuino sensu, & secundum literam de baptismo intelligendum esse itidem negat: unde factum, ut locus ille pulcherrimus in confessionibus Helveticis & Gallicis cap. de baptismo

cæ alicubi significat *purificationem per verbum*, ergo & hoc loco. 3.) Subordinata sibi invicem vitiose opponuntur. Deus purificat per verbum & sacramenta. Eph. V. 26. per *verbum* intelligitur verbum institutionis & ordinationis divinæ in baptismo, quodque ad baptismi formam pertinet. GERHARDUS.

(*) Basilius in exhort. ad bapt. vocat λύτρον *captivorum, mortem peccati, renovationem animæ, vehiculum cœli.* GERHARDUS.

(**) Idem tom. VI. p. 306. *Inspiciatur baptismus, ut merus sanguis Filii Dei & merus ignis Spiritus sancti, in quo Filius Dei per suum sanguinem nos sanctificat, Spiritus sanctus igne suo nos lavat, Pater luce sua & splendore nos vivificat, ita ut singulæ personæ præsentes adsint, unum & idem divinum opus operentur, & omnem suam vim & virtutem baptismati infundant.* GERHARDUS.

prætermissus fuerit. Idem in decad. serm. VIII. p. 353. aquam metaphorice *de Spiritu sancto*, seu *de renovatione cordis per Spiritum sanctum interpretatur*. Gualterus in homil. in Joh. p. 39. aquam potissimum *de verbo Dei* intelligendam esse dicit. Beza in confess. fid. locum hunc sicco pede præterit; alibi *de immenso Dei amore* aquam interpretatur. Chassanio libr. II. loc. cap. 47. circa finem, *Baptismi necessitatem veteres ex loco Joh. III. 5. perperam intellecto collegerunt, non enim agitur ibi de baptismi sacramento, sed de regenerationis, & Spiritus sancti gratia, sine qua nemo regni Dei mysteria percipere potest.* Vorstius in Anti-Bellarmino tom. III. controv. pena 2. ad thesin 2. in solut. object. *Joh. III proprie non de externo corporalis aquae baptismo, sed de aqua spirituali tantum agitur.* Ad thes. 5. in cens. *locum Joh. III. impertinenter huc trahi, & Anabaptistis opponi* (*).

§. CIV. Nos opponimus illis sequentia fundamenta. 1.) Nulla potest adferri necessitas, propter quam a litera in explicatione verborum Christi discedendum sit. 2.) Nec inveniunt, ubi pedem figant, qui literæ insistere nolunt, ut variæ ac diversæ illæ interpretationes ostendunt. 3.) Non est fidei interpretis, ex peregrinis locis varias vocabuli significationes quærere, easdemque textui inferre, sed ex contextu genuinam explicationem eruere: non enim hoc quæritur, quomodo variæ cujusque loci interpretationes excogitari possint, sed quæ genuina & propria ejus sit sententia. 4.) Ostendit autem contextus, scopus, ac tenor verborum, de baptismo Christum agere: vult enim Nicodemo medium regenerationis ac salutis ostendere. Atqui illud medium est baptismus Tit. III. 5. 1 Petr. III. 21. (**). 5.) Christus describit regenerationem omnibus salvandis necessariam ab efficiente principe, scilicet Spiritu sancto, & instrumentali, scilicet aqua baptismi: perinde ut apostolus: Tit. III. 5. *juxta misericordiam suam* (Deus) *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* 6.) Ac proinde verba illa non sunt ἐξηγητικὰ, sed Christus utrumque conjungit, aquam scilicet externum baptismi elementum, & Spiritum sanctum efficaciter interius per aquam operantem. 7.) Quin imo Christus digitum intendit in baptismum Johannis, qui fuit *consilium illud Dei* de regeneratione ac salute, *quod spreverunt pharisaei & scribae*, Luc. VII. 30. quem quotquot in vera pœnitentia & fide susceperant, iram venturam effugere potuerunt. Matth. III. 7. 8.) Totus chorus antiquitatis dictum istud de baptismo accipit. *Hanc Christi sententiam* (scribit Marloratus ex Bucero in h. l.) *omnes pene de baptismo interpretantur.* Vide Augustinum tract. 11. & 12. in Joh. Cyrillum libr. I. in Joh. cap. 42. Chrysostomum hom. XXIII. in Joh. Theophylactum in h. l. 9) In verbis Johannis baptistæ: *Hic est, qui baptizat Spiritu & igne*, vox *ignis* non est *metaphorica*, sed denotat externum illud symbolum, in quo & per

(*) Piscator in schol. h. l. p. 603. *ex aqua & Spiritu, id est, ex Spiritu sancto exferente quasi vim aquæ, figura loquendi, quæ nominatur ἑνδιάδυο, quasi dicatur, ex aqua, quæ est Spiritus.* Postea tamen addit: *Si quis per aquam hoc loco malit intelligere sacrum baptismum, tum duæ istae regenerationis causæ sapienter erunt distinguendæ, ne quod proprium est Dei, tribuatur creaturæ.* Idem amplectitur cupide Schmalcius in catech. de off. Christi proph. cap. 4. ac pro illa explicatione adfert dictum Matth. III. 11. *ipse baptizabit vos Spiritu sancto & igne.* Socinus in epist. ad Siemichoviam p. 376. *Ut doctissimi viri plurimi ante me animadverterunt, Christus cum Joh. III. 5. aquam nominat, non intelligit hanc terrenam aquam, nec aliquid re ipsa diversum a Spiritu, quem similiter ibidem nominat, quemadmodum sequentia verba indicant, in quibus nulla prorsus aquæ mentione facta Spiritus tantum meminit.* GERHARDUS.

(**) Tum temporis vero insignis ille per aquas baptizandi ritus introductus erat, & magna auctoritate subinde usurpabatur. Omnino ergo loquitur Christus de tali regeneratione, quæ fit per aquam & per Spiritum. GERHARDUS.

per quod in die Pentecostes datus fuit Spiritus sanctus, videlicet linguas igneas. Pari ratione dicendum, quod in verbis Christi vox *aquae* non sit *metaphorica*, sed denotet externum illud symbolum, per quod Spiritus sanctus in baptismo ad regenerationem efficaciter operatur (*).

§. CV. Quo minus *aquae* nomen de baptismo accipiant, moveri se dicunt his rationibus:

Exceptiones adversariorum.

I.) *Sequeretur ex hac interpretatione, hominem non posse salutem adsequi, nisi aqua baptismi fuerit ablutus.* Resp. hac de re dicetur inferius in quæstione de infantibus ante usum baptismi ex hac vita decedentibus (**). II.) *Praepostere salutis fiducia sub signo includetur.* Resp. verbum & sacramenta sunt media salutis divinitus instituta: quisquis ergo id tribuit verbo & sacramentis, quod Deus ipse illis tribuit, non avertit cordis fiduciam a Deo, sed debitum potius honorem & reverentiam ipsi praestat: distinguendum enim inter causam salutis *principalem*, & *instrumentalem*: principalis causa salutis soli Deo tribuenda, ideoque cordis fiducia in ipsum solum collocanda, instrumentalis vero causa salutis & efficacia spiritualis verbo & sacramentis nihilominus relinquenda, quod ipsum quisquis praefracte negat, ad Carolstadii & Swenckfeldii castra transit. III.) *Tota scriptura non elemento, sed Spiritui Dei regenerationis vim merito tribuit.* Resp. subordinata non sunt sibi invicem opponenda; Spiritui sancto tribuitur vis regenerationis, ut causae principali; aquae vero ut causae instrumentali; aqua enim baptismi non est simpliciter aqua, sed aqua verbo Dei comprehensa, Spiritu sanctificata, & sanguine Christi quasi mixta, ut fiat efficax regenerationis medium. Eph. V. 26. *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo.* Tit. III. 5. *Deus salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1 Petr. III. 21. *Baptisma nos salvat.* IV.) *Cum Christus subjicit rationem, cur renasci oporteat, praeterita aquae mentione, solo Spiritu, quam exigit, vitae novitatem constare docet; unde sequitur, aquam non esse a Spiritu separandam* (***). Resp. non separamus aquam a Spiritu, cum regenerationis vim & efficaciam non a naturali quadam aquae proprietate ipsi inhaerente, sed a Spiritu sancto per aquam baptismi efficaciter agente provenire statuamus: ipsi vicissim non separent Spiritum a baptismi aqua, sed agnoscant, verbo Dei haec duo arctissime conjuncta baptismum constituere, efficax & salutare regenerationis lavacrum. Quamvis vero Christus in

(*) Insuper 1.) ταυτολογία Spiritui sancto praeter omnem causam adfingeretur, *ex aqua & Spiritu*, id est, ex Spiritu & Spiritu. 2.) Demonstrandum, vocem *aquae* nude juxta Spiritum positam denotare Spiritum sanctum. Nullum exemplum proferri potest. 3.) Aquae mentio non clariorem, sed obscuriorem reddidisset Christi sententiam, si de solo Spiritu egisset. Si Calviniani ita perrexerint scripturam depravare & detorquere, parum aberit, quin baptismum aquae in totum negent, & ubique nomine *aquae* Spiritum sanctum intelligant. Sed de baptismo hoc dictum intelligendum esse, ipse agnoscit Trelcatius libr. II. instit. p. 209. GERHARDUS.

(**) 1.) Falsa praesupponitur hypothesis, quasi quae copula & connectuntur, paris sint necessitatis. Contrarium evincit Martyr in 1 Cor. VII. ex illo apostoli Rom. X. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum & corde credideris.* 2.) Loquitur salvator de ordinaria institutione, non de extraordinariis casibus. Confer Gen. XVII. 14. cum Jos. V. 7. GERHARDUS.

(***) Calvinus libr. IV. inst. c. 16. sect. 15. in harm. p. 754. *Mihi in hac re contextus suffragatur. Nam cum mox rationem Christus subjungit, cur nos renasci oporteat, praeterita aquae mentione, solo Spiritu, quam exigit, vitae novitatem constare docet, unde sequitur aquam non esse a Spiritu separandam.* Idem habet catechesis Racoviensis p. 261. Resp. 1.) Efficaciam Spiritus ab aqua baptismi non separamus, sed cum Spiritu conjungimus, sicut *verbum & Spiritus* conjunguntur 1 Petr. I. 23. Jac. I. 18. Spiritus sanctus non convertit nos enthusiastica ratione, sed per verbum & sacramenta. 2.) Causae principalis positio non est instrumentalis exclusio. GERHARDUS.

in sequentibus solius Spiritus mentionem faciat dicens: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Joh. III. 6. *Sic est omnis natus ex Spiritu.* v. 8. Ex eo tamen inferri nequit, quod aqua baptismi non sit externum illud organum, per quod Spiritus sanctus regenerationem operetur: illud enim in præcedentibus verbis diserte & expresse Christus docuerat: nefaria hæc est divulsio, & separatio aquæ a Spiritu, cujus nos reos agere frustra laborant.

Ad regenerationis fructum pertinet 1.) Quod per baptismum fides accenditur.

§. CVI. Ex hoc baptismi fructu (regenerationem intellige) promanat, imo ad eum pertinet I.) Quod per baptismum fides a Spiritu sancto in corde baptizati accenditur. Cum enim baptismus sit lavacrum regenerationis, ut ex verbis Christi & apostoli evidenter ostendimus, atque efficax medium remissionis peccatorum, υἱοθεσίας & salutis æternæ, ut paulo post demonstrabitur, ex eo immote evincitur, quod Spiritus sanctus in cordibus illorum, qui operationi ejus actuali impœnitentia ac pertinacia non resistunt, per baptismum fidem accendat: siquidem tota scriptura testatur, sine fide nec regenerationem nec remissionem peccatorum, nec υἱοθεσίαν, nec salutem æternam locum habere. Præterea baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua verbo Dei conjuncta: jam vero verbum Dei est medium illud, per quod Spiritus sanctus fidem in cordibus hominum ad regenerationem & salutem ipsorum accendit. Joh. XVII. 20. *Rogo pro illis, qui per verbum ipsorum in me credent.* Rom. X. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* 1 Petr. I. 23. *Regeniti estis ex incorruptibili semine, nimirum ex vivo Dei verbo,* &c. Huc etiam refero, quod Paulus Gal. III. 27. dicit, nos *Christum in baptismo induere:* illud ἐνδύσασθαι significat specialem beneficiorum Christi adplicationem ac spiritualem cum Christo unionem, quæ absque fide non habet locum, quod confirmat ἰσοδυναμία verborum in disputatione illa apostolica, cujusmodi sunt *fieri filium Dei per fidem in Christum, fieri semen Abrahae Patris credentium, esse ex fide &c.* Quo etiam pertinet, quod veteres baptismum vocant fidei sacramentum, non solum, quia obsignat divinas promissiones, sed etiam quia Spiritus sanctus per illud fidem operatur, auget, & confirmat (*).

2.) Quod per baptismum remittuntur peccata.

§. CVII. II.) Quod baptismus est efficax medium remissionis peccatorum, id quod probatur I.) ex evidentibus novi testamenti dictis. Marc. I. 4. Luc. III. 3. *Iohannes baptizavit & praedicavit baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum,* Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* Act. XXII. 16. *Exsurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Rom. VI. 3. *Quotquot in Christum Iesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt.* (per baptismum participes facti beneficiorum, quæ Christus morte ac passione sua promeruit, inter quæ eminet remissio peccatorum; tam vere ipsis propter Christi mortem remissa sunt peccata, ac si ipsi pro peccatis suis essent mortui. 2 Cor. V. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt*) 1 Cor. VI. 11. *abluti estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & in Spiritu Dei nostri.* Eph. V. 26. *Christus mundavit ecclesiam suam lavacro aquae in verbo,* v. 27. *ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed sit sancta & immaculata-* 1 Petr. I. 2. *Electis secundum praescientiam Dei Patris in san-*

(***) Observa insuper, quod Paulus ibi agat de negotio justificationis hominis peccatoris coram Deo, ut monstrat συνέκεια quatuor priorum capitum ad Galatas. Capite enim tertio ita infert: *Postquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus. Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.* Sed quia poterat interrogari, quando simus filii Dei facti? mox subjicit: *Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis.* Ergo baptizari in Christo, est Christum induere & fieri filium Dei per fidem. GERHARDUS.

sanctificationem Spiritus, in obedientiam & adspersionem sanguinis Iesu Christi, (hæc adspersio sanguinis Christi non solum per evangelii prædicationem, sed etiam per usum sacramentorum fidelibus contingit) 1 Joh. I. 7. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato,* (hic sanguis Christi in baptismo ad emundationem spiritualem nobis adspergitur) II.) Idem probatur ex veteris testamenti vaticiniis Ezech. XVI. 9. *Ablui te a sanguine.* cap. XXXVI. 25. *Adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* Mich. VII. 19. *Projiciam peccata vestra in profundum maris.* Zach. XIII. 1. *In illo tempore erit fons patens domui Davidis & civibus in Hierusalem contra peccata & immunditiem.* III.) Ex veteris testamenti typis, quales sunt *diluvium;* Gen. VII. (*). *Lotiones Leviticae;* Lev. XV. *adspersio aquae ex cineribus vaccae rufae paratae;* Num. XIX. *mundatio Naamanis a lepra.* 2 Reg. V. Ut enim aquæ illæ ad corporalem munditiem profuerunt, ita baptismus spiritualem nostram immunditiem tollit. Refero huc, quod in signum spiritualis mundationis ac sanitatis per baptismum tempore Theodosii junioris accidisse refert Socrates libr. VII. histor. cap. 4. *Iudaeum quendam paralyticum & multis annis lecto adfixum omnibus medicamentis & Iudaeorum precibus ad sanitatem illi restituendam nihil conferentibus, cum tandem vera fiducia ad baptismum christianorum, velut ad remedium efficacissimum, confugisset, postquam ab Attico, episcopo Constantinopolitano, de fide in Christum recte institutus esset, una cum lecto ad baptismum deportatum: quem cum sincera fide ab Attico recepisset, subito a morbo liberatum, ac longi temporis sanitate divinitus donatum fuisse, atque hoc ipsius exemplo multos ex gentibus ad usum, amorem & admirationem baptismi invitatos, & in Christo lucrifactos esse.* Nicephorus libr. VII. histor. cap. 33. refert, *Constantinum magnum a lepra in baptismo liberatum esse.* Sed de hac Constantini lepra non immerito dubitatur, cum Eusebius & reliqui ecclesiastici scriptores veteres nullam ejus mentionem faciant. Socrates libr. V. histor. cap. 6. narrat, *Theodosium morbo correptum, posteaquam ab episcopo Thessalonicensi baptizatus fuisset, melius habuisse.* Vincentius libr. XXIII. cap. 76. refert de Arnulpho, quod *ab eo leprosus quidam baptizatus statim inter baptizandum cœperit sanari, & aliam induere carnem.* IV.) Ex reliquis baptismi effectis. Si enim per baptismum *regeneramur,* Tit. III. 5. *in fœdus Dei recipimur,* 1 Petr. III. 21. *iram venturam effugimus,* Matth. III. 7. *filii Dei reddimur,* Gal. III. 26. *ac salvamur;* 1 Petr. III. 21. utique etiam baptismus ad remissionem peccatorum est efficax, siquidem omnia illa beneficia remissionem peccatorum habent conjunctam. Si fide *Christum* in baptismo *induimus,* utique etiam remissionem peccatorum consequimur. Act. X. 43. V.) Ex adpellationibus lavacri, lotionis, mundationis, quæ baptismo tribuuntur Ephes. V. 26. Tit. III. 5. Hebr. X. 22. Quo etiam pertinet lotio pedum; Joh. XIII. 8. defluxus aquæ & sanguinis ex Christi latere; Joh. XIX. 34. mare vitreum coram throno agni. Apoc. IV. 6. &c. Justinus in dial. cum Tryph. p. 178. vocat λοῦτρον τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ θεοῦ γέγονεν. Et postea: τὸ βάπτισμα τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον. Epiphanius libr. I. tom. I. hæres. 8. Baptismus est μεγάλη περιτομὴ, *circumcidit enim nos a peccatis.* Cyrillus Hieros. præfat. catech. p. 6. *Baptismus est peccatorum remissio & mors peccati.* Tertullianus libr. IV. adv. Marcion. p. 231. *Baptismus est lavacrum compendiosum.* Origenes homil. XV. in Jos. *Annon*

(*) *Ægyptiorum in mari rubro exstinctio.* (Augustinus conc. I. in Psalm. CXV. *Sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in baptismo peccata nostra demersa & exstincta luce clarius intimat propheta dicens,* projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Gregorius libr. IX. epist. 39. *Qui dicit peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* GERHARDUS.

non ita credimus, quia omne genus peccati, cum ad salutare lavacrum venimus, aufertur? Eusebius Emiss. serm. fer. VI. *Ecce quidquid iniquitatum sempiternus ignis excoquere & expiare vix posset, subito sacro fonte submersum est, & de aeternis debitis brevissimo lavacri compendio cum indulgentissimo creditore transactum est.* Nazianzenus orat. XL. in bapt. p. 637. ἡ γέννησις ἐκ βαπτίσματος πᾶν ἀπὸ γενέσεως κάλυμμα περιτέμνει ἢ πρὸς τὴν ἄνω ζωὴν ἀναγάγει (*). Ambrosius libr. I. de pœn. c. 7. *In baptismo est remissio omnium peccatorum.* Libr. III. de Spir. S. cap. 19. *In baptismo peccata donari non est ambiguum.* Hilarius in Psalm. LXIV. *Crimina, quae inique extra legem Dei geruntur, novae generationis sacramento abluuntur.* Beda libr. I. cap. III. in Joh. *Peccator in fontem descendit, purificatus adscendit: descendit filius mortis, adscendit filius resurrectionis: descendit filius praevaricationis, adscendit filius reconciliationis: descendit filius irae, adscendit filius misericordiae: descendit filius diaboli, sed adscendit filius Dei.* Phavorinus: βάπτισμα ἐν ᾧ βάλλεται, ἦγεν πίπτει τὸ παιδίον.

3.) *Quod fœdus gratiæ nobiscum Deus erigit.*

§. CVIII. III.) Quod Deus in baptismo fœdus gratiæ nobiscum erigit, quod complectitur remissionem peccatorum & donationem Spiritus sancti. Jer. XXXI. 31. & 34. Probatur id 1.) ex generalibus scripturæ pronunciatis, quæ de fœdere gratiæ cum hominibus inito agunt. Esaj. LV. 3. *Feriam vobiscum aeternum fœdus.* Jer. XXXII. 40. *Statuam cum illis pactum sempiternum.* Os. II. 19. *Desponsabo te mihi in sempiternum &c.* Id namque in baptismo fieri adparet. 2.) Ex specialibus pronunciatis de baptismi fructu. 1 Petr. III. 21. *Cui correspondens baptisma etiamnum nos salvat, non depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum per resurrectionem Iesu Christi.* (τὸ ἐπερώτημα significat interrogationem & responsionem, quemadmodum in fœderibus & contractibus pars una interrogat, altera respondet; ita conscientia nostra ex fœdere, in baptismo nobiscum inito, potest esse certa de Dei gratia, cujus fundamentum consistit in resurrectione Christi. LXX. interpretes utuntur hac voce, quando in certis casibus os Domini pios vet. test. confuluisse adserunt) 1 Joh. V. 6. *Hic est, qui venit cum aqua & sanguine, Christus Jesus, non cum aqua solum, sed cum aqua & sanguine.* (Si cum aqua baptismi Christus ad nos venit, utique baptismus erat medium, per quod beneficiorum Christi reddimur participes, & in fœdus Dei recipimur) v. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres in unum sunt.* (Spiritus sanctus testatur in verbo, quod est ministerium Spiritus, nos esse in fœdus gratiæ receptos, & hoc fœdus confirmat sigillis sacramentorum, baptismo scilicet & cœna dominica.)

(*) Canon Nicæn. ecclesiæ cathol. sententiam exponens sic habet: *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus contemplandum est. Aquam vides? considera divinam vim, quae in aquis latet. Nos enim Spiritu & igne baptizari tradunt sacra eloquia. Nam in fide ejus, qui baptizat, & ejus, qui baptizatur, per sanctam invocationem plenas sanctificationis Spiritus & divini ignis cogita aquas. Ipse enim inquit:* baptizabit Spiritu sancto & igne. *Itaque descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius & corruptionis servitute detentus. Adscendit autem ab ea servitute & peccatis liber, filius Dei & haeres gratiae Dei factus, cohaeres autem Christi, ipsum induit Christum, sicut scriptum est: Quotquot baptizati estis in Christum, Christum induistis.* Symbol. Nicæn. *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Ambrosius in Rom. IV. *Propheta* (David) *tempus felicis praevidens in salvatoris adventu beatos nuncupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lavacrum regenerationis remittuntur & tegnntur & non imputantur peccata.* Ibidem: *Ex dono baptismatis apostoli profitentur, non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed justificari & filios Dei fieri, ut beatitudo haec perfectam habeat securitatem & gloriam.* Item: *Omnes gradus peccatorum baptismate obliterantur.* Gerhardus.

nica.) 3.) Ex typis vet. teſt. Ad Noachum arcam ingredi juſſum dicit Dominus: Gen. VI. 18. *Statuam tecum fœdus, & ingredieris arcam &c.* Huis antitypon *baptiſma nos ſalvat, ut bonae conſcientiae interrogatio erga Deum.* 1 Petr. III 21. Per circumciſionem cum Abrahamo & poſteris ipſius ſeſe *pactum inire* Deus adſerit, Gen. XVII. 10. Iam vero in circumciſionis locum ſucceſſit baptiſmus. Col. II. 11. Sic Exod. XXIV. 8. adſpergit Moſes populum Iſraeliticum ſanguine ſacrificiorum, dicens: *En hic eſt ſanguis fœderis, quod erigit Deus vobiſcum.* Pari ratione ipſius Chriſti ſanguine, qui eſt nov. teſt. ſanguis, in *baptiſmo adſpergimur.* 1 Petr. I. 2. *ad emundationem peccatorum,* 1 Joh. I. 7. & in fœdus gratiæ a Deo recipimur. Dionyſius in hierarch. eccl. cap. 3. baptiſmum vocat *ſigillum pactionis divinae.* Baſilius in bapt. σφραγίδα ἀνεπιχείρητον. Oecumenius in 1 Petr. III. τὸ ἐπερώτημα interpretatur ἀῤῥαβῶνα, ἐνέχυρον καὶ ἀπόδειξιν (*).

4.) *Quod Chriſtum induimus.*

§. CIX. IV.) Quod Chriſtum in baptiſmo induimus, ipſiusque juſtitia velut ſplendida quadam veſte nos Deo commendante ornamur. Eſaj. LXI. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, qui operit me veſtibus ſalutis & pallio juſtitiae induit me;* id in baptiſmo fieri teſtatur apoſtolus Gal. III. 27. *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* (Cujus dicti talem paraphraſin proponit Lutherus tom. IV. Jen. fol. 115. *Non accepiſtis per baptiſmum teſſeram tantum, per quam adſcripti eſtis numero chriſtianorum, ut noſtro tempore multi fanatici ex baptiſmo teſſeram tantum ſeu nudum & inane ſignum faciunt; ſed quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, hoc eſt, eſtis extra legem, rapti in novam nativitatem, quae facta eſt in baptiſmo; ideo, inquit, non eſtis amplius ſub lege, ſed novo indumento, hoc eſt, juſtitia Chriſti veſtiti eſtis. Docet ergo apoſtolus, baptiſmum non ſignum, ſed indumentum Chriſti, imo ipſum Chriſtum noſtrum indumentum eſſe, quare baptiſmus potentiſſima & efficaciſſima res eſt.* Et paulo ante: *Induere Chriſtum dupliciter intelligitur, legaliter & evangelice. Legaliter Rom. XIII.* Induamini Dominum Ieſum Chriſtum, *hoc eſt, imitemini exemplum & virtutes ejus. 1 Petr. II.* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum. *Induere Chriſtum evangelice non eſt imitationis, ſed nativitatis & creationis novae, quod videlicet ego induor ipſo Chriſto, id eſt, ipſius innocentia, juſtitia, ſapientia, potentia, ſalute, vita, Spiritu.* Idem in enarr. h. l. *In baptiſmo non datur veſtitus legalis juſtitiae, aut noſtrorum operum, ſed Chriſtus ſit indumentum noſtrum. Is autem non eſt lex, non legislator, non opus, ſed divinum & inenarrabile donum, quod donavit nobis pater, ut eſſet juſtificator, vivificator & redemtor noſter.* 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus.* (per baptiſmum facti ſumus membra Chriſti & participes beneficiorum ipſius, Spiritu ſancto efficaciter operante fidem in cordibus noſtris, per quam Chriſtus corporis myſtici caput in nobis vivit, ſibique nos incorporat, quæ eſt beata illa σύμφυσις καὶ ἐμφύτευσις, cujus meminit Chriſtus Joh. XV. 4. & apoſtolus Rom. VI. 5.) Baſilius de bapt. & Cyrillus Hieroſolym. in præfat. catech. βάπτισμὸς ἔστι ἔνδυμα φωτεινόν.

5.) *Quod in filios Dei adoptamur.*

§. CX. V.) Quod per baptiſmum in filios Dei adoptamur; id quod ex priori concludere nos docet apoſtolus Gal. III. 26. *Omnes eſtis filii Dei per fidem in Chriſtum Jeſum; v. 27. quotquot enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* (ubi notanda eſt ſuaviſſima illatio apoſtoli: per fidem in baptiſmo Chri-

(*) Nazianzenus orat. XL. de bapt. εἰ γάρ δὰ συντόμως εἰπᾶν, συνθήκας πρὸς θεὸν δευτέραν βίκ καὶ πολιτείας καθαρωτέρας ὑπολητέον τὴν τᾶ βαπτισμᾶ δύναμιν. *Ut compendio dicam, nihil aliud eſſe vim & facultatem baptiſmi exiſtimare debemus, quam ſecundae vitae ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum.* GERHARDUS.

Christum induistis. Ergo estis Dei filii; nimirum quia Christus est naturalis & unigenitus Dei filius, per quem in filios Dei adoptamur, *diligimur in dilecto* Eph. I. 6.) Eodem modo ex reliquis baptismi effecti, concludimus. Baptismus est *lavacrum regenerationis*. Tit. III. 5. Jam vero *qui ex Deo nati sunt, Dei filii censentur*. Joh. I. 13. Ergo per baptismum filii Dei reddimur (*). In baptismo donatur fides in Christum. Jam vero qui in Christum credunt, sunt Dei filii. Joh. I. 12. Ergo. In baptismo datur remissio peccatorum. Jam vero, quibus peccata sunt remissa, illi sunt Dei filii. Matth. IX. 2. Ergo. Per baptismum recipimur in fœdus gratiæ. Jam vero qui in fœdus gratiæ sunt recepti, sunt Dei filii. Lev. XXVI. 11. Esaj. LII. 11. 2 Cor. VI. 18. Ergo. Hieronymus in cap. III. Gal. *Toti membra ejus & filii Dei effecti estis*. Lutherus tom. III. lat. f. 157. baptismum pulcerrima adpellatione vocat *puerperam regni cœlorum*.

6.) Quod ex potestate & regno Satanæ liberamur.

§. CXI. VI.) Quod per baptismum ex potestate & regno diaboli liberamur. Hic fructus ponitur a Luthero in catech. minore & ex superioribus sequitur. Qui enim transferuntur in regnum gratiæ, adoptantur in Dei filios, consequuntur remissionem peccatorum, illi e potestate & regno diaboli liberantur. Col. I. 13. *Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti Filii sui*, v. 14. *in quo habemus redemtionem, remissionem peccatorum*. Jam vero per baptismum transferimur in regnum gratiæ, adoptamur in Dei filios, consequimur remissionem peccatorum &c. Ergo etiam per baptismum ex regno & potestate diaboli liberamur. Hac de re pulcerrime scribit Cyprianus libr. IV. epist. 7. ad Magnum circa medium: *In baptismo omnes nequitiæ vires diabolus amittit;* id declarat typo Pharaonis in mari rubro submersi & subjungit: *Sicut scorpii & serpentes, qui in sicco praevalent, in aquam praecipitati praevalere non possunt, aut sua venena retinere: sic & spiritus nequam, qui scorpii & serpentes adpellantur, & tamen per nos data a Deo potestate calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare.* Hesych. libr. I. in cap. V. Lev. *Aqua baptismatis remissionem praebente, mens diaboli conteritur, unde David de Deo dicebat: Tu contribulasti capita draconum subter aquas.* Theodorus in epitome orient. doctrinæ citante Neandro: ὁ εἰς θεὸν ἐχώρησεν καὶ ἐπλήσθη ἐξουσίαν ἐπάνω σκορπίων καὶ ὄφεων περιπατεῖν τῶν δυνάμεων τῶν πονηρῶν. διὰ γὰρ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος σφραγισθεὶς ἀνεπίληπτός ἐστι πάσῃ δυνάμει. Lutherus in cap. XXVII. Gen. *Quando baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, perinde est ac si diceremus: rapio te ex manibus diaboli, & offero te Deo idque vere & realiter* (**) Pertinet huc

(*) Basilius in exhortat. ad bapt. Κήρυσσεται βάπτισμα υἱοθεσίας, καὶ τίς τῶν ἐλπιζόντων ἐς αὐτὸν ἐκ ὑπακέσται; *Dominus prædicat baptismα adoptionis, & quis eorum, qui in eum sperant, non obtemperabit?* GERHARDUS.

(**) Idem cap. XLVIII. Gen. p. 711. *Ego non sum patriarcha Abraham, Isaac, Jacob, sed vide quid faciam? accipio infantem & baptizando eum redimo ipsum a morte & diabolo, a peccatis, & transfero ex regno tenebrarum in regnum lucis.* Et tom. IV. Jen. germ. p. 423. *Rechne du, wann irgend ein Artzt wäre, der die Kunst könte, daß die Leute nicht stürben, oder ob sie schon stürben, darnach ewig lebten, wie würde die Welt mit Geld zuschneien und regnen, daß für den Reichen niemand könte zukommen. Nun wird hier in der Tauffe jederman umbsonst für die Thür gebracht ein solcher Schatz und Artzney, die den Tod verschlinget, und alle Menschen beym Leben erhält.* p. 422. b. *Darumb fasse es auffs aller einfältigste also, daß diß der Tauffe Krafft, Werck, Nutz, Frucht und Ende ist, daß sie selig mache. Denn man tauffte niemand darumb, daß er ein Fürst werde, sondern wie die Worte lauten, daß er selig werde. Selig werden weiß man aber wol, daß nichts anders heisset, denn von Sünden, Tod, Teuffel erlöset, in Christi Reich kommen und in ihm ewig leben.* GERHARDUS.

huc ceremonia exorcismi jam olim baptismo infantum præmitti solita, qua declaratur baptismi efficacia, quod scilicet per illum infantes ex potestate tenebrarum in regnum Filii Dei transferantur.

7.) Quod salus & vita æterna nobis donatur.

§. CXII. VII.) Quod per baptismum salus & vita æterna nobis donatur, id probatur 1.) ex perspicuis scripturæ oraculis. Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire regnum Dei.* (Ergo a contrario sensu: qui renascitur ex aqua & Spiritu, introire potest regnum Dei) Tit. III. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* 1 Petr. III. 21. *Baptisma nos salvat.* (nimirum *instrumentaliter*, quemadmodum Timotheus se ipsum & auditores suos salvare dicitur, 1 Tim. IV. 16. prædicando & tractando evangelium, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16. *& animas nostras salvare potest.* Jac. I. 21.) 2.) Ex reliquis baptismi effectis. Baptismus est *lavacrum regenerationis:* jam vero regeneratio fit ad vitam æternam, Jac. I. 21. Ergo. In baptismo donatur fides. Jam vero, *qui credit in Filium Dei, habet vitam aeternam.* Joh. III. 36. Ergo. In baptismo datur remissio peccatorum. Jam vero ubi est peccatorum remissio, ibi est vita & salus æterna. Psalm. XXXII. 1. Ergo. Per baptismum recipimur in Dei fœdus. Jam vero qui est in Dei fœdere, est hæres vitæ æternæ. 2 Cor. VI. 16. Per baptismum induimus Christum. Jam vero *qui habet Filium, habet vitam aeternam.* 1 Joh. V. 12. Ergo. Per baptismum adoptamur in Dei filios. Quod si *filii Dei sumus, utique & haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Rom. VIII. 17. Ergo. 3.) Ex vet. test. typis. In arca tempore diluvii octo animæ servabantur; Gen. VIII. 18. id Petrus ad baptisma ἀντίτυπον arcæ transfert, 1 epist. III. 20. in quo ad vitam æternam conservamur, & a diluvio iræ divinæ præservamur. Ezech. XLVII. 9. *Subter limen templi egrediuntur aquae sanantes & vivificantes omne, quidquid contigerint.* 4.) Ex apertione cœlorum facta in baptismo Christi, Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc. III. 21. qua significatum fuit, in nostro etiam baptismo, per quem Christo incorporamur, clausas cœli fores nobis aperiri, nosque ex filiis iræ filios gratiæ & hæredes vitæ æternæ fieri, qua de re vide omnino Chemnitium in harm. evang. cap. 17. Huc referenda dicta veterum: Clemens Alexandr. libr. I. pœdag. cap. 6. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Basilius in bapt. & Cyrillus Hierosol. præfat. catech. βαπτισμὸς ἐστι ὄχημα πρὸς οὐρανὸν, βασιλείας πρόξενος. Chromatius in Matth. V. *Renatis in baptismo cœlorum regna patent, quae nobis Filius Dei in corpore ad cœlum adscendens primus aperuit.* Augustinus in libr. II. contra Cresc. Gramm. cap. 13. *Est sacramentum novae vitae ac salutis aeternae.* Theodoretus q. 26. in Genes. *Baptismus dicitur aqua viva, non quod aqua baptismatis eam habeat naturam, sed quia per illam aquam divina gratia donat vitam aeternam.* Beda in Marc. libr. I. cap. 1. *Quod Christus vidit cœlos apertos post baptisma, nostri utique gratia factum est, quibus per lavacrum undae regeneratricis janua panditur regni cœlestis.* Quod igitur Lombardus libr. IV. sent. dist. 3. lit. M. negat, *baptismum aperuisse aditum regni cœlestis*, id intelligendum de adspersione in classe causæ meritoriæ, non autem in classe causæ instrumentalis, ut ex contextu patet.

Renovationem esse fructum baptismi posteriorem.

§. CXIII. Prior ergo baptismi fructus est *regeneratio*, quæ complectitur fidei donationem, peccatorum remissionem, in fœdus gratiæ receptionem, Christi induitionem, in filios Dei adoptionem, ex potestate satanæ liberationem & æternæ salutis possessionem. Posterior fructus est *renovatio*, quæ licet a regeneratione proprie & specialiter accepta distinguatur, individuo

duo tamen & perpetuo nexu cum ea est conjuncta. Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Ergo per baptismum homo non solum renascitur, id est, peccatorum remissionem consequitur, justitiam Christi induit, filius Dei & hæres vitæ æternæ efficitur; sed etiam renovatur, hoc est, datur ipsi Spiritus sanctus, qui intellectum, voluntatem & omnes animæ vires renovare incipit, ut amissa Dei imago in ipso incipiat instaurari, ut homo *interior renovetur:* 2 Cor. IV. 16. ut *vetus homo exuatur & induatur novus:* Col. III. 10. ut spiritus repugnet carni, eique dominetur, ne peccatum in corpore regnum obtineat: monendum tamen, renovationem non esse statim perfectam, sed de die in diem crescere debere, qua de re plura suo loco. De hoc baptismi effectu cumprimis testatur evidens dictum apostolicum: Tit. III. 5. *Baptismus est lavacrum renovationis.* Quidam huc referunt typum diluvii, quo tota rerum universitas velut renovata fuit & immutata, ac dictum Psalm. CIII. 5. *Renovabitur ut aquilae juventus tua.* Veteres huc adcommodant verba apostoli Gal. VI. 15. *In Christo nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed nova creatura.* Hebr. VI. 6. itidem fit mentio ἀνακαινισμὸς εἰς μετάνοιαν, quod de renovatione per baptismum quidam accipiunt. Ambrosius in cap. VI. Rom. *Baptismus mors peccati est, ut alia sequatur nativitas, quae corporis manente compagine hominem mente innovat, sepulta omnium malorum actuum vetustate.* Nazianzenus: εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα ἀγώμεν ἐντεῦθεν λαμπροὶ λαμπρῶς ὑπὲρ χιόνα λάμψαντες ὑπὲρ γάλα τυρωθέντες, ὑπὲρ λίθον σάπφειρον ἀυγασθέντες. Lombardus libr. IV. sent. dist. 3. lit. L. *Causa institutionis baptismi est innovatio mentis, ut homo, qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptismi renovetur, quod fit depositione vitiorum & collatione virtutum. Sic enim fit quisque novus homo, cum abolitis peccatis ornatur virtutibus: abolitio peccatorum pellit fœditatem, adpositio virtutum adfert decorem.*

§ CXIV. Ad hunc baptismi fructum pertinet, I.) quod per baptismum *carnem peccati deponere* dicimur Col. II. 11. *In Christo circumcisi estis circumcisione non manufacta ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς in exuitione corporis peccatorum carnis, in circumcisione Christi.* (Petrus 1 epist. III. 21. negans, baptismum esse depositionem sordium carnis, loquitur de externa corporis immunditie; Paulus vero de interna ac spirituali corporis & animæ immunditie loquitur, quando per baptismum corpus peccatorum carnis exui docet) Huc pertinent typi vet. test. *Diluvium*, per quod omnis caro peccatis corrupta fuit submersa, Gen. VII. 21. *circumcisio*, per quam præputium cordis fuit ablatum. Gen. XVII. 27. II.) Quod cum Christo per baptismum *in mortem consepelimur*, hoc est, quod vetus noster homo in baptismo & per baptismum cum Christo *crucifigitur, interit ac sepelitur, ut resurgat novus homo*, qui in vitæ novitate Deo serviat. Rom. VI. 3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ejus baptizati sumus.* v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus ex mortuis surrexit per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* v. 6. *Scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ulterius non serviamus peccato.* Col. II. 12. *Consepulti estis cum Christo in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem, quam operatur Deus, qui excitavit illum a mortuis* (*). III.) Quod Spiritus sanctus in ba-

Pertinet ad fructum renovationis.

1.) Quod per baptismum peccati carnem deponimus.

2.) Quod cum Christo in mortem sepelimur.

3.) Quod Spi-

(*) Augustinus contra Julian. lib. VI. cap. 1. *Quid est in morte Christi baptizari, nisi peccato mori?* Et postea: *Quomodo Christus moriendo similitudini peccati peccato mortuus prædicatur, ita quicunq e in illo fuerit baptizatus, idem peccato, cujus in Christo similitudo, non veritas, eidem*

ritus sanctus nobis donatur. baptismo nobis donatur; ejus enim operatio est illa regeneratio & renovatio, quæ in baptismo contingit, Joh. III. 6. *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, hoc est, renati per baptismum sentiunt novos motus Spiritus, impelluntur ad vitæ novitatem. Tit. III. 5. *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*, v. 6. *quem effudit in nos opulenter*: idem est Spiritus υἱοθεσίας; Gal. IV. 6. *Quia estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*: idem est arrhabo hæreditatis nostræ, sigillum & obsignatio regenerationis, fœderis & promissionis de vita æterna. 2 Cor. I. 21. 22. Eph. I. 13. & 14. IV. 30. Sic 1 Cor. XII. 13. *in uno Spiritu in unum corpus baptizati* dicimur, hoc est, accipimus in baptismo Spiritum sanctum, qui nos efficit membra corporis Christi mystici. Huc referendum, quod in baptismo Christi Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum descendit Matth. III. 16. quo significatum fuit, baptizatis datum iri Spiritum sanctum, licet non eo modo, nec in tali mensura, in qua Christo secundum humanam naturam fuit datus. Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi & accipietis donum Spiritus sancti* (**). Lutherus in post. eccl. epist. fest. natalit. fol. 65. *In baptismo datur Spiritus sanctus, quia Paulus eum vocat lavacrum renovationis per Spiritum sanctum, imo in baptismo nascimur ex Spiritu sancto.*

4.) Quod Christum induimus. IV.) Quod in baptismo *Christum induimus* Gal. III. 27. Id enim fit non solum ad regenerationem, quatenus fide in Christum omnium beneficiorum ipsius participes reddimur, justitia ejus induimur & hæredes vitæ æternæ scribimur, sed etiam ad renovationem, Rom. XIII. 14. quatenus Christus *per fidem in cordibus nostris habitat* Eph. III. 17. *In nobis vivit*, Gal. II. 20. & fructus Spiritus in nobis operatur Gal. V. 22. Atque hic est novus ille homo, quem induere jubemur Col. III. 10. nimirum *viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, ut ibidem v. 12. exponitur. V.) Quod per baptismum in fœdus Dei recipimur. 1 Petr. III. 21. Hoc enim fœdus complectitur non solum regenerationem & peccatorum remissionem, sed etiam renovationem ac Spiritus sancti donationem. Jer. XXXI. 31. *Feriam cum domo Israel fœdus novum* v. 33. *Legem meam scribam in corda ipsorum*, (hæc est renovatio) v. 34. *et peccatorum ipsorum non recordabor amplius.* (hæc est regeneratio in peccatorum remissione) Ezech. XXXVI. 25. *Adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris*, (hæc est regeneratio) v. 26. *dabo vobis cor novum & Spiritum novum, auferam cor lapideum ex medio vestri, & dabo vobis cor carneum.* (hæc est renovatio) In baptismo est obligatio reciproca, ideo etiam baptismus dicitur ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως, 1 Petr. III. 21. non solum quia conscientia nostra redditur certa de Dei gratia & favore, sed etiam quia obligamur Deo, ut pro summis beneficiis in nos collatis gratos nos ipsi præstemus per omnem vitam *militando bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam*, 1 Tim. I. 19. ipsique obsequentes simus in vita, in vocatione, in cruce.

5.) Quod in fœdus Dei recipimur.

6.) Quod regeneramur. VI.) Denique huc referri possunt omnia dicta, quæ de regeneratione & fructibus ad illam pertinentia

dem rei, cujus illa fuerit similitudo, moriatur. Cap. 2. *Si non pro parvulis Christus mortuus, ut quid baptizantur? Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Sin autem etiam pro eis mortuus est, qui unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt & isti cum omnibus. Et quia in peccato mortui sunt, moriuntur & peccato, ut vivant Deo, quando renascuntur ex Deo.* GERHARDUS.

(**) Cyrillus in Johan. cap. 42. *Ex hoc* (Nisi quis renatus fuerit ex aqua) *discamus, idcirco nos Dei fieri participes, quoniam Spiritum, qui subsistentialiter ex Deo procedit, per baptismum adquirimus, quo in pristinam pulcritudinem reformati & ad novam vitam renati a Deo in filios adoptamur.* GERHARDUS.

nentibus agunt, siquidem renovatio cum regeneratione individuo nexu conjuncta est, Tit. III. 5. *ac fide purificantur corda.* Act. XV. 9. Vera fides *est efficax per caritatem.* Gal. V. 6. Cum remissione peccatorum conjuncta est donatio Spiritus sancti 1 Cor. VI. 11. *Qui est in Christo, est nova creatura. Qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum affectibus & concupiscentiis.* Gal. V. 24. *Qui Spiritu Dei aguntur,* (ad omne opus bonum) *sunt filii Dei.* Rom. VIII. 14. *Et sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Hebr. XII. 14.

Fines baptismi quo modo ab aliis enumerentur.

§. CXV. Atque hi sunt salutares baptismi effectus, quos aliqui hoc ordine enumerant, ut dicant, finem baptismi esse duplicem, *principalem* & *minus principalem.* Finem *principalem* statuunt esse vel propiorem, vel remotiorem. *Propiorem* esse dicunt regenerationem, vocabulo generaliter accepto, ut ipsam quoque renovationem ambitu suo complectatur. *Remotiorem* esse adprehensionem salutis æternæ. *Minus principalem* baptismi finem itidem geminum constituunt, generalem & specialem. *Generalem* finem vocant eum, quod baptismus sit partim testimonium professionis, partim nervus congregationis christianæ: *specialem* vero, quod sit commonefactio de perpetuo fœdere cum Deo inito. Sed enim cum finis ille generalis ad doctrinam de sacramentis in genere pertineat, quin & una cum speciali ad locum *adjunctorum* potius quam finis referendus sit, ideo non opus est multis de eo hic agere. Alii di putant finem baptismi vel proprio vel figurato sermone exprimi. *Proprium* baptismi finem esse regenerationem, νιοθεσίαν, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ. *Allegoricum* sive *metaphoricum* finem consistere in conformitate submersionis in aquam cum submersione veteris Adami: itemque emersionis ex aqua cum emersione novi hominis & secutura tandem liberatione ex omnibus ærumnis. Sed enim cum de hoc allegorico fine baptismi in quæstione de significationibus baptismi rectius agatur, ideo ad propriam sedem eundem remittimus. Alii hac enumeratione utuntur, ut dicant, finem & effectum baptismi esse duplicem, communem & proprium. *Communis* est, quod baptismus sit sigillum promissionis. Hic finis ab ipsis statuitur geminus: alius *internus,* quod baptismus sit sigillum justitiæ & salutis: alius *externus,* quod significationem habeat & tesseram populi Dei. *Proprius* finis statuitur quadruplex: 1.) mundatio a peccatis, 2.) imputatio justitiæ Christi, 3.) renovatio, 4.) adoptio in filios Dei. Sed enim cum de fine communi in generali doctrina de sacramentis actum fuerit, cumque proprii illi fines ad regenerationem & renovationem commodissime referri possint, ideo apostolicam illam enumerationem Tit. III. 5. propositam rectissime sequimur.

Errores circa finem baptismi.

§. CXVI. Ab hac de salutaribus baptismi effectibus ὀρθοδοξίᾳ longissime abeunt Neophotiniani Catabaptistæ, qui disputant, baptismum aquæ non esse institutum eo fine, ut esset ordinarium & perpetuum nov. test. sacramentum ac medium regenerationis ac renovationis, quod durare debeat in ecclesia usque ad finem mundi, sed ut externa isthac ceremonia in auspicio nov. test. de vera ad Deum conversione & interiore a peccatis ablutione homines admonerentur. Catech. Racovienss. major p. 225. 226. (*) His opponenda sunt dicta scripturæ omnia & singula, quæ de institutione, fine & efficacia baptismi agunt, quorum em-

1.) Photinianorum,

quod baptismus sit ceremonia externa certi tantum temporis.

(*) Augustinus de hæres. ad Quodvultd. cap. 46. Manichæi *baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Fulgentius Donatista negavit, *baptismum abluere peccata,* quem peculiari libello refutavit Augustinus. Dadoes Messalianæ hæreseos magister apud Nicephorum libr. XI. cap. 14. & Theodoretum libr.

emphasis & genuinus sensus, contra adversariorum elusiones diligenter adserendus (*). Subterfugia ipsorum potiora hæc sunt: 1.) *Baptismus est typus interioris ablutionis, unde* Hebr. IX. 10. *refertur inter justitias carnis. Jam vero omnes typi in nov. test. sunt abrogati.* Resp. baptismi illi vet. test. de quibus ep. ad Hebr. loquitur, fuerunt typi, ideoque in nov. test. abrogati sunt, sed baptismus nov. test. est *lavacrum regenerationis & renovationis;* Tit. III. 5. umbræ igitur successit veritas, & typo ἀντίτυπον. 2.) *Sicut prophetæ divinitus excitati adhibuerunt externa quædam signa, quibus ad pœnitentiam homines excitarent: ita Johannes per externam baptismi ceremoniam de pœnitentia & remissione peccatorum homines admonuit.* Joh. Sommerus Pirnenſ. in tract. de bapt. adultorum Ingolst. anno 1583. *Baptismus ad nos nihil pertinet, nec seniori a nobis imitatione usurpatur, quam si quis arcam Noæ,* Gen. VIII. *jugum Jeremiæ,* Jer. XXVIII. *aut regis Joas sagittas,* 2 Reg. XIII. *sine certo Dei jussu & mandato velit imitari & redintegrare.* Resp. ostendimus superius invictis argumentis, baptismum Johannis non fuisse nudam quandam externam ceremoniam, sed efficax medium regenerationis, remissionis peccatorum, υἱοθεσίας & vitæ æternæ. Quid de analogia *significativa* baptismi statuendum sit, paulo post adparebit. 3.) *Mandatum apostolis datum spectat solummodo tempora apostolorum.* Resp. Christus docere & baptizare jubens omnes gentes ostendit, Deum usque ad finem mundi ex omnibus gentibus per prædicationem verbi & baptismi administrationem sibi collecturum ecclesiam. Sic ergo concludimus: Quocunque tempore in nov. test. vixerunt & vivent gentes, eodem etiam debet administrari baptismus: ratio est, quia Christus jubet baptizare omnes gentes. Jam vero non solum temporibus apostolorum, sed & sequentibus, ut & nostris ad novissimum usque diem vixerunt, vivunt & vivent gentes (**). Præterea Christus mandato de

lib. IV. cap. 11. idem negat. Enthusiastæ nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere, solam orationem studiosam inhabitantem fugare dæmonem. Tripartita historia libr. I. cap. 11. Thom. Piscius in respons. ad 8. rat. Camp. p. 95. *Baptismum non esse undam salutis, non canalem gratiæ, non merita Christi in nos derivare, sed ritum & ceremoniam esse, per quam Judæi & gentes christiana religione se devinciebant, est dogma veritati divinæ consonum.* Ostorodus in institut. capite 39. *morem baptizandi retinendum esse propter caritatem christianam, donec ecclesia ipsorum ex verbo Dei certius & plenius discat veritatem,* (hoc est, donec omnes pro re vana baptismum habeant & abrogare discant, quippe cum non sit a Christo institutus) concedit. Smalcius in catech. cap. 4. petit *sibi dari mandatum Dei de pædobaptismo & exempla baptizatorum infantium.* Sommerus in tract. de bapt. adultorum, *baptismum ad tempora apostolorum solum spectare,* scribit. Ex Photinianorum hypothesi baptismus est *solum ritus externus, quo homines e Judaismo vel gentilismo ad religionem christianam accedentes manifeste profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere.* Smalcius in refut. disput. Frantz. p. 310. Catech. Racov. p. 195. Ostorodus instit. cap. 39. §. 1. Socinus disput. de bapt. cap. 2. p. 13. Hactenus GERHARDUS. Nos hoc unicum adjicimus, quod & ARMINII discipuli in eandem fere cum Socinianis descendant sententiam; contendunt enim, quod *baptismus ex parte Dei tantum sit gratiæ quædam significatio, ex parte nostri solum publica nominis christiani professio.*

(*) Notanda cumprimis contra Photinianos seqq. 1.) Scriptura nusquam externæ professionis fini baptismum destinat. 2.) Baptismus Johannis non fuit habitus pro externa ceremonia, sed pro ritu divinitus instituto, Joh. I. 33. Matth. XXI. 32. effectibus divinis pleno, Matth. III. 5, 6, 7, 11. Marc. I, 4. Act. XIX. 4. ex judicio primatum Hierosolymitanorum, Joh. I. 25. plebis Judaicæ, Matth. III. 5. Luc. XX. 6. discipulorum Johannis, Joh. III. 26. Christi Matth. XXI. 24. Luc. VII. 28. 29. Lucæ Evangelistæ VII. 30. 3.) Baptismus Christi a nemine unquam jam inde ab ejus institutione ad hæc usque tempora pro ritu inani fuit habitus. 4.) Ejusmodi typis descriptus est, qui non conveniunt externæ ceremoniæ: arcæ Noæ, 1 Petr. III. 20, 21. defensionis & conservationis Israelitarum per mare rubrum, 1 Cor. X. 2 5.) iis similibus descriptus, quæ non quadrant in ritum externum; utpote fontis, Zach. XIII. 1. lavacri, Eph. V. 26. Tit. III. 5. 6.) iis effectibus laudatus, qui a ritu nudo non proveniunt. GERHARDUS.

(**) Notandum 1.) quod Christus post resurrectionem in cœlos adscensurus solennissime & gra-

de baptismo suavissimam addit promissionem: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; quæ promissio cum sit generalis, non apostolos solum, sed etiam successores ipsorum concernens; ex eo immote colligitur, mandatum de docendo & baptizando itidem esse generale, omnes omnium temporum gentes complectens. Addimus & hoc argumentum: si mandatum de baptismo non esset universale ad omnia tempora nov. test. spectans, sequeretur, homines absque adminiculo baptismi regnum cœlorum ingredi posse. Consequens repugnat verbis Christi Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* 4.) *Mandatum illud accipiendum de baptismo doctrinae, non autem de baptismo aquae, quia apostoli non baptizarunt in nomine Trinitatis, sed in nomine Christi*, Act. II. 38. X. 48. *& Paulus negat se missum esse ad baptizandum.* Resp. hæc exceptio tollit priorem. Si enim mandatum Christi de baptismo doctrinæ accipiendum, utique non solum ad tempora apostolorum, sed ad omnes omnium temporum gentes referendum erit. Utrumque Christus jubet & docere & baptizare omnes gentes. Ergo non de solo baptismo doctrinæ, sed etiam aquæ, hoc est, de verbo & sacramento, de promissione & sigillo agit. Qui debent fieri discipuli Christi, debent etiam baptizari, ratio est, quia Christus utrumque præcipit apostolis. Jam vero ex omnibus gentibus colligendi sunt Christo discipuli. Ergo. (*) Quis vero est ille baptismus doctrinæ? novimus totum ministerium Johannis, quod in docendo & baptizando occupatum erat, baptismi nomine adpellari. Act. XVIII. 25. Sed ex eo non potest colligi, baptisma pro sola doctrina usurpari, ac proinde baptismum doctrinæ excogitandum esse: quin potius a parte eaque sensui magis obvia & propter novitatem miranda fit denominatio totius. Ut ergo baptismus aquæ non excluditur, sed includitur, quando Johannis ministerium *baptismi* nomine adpellatur: ita quoque pari ratione baptismus aquæ non excluſus, sed incluſus intelligitur, quando apostolis docendi & baptizandi ministerium commendatur. Quomodo accipiendum sit, quod in Christi nomine apostoli dicuntur baptizasse, expositum est superius §. 92. quove sensu neget Paulus, se ad baptizandum esse missum docuimus §. 18. object. 2. Ac si vel maxime ex hypothesi concedatur, discipulos solum hæc verba usurpasse: *baptizo te in nomine Christi*, nondum tamen sequeretur, illos sine aqua baptizasse: contrarium enim ipsa praxis in actis

gravissime citra determinationem certæ alicujus durationis discipulis baptismi administrationem injungat. 2.) Sommerus disputat, *quod Joannes prædicaverit Judæis baptismum pœnitentiæ, ut instantem urbis & politiæ interitum evitare discerent.* At quo fine seu ad quas pœnas evitandas omnibus ethnicis Christus baptismum per apostolos novo & inusitato more prædicare jussit? Non potest ostendere certas quasdam corporales pœnas, ad quas devitandas ethnicis initio prædicatus fuerit baptismus. 3.) Sommerus ostensurus, baptismum fuisse prædicatum gentibus ad evitandas pœnas corporales tales, quibus Judæa periit, imprudens delabitur ad illud, gentibus baptismi prædicationem contemnentibus denunciatas fuisse æternas pœnas, Act. XVII. 31. At hæc sunt ἀσύστατα. 4.) Remittit nos ad testimonia historicorum de ethnicis per famem, bella, incendia, tunc temporis ita adflictis, sicut tunc adfligebatur Judæa. Atqui quædam gentes impiæ tunc temporis illis pœnis caruerunt, quædam vero etiam piæ gentes illis adfectæ fuerunt. 5.) Scriptura alium finem baptismi nobis monstrat, quam liberationem a pœnis temporalibus. *Quis vobis monstravit fugere ab ira ventura?* Matth. III. 7. hæc ira opponitur possessioni vitæ æternæ. Joh. III. 36. 1 Thess. I. 10. *Christus liberavit nos ab ira ventura.* GERHARDUS.

(*) In mandato Christi Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. verbum *baptizate*, item *baptizatus* ita intelligi oportet, quemadmodum apostoli mandatum hoc secuti in ipsa praxi expresserunt. Atqui apostoli in praxi tum docuerunt, tum baptizarunt aqua in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus sancti, ut ostendunt exempla in actis & epist. apostolorum, adeoque in tota primitiva ecclesia, quod fatetur Osiorodus, quare verbum *baptizate & baptizatus* eo in loco notat baptismi administrationem. Diligenter observa locum Act. II. 38. ubi baptismus & pœnitentia conjunguntur, & praxis immediate subjecta ostendit, de baptismo aquæ loqui apostolum. Esset ταυτολογία in Christi verbis, *doctrinæ* enim jam ante fecerat mentionem, ac verbum *baptizandi* absolute positum significare in scriptura *baptismum doctrinæ*, nunquam demonstrabunt. GERHARDUS.

actis ostendit cap. VIII. 38. X. 47. 5.) *Mirum foret, apostolos tam pauca de baptismo scribere, si esset tale ac tantae efficaciae sacramentum, cum de aliis longe minoribus, ut de educatione liberorum, de officio servorum &c. tam copiose scribant.* Resp. quæ apostoli de baptismo scribunt, non sunt pauca, nec obiter vel incidenter prolata, ut constat ex superioribus: & si vel maxime essent paucissima, tamen cum sint divina, immediato Spiritus sancti adflatu edita, merito maximi ponderis sunt apud eos, qui norunt unum in scripturis jota cœlo ac terra præstantius, stabilius, augustius. Matth. V. 18. Luc. XXI. 33. (*).

Quod non sit medium regenerationis?

§. CXVII. Regenerationem per baptismum fieri negant (**), hisce usi argumentis: 1.) *Aqua est res mere naturalis: Ergo impossibile est, nos ea renasci.* Resp. aquæ baptismi conjunctum est verbum Dei, unde baptismus vocatur *lavacrum aquae in verbo.* Eph. V. 26. Conjuncta est eidem gratia & operatio Spiritus sancti, *unde ex aqua & Spiritu renasci* dicimur, Joh. III. 5. ac apostolus baptismum vocat *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti* Tit. III. 5. Proinde quamvis aqua in se ac per se sit res materialis, tamen accedente verbo & operatione Spiritus sancti fit efficax medium regenerationis: siquidem causa *instrumentalis* a directione & influentia causæ *principalis* hoc sortiri potest, ut effectum semet ipsa præstantiorem ac digniorem producat, id quod multis exemplis comprobatum dari posset. 2.) *Infantes nequeunt distinguere inter dextrum & sinistrum*, Jon. IV. 11. *ergo in illis non habet locum regeneratio.* Resp. si infantes non regenerantur, consequens est, ipsos in universum omnes regni cœlestis extorres esse; *quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire regnum Dei.* Joh. III. 5. Quamvis infantes usu rationis destituantur, ex eo tamen inferri nequit, ipsos fidei & regenerationis non esse capaces, cum Johannes in utero materno adhuc conclusus Spiritu sancto fuerit repletus, qua de re inferius plura dicentur, ubi anabaptistica argumenta contra fidem & baptismum infantum excutienda erunt. 3.) *Regeneramur a Deo per verbum*, Jac. I. 18. 1 Petr. I. 23. *ergo non per baptismum.* Resp. τὰ ὑπάλληλα non debent sibi ἐναντίως opponi. Regenerationis causa *princeps* est Spiritus sanctus; *instrumentalis* non solum verbum, sed & baptismus, juxta dictum apostoli pronunciatum. Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Monemus autem, hoc argumentum contradicere primo. Verbum enim non minus est res materialis ac sensibilis, quam aqua baptismi. Si ergo Spiritus sanctus per verbum potest regenerationis opus perficere, utique etiam per aquam baptismi.

2.) Calvinianorum, quod baptismus sit tantum signum ac symbolum & sigillum regenerationis, non autem medium.

§. CXVIII. Sed & illi peccant in ἔλλειψει circa hanc doctrinæ baptisticæ partem, qui disputant, baptismum esse saltem signum ac symbolum, non autem medium regenerationis; ac talem constituunt analogiam *significativam:* sicut aqua abluit sordes corporis: ita san-

(*) *Dictum* Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes &c. ab Arbanasianis esse textui immistum.* Franciscus Davidis & Georg. Blandrinus in refutat. scripti Georg. Majoris liter. N. fol. 4. *Resp.* 1) Omnes hæretici omnia scripturæ dicta hoc modo eludere possent. 2) Quamdiu ergo non probant, ut mendacium illis relinquimus. 3) Recentiores hujus commenti pudet, eoque non amplius utuntur. GERHARDUS.

(**) Smalcius in examin. 157. errorum err. 139. p. 37. *Quis unquam audivit externa ceremoniae regenerationem tribui? nonne regenerationis ipsa vox totam nostri mutationem designat & postulat? haec autem non baptismo aquae, sed considerationi divinorum promissorum adquiritur, ut ait Petrus 1 epist. I. 23.* Err. 140. *Baptismo infantium regenerationem adscribere ad idololatriam declinare esse dicimus, ipsum baptismum infantium pro re puerili & adiaphora prorsus habentes,* in refutatione eorum, quæ Smiglecius ad examin. 100. errorum adduxerat p. 58. *Non tantum error, sed idololatricum aliquid est, ceremoniali actioni sive soli, sive cum alia spirituali unctae tribuere remissionem peccatorum, quae aliud nihil est re ipsa, quam vita aeterna.* Idem in refut. disput. Frantz. p. 311. *Aquam baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus sancti, quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur, non tantum falsum, sed aliquid idololatricum omnino censendum est.* GERHARDUS.

sanguis Christi abluit sordes mentis, id quod exteriori illa ablutione præfigurari, adumbrari & obsignari statuunt. Zwinglius in confess. ann. 1530. art. 7. *Non hac mersione adfertur Spiritus gratiae.* Item: *Externus baptismus, qui aqua conflat, ad peccatorum ablutionem nihil facit. Baptismo ecclesia publice accipit eum, qui prius receptus est in gratiam.* Item: *Baptismus non aliter ecclesiae Christi signum est, quam exercitus aliquis signatur, non quod signum hoc conjungat ecclesiae, sed qui jam conjunctus est, publicam tesseram accipit* (*). Oecolampadius de verb. Dom. c. 2. *Aqua mystica in baptismo non regenerat, nec efficit filios Dei, sed declarat.* Calvinus lib. IV. instt. c. 15. §. 2. negat, *ablutionem & salutem nostram baptismatis aqua perfici, aut aquam illam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere, neque salutis causam in hoc sacramento percipi.* Et subjicit: *Quis ergo nos aqua ista mundari dicat?* §. 22. *Non ideo baptizantur liberi fidelium, ut filii Dei primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia, sed solenni potius signo ideo in ecclesiam recipiuntur, qui jam ante promissionis beneficio ad corpus Christi pertinent.* Idem in comm. cap. V. Eph. dicit, *idolum quoddam a nonnullis constitui, qui elemento aquae vim purgandi animas adtribuunt, id quod vel sanguini Christi, vel Spiritui sancto in solidum sit adscribendum.* Petrus Martyr class. IV. comm. cap. 9. sect. 14. *Est in hoc dogmate graviter hallucinatus Augustinus, quod nimium baptismo tribuerit: non enim agnoscit, illum esse regenerationis externum symbolum, sed ipsa tingendi actione vult nos regenerari & adoptari, atque in familiam Christi transire.* Collocutores adversæ partis in coll. Mompelg. lat. p. 433. germ. p. 764. *Aliquam latentem virtutem aliam aquae licet sacramentali adtribuere, quam sacramentalis significationis, existimamus manifestam esse idololatriam, qua remittendorum peccatorum & renovandi cordis hominum vis ad aquam, quamvis sacramentalem, transfertur.* Ibidem in coll. lat. p. 435. *Infantes merito baptizantur & adoptionis fructu donari probabiliter censentur, relictis Deo arcanis suis judiciis* (**). Beza præfat. part. I. resp. ad coll. p. 24. *Nunquam simpliciter dixi, baptismum esse regenerationis in pueris obsignationem, sed*

(*) Idem lib. de vera & falsa relig. p. 204. *baptismus significat tantum vitae novitatem vel renovationem.* Tom. II. contra Strathion. p. 313. *Non ideo dari baptismum, ut in homine quidquam operetur, sed ut novo huic tyroni, qui militiae regis nostri & ecclesiae nomen dat, ratione populi Dei signum illud conferatur*, disputat. GERHARDUS.

(**) Tossanus in notis ad biblia germ. Eph. V. Lavacro aquæ in verbo, *id est, per sanguinem & Spiritum, sicut hoc per lavacrum aquae in sacro baptismate figuratur & confirmatur, quae mundatio nobis in evangelio adnunciatur & promittitur.* Ad Tit. III. 5, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c. *dum nos mundat a peccatis nostris per sanguinem & Spiritum Christi, & renovat nos ad imaginem Dei, ut pie & inculpate vivamus. Quidam hoc intelligunt de baptismo, qui est sacramentum & sigillum nostrae mundationis & regenerationis.* 1 Petr. III. 21. *Fideles in baptismo admonentur & adsecurantur, quod per sanguinem & Spiritum Christi purgati, atque ita ab aeterna morte liberati sint.* Gal. III. 27. *Baptizati, inquiens, non tantum externe aqua, sed etiam interne per virtutem Spiritus sancti, qui in credentibus operatur, quod per externum signum significatur.* In notis ad Matth. III. 6. Baptizabantur in Iordane, & confitebantur sua peccata; *idco inquit, confitebantur, quia baptismus est sacrum signum & sigillum remissionis peccatorum, quae contingit omnibus resipiscentibus.* Simon Episcopius disp. privat. de bapt. th. 8. *Finis baptismi est sola tantum divinae gratiae & professionis nostrae significatio.* Vide quoque Paræum in cap. II. Rom. dub. 9. p. 232. ubi scribit: *Infantum, qui in Christo moriuntur, antequam operari aliquid potuerint, diversa est ratio. Hi enim simpliciter aut servabuntur secundum gratiam, aut damnabuntur secundum naturam filii irae, ut & reliqui.* Lib. VI. de amiss. grat. cont. Bellarminum p. 891. *De solis infantibus ecclesiae in foedere natis, si morte praeveniantur, canone caritatis ita pronunciant,* (Calvinus & Zwinglius) *ex singulari privilegio promissionis parentibus & liberis factae*: Ero Deus tuus & seminis tui; *salva tamen electione Dei, quae ut olim in Abrahami & Isaaci, ita deinceps in fidelium liberis saepe discrimen facit ac facit.* Martyr class. II. loc. comm. c. 1. num. 31. p. 137. *De parvulis christianorum, qui absque sacramento discedunt, si interrogarer, responderem, de illis spem bonam habendam esse &c. quae tamen promissio cum non sit*

ita

sed adoptionis ex formula fœderis: Ero Deus tuus &c. *neque dixi, pueros, vel omnes vel aliquos re ipsa in illo baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato illum baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi.* Part. II. resp. p. 115. vocat *palpabilem errorem, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, vis conferendae gratiae principalis quidem Deo, instrumentalis autem sacramentis tribuitur.* Inde etiam duplicem statuit baptismum, *interiorem, qui perficiatur a Spiritu sancto; & exteriorem, qui fiat per aquam.* In colloq. p. 436. *Externae adspersionis,* quam *proprie* dicit *vocari baptismum, ministrum dicit esse hominem, internam autem adspersionem sanguinis Christi fieri per Spiritum sanctum.* Part. II. resp. ad acta colloq. p. 114. quod latius deducit Grynæus disput. de euchar. anno 1584. thes. 17. & seqq. (*).

Σύνοψις *errorum, quos circa hoc membrum doctrinae de baptismo Calviniani propugnant.*

§. CXIX. Ex quibus omnibus adparet, ipsos statuere, 1.) quod infantes christianorum ante baptismum sint in fœdere gratiae; 2.) nec tamen omnes, sed illi solum, qui absoluto Dei decreto sunt electi. 3.) Quod reliqui, licet millies baptizentur, non tamen regenerentur; 4.) Cum baptismus non sit efficax medium, sed saltem signum & symbolum regenerationis, idque non nisi in electis. 5.) Regenerationem autem illam non in baptismo fieri, sed futuro demum tempore, ex auditu verbi, in electis subsequi. 6.) Ideoque de regeneratione & salute infantum non posse certi quid ex baptismo statui, sed tantum probabiliter. 7.) Esse enim duplicem baptismum internum & externum; eosque *causa efficiente, subjecto & tempore* ita distinctos, ut non omnes illi interiorem baptismum percipiant, qui exterius aqua baptizantur; 8.) Cum gratia Dei sit libera & electio ad vitam absoluta.

Argumenta contra analogiam significativam.

§. CXX. De reliquis corruptelis suus erit dicendi locus: hac vice illud excutiendum, quod baptismus negatur efficax medium regenerationis, contra vero tantummodo externum ejusdem signum & symbolum inque electis obsignatio statuitur. Cui *significativae* analogiae opponimus haec fundamenta: I.) Quod patroni ejusdem diserte & velut apertis tibiis contradicant Petro, qui negat, aquae in baptismo officium esse abluere sordes corporis 1 epist. III. 21. *Baptisma nos salvat, non depositio sordium carnis, sed interrogatio bonae conscientiae erga Deum.* Si aqua baptismi propter significationem interioris mundationis adhiberetur, necesse foret, talem fieri confricationem corporis, quae sordes ejus detergeret, totumque ablueret, qua ratione non sufficeret adspersio, vel adfusio aquae.

Adversarii 1.) contradicunt dicto Petri 1 epist. III. 21.

II.) Quod causam *instrumentalem*

2.) Causam

ita generalis, ut omnes comprehendat, ideo nemini sic decedenti ausim peculiariter promittere certam salutem, sunt enim aliqui sanctorum filii, qui ad praedestinationem non pertinent. GERHARDUS.

(*) Paraeus in c. II. Rom. p. 218. negat, *geminum a suis statui baptismum, sed quod de baptismo interno & externo ab illis docetur, id accipiendum de duobus baptismi actibus, quorum uterque nomen baptismi sermone ecclesiae sortiatur.* Beza part. II. resp. ad colloq. p. 44. miratur, *cuiquam in mentem venire potuisse, ut putaret, quod in duo distribuitur, in totidem tota secari.* Atqui revera statuunt geminum baptismum Calvinus in 1 Cor. XII. Beza in coll. Momp. p. 446. Toffanus cont. Marbach. p. 350. Distinguuntur illi baptismi 1.) nominibus; alterum vocant internum, alterum externum; 2.) definitionibus: illum vocant ablutionem sordium corporis, hunc ablutionem sordium animae; 3.) effectibus: quos etiam temporibus discriminant. Actionem in baptismo internam & externam ecclesia Christi agnoscit, eamque distinctam quidem, non tamen temporibus separatam, ex actione autem diversa baptismum diversum non facit. Si uterque ille actus vocatur baptismus, cur non utraque manducatio vocatur sacramentum coenae? Schwenckfeldius in ep. p. 16. 32. 490. facit *duplicem baptismum, internum Spiritus & externum aquae.* Ad illius opinionem quam proxime accedit Calvinianorum hypothesis. GERHARDUS.

instrumentalem cum loco adjunctorum confundunt.

lem cum loco *adjunctorum* confundant. Scriptura aquam baptismi verbo Dei sanctificatam, munitam & comprehensam statuit causam instrumentalem regenerationis, renovationis & salutis, ut adparet ex his dictis sole clarioribus. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Eph. V. 26. *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo.* Tit. III. 5. *Deus nos salvos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* 1 Petr. III. 21. *Baptisma nos salvat;* (nimirum ὀργανικῶς sicut & minister se ipsum & auditores suos salvare dicitur. 1 Tim. IV. 16.) Quo referenda etiam hæc dicta: Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit;* (ubi conjunguntur media salutis ex parte Dei & nostra.) Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Sed analogia illa significativa aquam baptismi statuit tantummodo signum & symbolum istorum effectuum. Sic ergo inferimus: per quod regeneramur, renovamur, mundamur, Christum induimus & salvamur, illud non est tantummodo regenerationis, renovationis, mundationis, &c. signum, quia priores propositiones pertinent ad causam *instrumentalem*, posteriores ad locum *adjunctorum*. Per aquam baptismi regeneramur, renovamur, mundamur, Christum induimus & salvamur. Ergo aqua baptismi non est tantum signum regenerationis, renovationis & mundationis (*).

a literali verborum sensu.

effectu agunt, aliter interpretentur, quam sonant. Ursinus in comp. p. 503. *Impropriae seu figuratae loquendi formae sunt: Baptismus est lavacrum regenerationis, baptismus nos salvat. Propria loquendi forma est, quod sit signum ablutionis.* Piscator in anal. cap. III. Tit. *Deus salvat nos per regenerationem & renovationem Spiritus sancti tanquam per lavacrum quoddam, quo scilicet abluimur a peccato, cujus lavacri sigillum est baptismus.* Idem in anal. cap. V. Eph. *Christus mundat ecclesiam sanguine suo in ara crucis effuso, de quo testantur baptismus & evangelium.* Perversiones dicti Joh. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* vidimus superius. IV.) Quod cogantur statuere, nullibi in tota scriptura propriis & perspicuis verbis finem & effectum baptismi exprimi, id quod perfectioni ejusdem repugnat. Ubi enim legitur in scripturis, quod baptismus sit signum regenerationis? Certe Christus in institutione baptismi nullam facit hujus analogiæ *figurativae* mentionem, sed jubet *baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, addita promissione, quod baptismus sit efficax medium salutis. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. Sohnius tom. I. exeges. in meth. theol. p. 262. *Omnes de baptismi efficacia propositiones, quae in scripturis occurrunt, figuratas, improprias & metonymicas esse* dicit, *praeter hanc unam: baptismus est typus depositionis sordium*, quam dicit

4.) Coguntur statuere, quod scriptura sacra nusquam proprie de effectu baptismi loquatur.

III.) Quod universa scripturæ dicta, quæ de baptismi fine &

3.) Discedunt

(*) Porro argumentamur: 1.) Cuicunque ita tribuitur regeneratio, ut per illud nec sine illo salus obtingere possit, illud non significat, sed confert regenerationem. Atqui baptismus ita est lavacrum regenerationis, ut per eum regeneremur; Tit. III. 5. nisi quis ex aqua & Spiritu &c. Joh. III. 5. Ergo non tantum significat, sed confert regenerationem. 2.) Quodcunque nos servat, & quidem ita, ut arca Noam, illud non *significative* sed *effective*, instrumentaliter scilicet hoc facit. At baptismus ita nos salvat, ut arca Noam. 1 Petr. III. 21. Ergo. 3.) Aut omnes phrases de effectu baptismi erunt aliter interpretandæ, aut concedendum, quod baptismus conferat regenerationem & salutem, quia omnes ad classem non *adjunctorum* significantium, sed causarum *instrumentalium* conferentium pertinent. Tit. III. 5. 1 Petr. III. 21. Joh. III. 5. Zach. XIII. 1. Marc. XVI. 16. Gal. III. 27. Rom. VI. 3. Act. II. 38. XXII. 16. Eph. V. 26. Prius dici nequit, quod tamen Smalcius sine ulla ratione facit: a.) quia esset contra regulam, quod a τῷ ῥητῷ, nisi impugnet articulum fidei, non sit discedendum: b.) omnia illa dicta κατὰ τὸ ῥητὸν essent falsa: c.) nusquam effectus baptismi essent propriis verbis propositi. GERHARDUS.

dicit exſtare 1 Petr. III. 21. ſed textus inſpectio plane contrarium oſtendit. V.) Quod evertant diſcrimen ſacramentorum vet. & nov. teſt. qua de re in tract. de circumciſ. & agno paſchali §. 4. & ſeqq. latius diſputavimus. VI.) Quod vaticinia & typos vet. teſt. de baptiſmi efficacia nondum impletos eſſe ſtatuere cogantur. Petrus 1 epiſt. III. 20. confert baptiſmum cum *arca Noae*, quæ non fuit tantum ſignum, ſed medium conſervationis in diluvio. Pſalm. XXIX. 10. baptiſmus dicitur *diluvium*. Ut aqua diluvii omnem carnem peccati ſubmerſit: ita quoque idem ſpiritualiter fit in baptiſmo. *Lotionibus leviticis*, tanquam typis, ſucceſſit baptiſmus velut antitypon. Aqua baptiſmi eſt *aqua vivificans & ſanans omnia*, Ezech. XXXVI. 25. XLVII. 9. *eſt fons ille patens in expiatione peccati*, Zach. XIII. 1. *eſt mare illud, in quod peccata projiciuntur*, Mich. VII. 19. Gregorius libr. IX. epiſt. 39. *Qui dicit peccata in baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* VII.) Quod minus tribuant baptiſmo quam verbo, cum tamen ſacramenta ſint verbum viſibile, ac proinde quod verbo tribuitur, id ſacramentis non eſt denegandum. Verbum Dei eſt *potentia ad ſalutem omni credenti*, Rom. I. 16. eſt efficax medium & organum, per quod Deus fidem ad ſalutem in cordibus operatur; Rom. X. 17. 1 Tim. IV. 16. ita quoque baptiſmus non eſt nudum ſignum, ſed organum ac medium, per quod gratia & ſalus nobis offertur.

5.) Evertunt diſcrimen ſacramentorum vet. & nov. teſt.

6.) Typos baptiſmi nondum impletos eſſe ſtatuere coguntur.

7.) Minus tribuunt baptiſmo, quam verbo.

§. CXXI. Quibus vero argumentis ſententiam noſtram oppugnant? I.) *Si aqua baptiſmi ſtatuitur organum regenerationis, ſequetur, baptiſmum prodeſſe ex opere operato, & occultam aliquam vim latere in aqua &c.* Reſp. 1.) Nequaquam vero opinionem operis operati tuemur, ſed fidem ad ſalutarem baptiſmi uſum omnino requirimus, ac diſertis verbis profitemur, baptiſmum nemini prodeſſe abſque fide. 2.) Hanc fidem & illi conjunctam regenerationem Spiritus ſanctus per ipſum baptiſmum in cordibus infantum operatur, ut oſtendimus ſuperius §. 94. Quemadmodum igitur *verbum non prodeſt fidei non admixtum*, Hebr. IV. 2. ac nihilominus eſt & manet ſalutare medium, per quod fides in cordibus hominum accenditur; Romi X. 17. ita quoque ſacramentum baptiſmi non prodeſt absque fide, & nihilominus eſt ſalutare medium, per quod Spiritus ſanctus, in illis, qui non reſiſtunt & repugnant ipſius operationi, fidem vult accendere, augere & confirmare. 3.) Longiſſime igitur ab opinione operis operati ſententia noſtra diſtat. Aliud enim eſt agere de efficacia mediorum ex parte Dei offerentis in ſe ac per ſe, aliud eſt dicere, quod media illa proſint abſque medio recipiente ex parte hominum; proinde perverſa ratio eſt, ut quotiescunque de ordinationum divinarum & mediorum divinitus inſtitutorum efficacia ad ſalutem agitur, ſtatim opinio operis operati inde eliciatur. 4.) Sic nec latentem aliquam occultam vim aquæ baptiſmi tribuimus, ſed effectus illos divinos regenerandi, mundandi, ſalvandi, Spiritui ſancto ut cauſæ principali in ſolidum tribuimus; interim tamen per aquam baptiſmi verbo Dei ſanctificatam, munitam & comprehenſam beneficia illa diſpenſari ſcripturas ſecuti ſtatuimus. 5.) Addimus autem, in hac quæſtione de effectu baptiſmi diſtinguendum eſſe inter infantes & adultos. Infantes non reſiſtunt Spiritui ſancto, ejusque operationi, ideoque per baptiſmum fides & ſalus illis indubitato confertur: adulti vero actuali impœnitentia & obſtinatione ſalutarem Spiritus ſancti operationem impedire poſſunt, quo in caſu baptiſmus haudquaquam ex opere operato ipſis prodeſt, ſed potius in judicium ipſis cedit, & damnationem graviorem adtrahit.

Argumenta adverſariorum.

1.) Sequeretur, baptiſmum prodeſſe ex opere operato.

§. CXXII. II.) *Gratia Dei non eſt adfixa ſignis. Ergo baptiſmus non eſt medium, ſed tantummodo ſignum & ſigillum regene-*

2.) Gratia Dei non eſt adfixa ſignis.

generationis (*). Resp. 1.) Verissimum hoc est, quod gratia regenerationis non ita sit adfixa baptismo, quo minus extraordinarie, in casu necessitatis Deus infantes regenerare possit absque baptismatis sacramento, interim tamen ex eo non potest inferri, baptismum non esse ordinarium regenerationis medium, ad cujus usum adligati sumus. 2.) Id simili exemplo declarari potest. Placuit Deo per verbum homines convertere, Rom. I. 16. placuit ipsi *per stultam praedicationem salvos facere credentes.* 1 Cor. I. 21. Ordinarie igitur per auditum & meditationem verbi in cordibus hominum fidem excitat, interim tamen illa Dei actio non est absolute adligata ad verbi auditum, quia Saulum spirantem minas & rebellantem convertit. Act. VIII. 3.) Nec dicimus, quod aquæ vis regenerandi tanquam *subjecto φυσικῶς* inhæreat, aut quod naturali quacunque ratione & vinculo quodam insolubili gratia Spiritus sancti ei sit adligata, sed sacramentali mysterio vim illam huic sacramento ex ordinatione divina ὀργανικῶς & ὑπερφυσικῶς ad salutem credentium conjunctam esse dicimus. 4.) Rectius hac in parte scribit Calvinus libr. IV. instit. cap. 16. §. 5. *Non enim Dominus olim circumcisione dignatus est, quin eorum omnium participes faceret, quae per circumcisionem signata tunc fuerunt, alioquin meris praestigiis ludificatus esset populum suum, si fallacibus symbolis eos lactasset, quod solo auditu horrendum* (**).

3.) *Infantes fidelium ante baptismum sunt in Dei fœdere.*

§. CXXIII. III.) *Infantes fidelium ante baptismum sunt in Dei fœdere, vi divinae promissionis:* Gen. XVII. 7. Ero Deus tuus & Deus seminis tui. *Ergo non per baptismum in fœdus gratiae recipiuntur, sed beneficio jam ante accepti sigillum ipsis datur.* Beza part. II. quæst. & resp. p. 74. Aretius in probl. p. 245. *Resp.* 1.) infantes fidelium non minus ac reliqui sunt *natura filii iræ*, Eph. II. 3. *concepti & nati in peccatis*, Psalm. LI. 7. *ex immundo semine geniti*, Job. XIV. 4. *sunt caro de carne*; Joh. III. 6. quomodo ergo actu sunt in fœdere gratiæ ante baptismi usum? 2.) Dictum Gen. XVII. 7. continet insignem promissionem gratiæ, quod Deus semen Abrahæ, adeoque semen eorum omnium, qui sunt ex fide Abrahæ, in fœdus suum recipere velit, non sine certo quodam medio, nec ob carnalem ex fidelibus parentibus nativitatem; sed in vet. test. per sacramentum circumcisionis, in nov. test. per sacramentum baptismi, unde v. 10. diserte additur: *Hoc autem fœdus meum, quod servabitis inter me & vos, & semen vestrum: circumcidetur in vobis omne masculinum.* v. 14. additur comminatio: *masculus, cujus praeputii caro non circumciditur, ejus anima eradicabitur ex populo suo, eo quod fœdus meum fecerit irritum.* 3.) Act. II. 39. proponitur illustris hujus dicti explicatio: *Pœnitentiam agite*, inquit Petrus v. 38. *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi.* v. 39. αἰτιολογικῶς addit: *vobis enim facta est promissio & liberis vestris.* Si infantes Israelitarum vi illius promissionis ante cir-

(*) Zwinglius part. II. oper. in tract. de vera & falsa relig. p. 198. *Hac ratione libertas divini Spiritus adligata esset, qui dividit singulis ut vult, id est, quibus, quando, ubi vult. Nam si tunc cogeretur intus operari, cum nos extra signis notamus, signis prorsus adligatus esset.* Resp. aliud est quærere de *instrumento* regenerationis, aliud de diversis donis, quæ hominibus regeneratis conferuntur, de quibus agit dictum Joh. VII. 39. aliud est quærere de coactione, aliud de divina ordinatione. GERHARDUS.

(**) Idem tamen errat, quando libr. IV. instit. c. 15. sect. 2. & cum eo Ursinus in expl. catech. p. 502. ita argumentantur: *Solus sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. 1 Joh. I. 7. 1 Cor. VI. 11. Ergo non aquæ baptismus.* Resp. 1.) Particula *solus* non exstat in textu, nec potest opponi baptismo aquæ vel aliis personis Trinitatis. 2.) Emundatio a peccatis adscribitur in scriptura & Deo & sanguini Christi & baptismo. Deo κυρίως καὶ πρώτως principaliter & primario; baptismo ὀργανικῶς καὶ δευτέρως instrumentaliter & secundario; Eph. V. 27. *mundat lavacro aquæ.* 3.) Distinguendum inter gratiæ *adquisitionem* & ejus *oblationem.* Quam gratiam Christus suo sanguine nobis adquisivit, eam in baptismo offert, oblatam credentibus confert, collatam auget, obsignat & confirmat. GERHARDUS.

circumcisionem in vet. & ante baptismum in nov. test. fuissent in Dei fœdere, quomodo Petrus ad baptismum suscipiendum eos fuisset cohortatus adducta rationis loco hac ipsa promissione? 4.) Ergo vi illius promissionis infantes fidelium habent aditum ad circumcisionem in vet. & baptismum in nov. test. ac si casu quodam contingat, ipsos ante susceptum initiationis sacramentum e vita decedere, divina gratia vi ejusdem promissionis extraordinarie in illis regenerationem & salutem operatur: ex eo tamen non potest inferri, quod baptismus non sit ordinarium regenerationis ac salutis medium.

§. CXXIV. IV.) *Quandoque baptizantur illi, qui jam ante sunt per verbum & Spiritum sanctum renati, ut patet exemplo Eunuchi*, Act. VIII. 38. *& eorum, in quos jam ante ciderat Spiritus sanctus*, Act. X. 47. *illis cum baptismus non fuerit regenerationis medium, nec in reliquis hunc finem habere dicendus fuerit* (*). Resp. 1.) Quamvis hi aliique complures ante baptismi usum vere fuerint regeniti, ex eo tamen baptismi efficaciæ nihil quidquam decedit, quo minus sit & dicatur *lavacrum regenerationis*. 2.) Id quod exemplo verbi divini declarari potest, quod a multis auditur, qui jam ante sunt regeniti, nihilo tamen minus verbum est salutare illud medium, per quod *tanquam incorruptibile semen renascimur*. 1 Petr. I. 23. Jac. I. 18. 3.) Ut ergo fides & dona Spiritus sancti per auditum & meditationem verbi in renatis augentur, ita quoque idem fit per baptismum; quin & baptismus donum regenerationis in illis efficaciter obsignat. 4.) Proinde in quæstione de usu baptismi distinguendum inter *infantes* & *adultos*. Infantibus baptismus *principaliter* est medium ordinarium regenerationis & mundationis a peccatis, &c. *secundario* autem sigillum justitiæ & fidei confirmatio: adultis credentibus baptismus *principaliter* præstat usum obsignationis ac testificationis de gratia Dei, vitæ & vita æterna; sed *minus principaliter* renovationem & dona Spiritus sancti auget. Infantes per baptismum primitias Spiritus & fidei accipiunt: adulti, qui per verbum primitias fidei & Spiritus acceperunt, per baptismum incrementa ejusdem consequuntur. Augustinus lib. IV. contra Donat. c. 21. *Sicut in Abrahamo præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lavatro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo nativitatis suæ die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei, & quoniam parentis fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat: ita in baptizandis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, & si christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 4. lit. F. *Cum baptismum percipiunt, qui jamdum per Spiritum sanctificati sunt, & a peccatis, si quæ interim post conversionem contraxerunt, mundantur, & ab exteriori satisfactione absolvuntur, & adiutrix gratia omnisque virtus in eo augetur, ut vere novus homo tunc dici possit: fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur: ideo Hieronymus dicit, quod fides, quæ fideles facit, in aquis baptismi datur, vel nutritur, quia non habenti aliquam ibi datur, & jam habenti, ut plenius habeat, datur: sic & de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, & omni habenti ibi amplius datur.* Et postea: *Multum ergo confert baptismus etiam iam per fidem justificato, quia accedens ad baptismum quasi ramus a columba portatur in arcam, qui autem intus erat judicio Dei, nunc etiam judicio ecclesiæ intus est.*

4.) *Quandoque baptizantur illi, qui jam ante sunt renati.*

§. CXXV. V.) *Exemplum Simonis magi testatur, non omnes, qui baptizantur, regenerationis & renovationis participes fieri.* Act.

5.) *Non omnes baptizati regenerantur.*

(*) Zwinglius de vera & falsa relig. p. 198. *Cornelius Spiritum sanctum acceperat, priusquam aqua tingeretur, certus ergo de gratia Dei fuit ante baptismum.* GERHARDUS.

Act. VIII. 22. *Ergo baptismus non erit regenerationis & renovationis medium.* Resp. 1.) Alia est ratio infantum, alia vero adultorum. Infantes in baptismo omnes & singulos regenerari dicimus, cum operationi Spiritus sancti veram fidem accendentis non ponant obicem, nec actuali impœnitentia & incredulitate eidem resistant, nec hypocriseos periculo sint obnoxii, id quod, contra Bezam in coll. Mompelg. pag. 479. Aretium parte II. problem. p. 175. Similet. de bapt. thes. 22. & 114. Ursinum in comp. theol. p. 545. id ipsum negantes, demonstramus ex generalibus scripturæ pronunciatis de salutari baptismi efficacia. Rom. VI. 3. *Quotquot in Christum baptizati sumus, in mortem ejus baptizati sumus.* Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis:* uti & ex propensa Dei erga omnes voluntate; ex universalitate meriti Christi, cujus adplicatio fit per baptismum; ex veritate & integritate baptismi in infantibus baptizatis omnibus æquali, &c. Si per baptismum non regenerarentur omnes infantes, illud foret aut ex parte infantum, id quod locum non habet, quia pares sunt in vitii originalis contagione; aut ex parte baptismi, id quod itidem non habet locum, quia ex hypothesi verus & æqualis baptismus illis confertur: aut ex parte Dei, quod ipsum etiam dici nequit, quia *non est voluntas Dei, ut pereat unus de pusillis istis.* Matth. XVIII. 14. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* 1 Tim. II. 4. *Auctor promissionis fidelis est.* Hebr. X. 23. Et quæ alias foret consolatio piorum parentum, quorum liberi in infantili ætate moriuntur? Num probabiliter saltem de ipsorum salute statui potest, ut vult Beza in coll. Mompelg. p. 435.? at hoc est dubitationis pontificiæ μορμολύκειον reducere. 2.) Adultos vero quosdam actuali impœnitentia, hypocrisi item & obstinationis obice salutari baptismi efficacia se ipsos defraudare, libenter concedimus; sed ex eo neutiquam inferri potest, quod baptismus in se ac per se non sit salutare medium regenerationis, cum ex remotione actus *secundi* aliquo objecti vitio impediti nondum sequatur remotio actus *primi.* 3.) Verbum Dei non est in omnibus ad fidem & salutem efficax, at num propterea non erit salutare medium, per quod Deus fidem & salutem operatur? 4.) Securis non desinit esse instrumentum sectionis, etiamsi lapides non secet: sic baptismus est & manet lavacrum regenerationis, etiam quando hypocritis confertur: non ratione objecti, quia hypocritæ fide carent, & operationem Spiritus sancti intervertunt, sed ratione definitionis vel potius institutionis divinæ. 4.) Laudamus igitur verba Bezæ p. 2. resp. ad colloq. p. 112. *Existimare causæ efficienti vim suam ἐνεργητικὴν detrahi, quoties vitio τοῦ πάσχοντος impeditur ejus effectus, est certe erratum dignum commiseratione potius, quam refutatione hominis, qui ἀρρωστίᾳ διανοίας laboret.*

§. CXXVI. VI.) *Multi in infantili ætate baptizati, ubi adoleverint, pessime vivunt. Ergo non fuerunt per baptismum regeniti, qui enim ex Deo natus est, non peccat.* 1 Joh. III. 9. Resp. 1.) Flagitiosi illi peccatores hac ratione ostendunt, non quod nunquam fuerint regeniti, sed quod regenerationis gratia & beneficio exciderint: posse autem renatos Dei gratia per peccata contra conscientiam iterum excidere, ostendimus ὀφθαλμοφανῶς in tract. de bonis operibus sub finem. 2.) Regeneratio & renovatio, quæ fit in baptismo, ita comparata est, ut prava concupiscentia & peccatum non penitus ex carne deleantur & eradicentur, sed remittantur, ac mortificentur, atque eo fine datur per baptismum Spiritus sanctus, ut renati actiones carnis per Spiritum mortificent, & contra peccatum in carne adhuc reliquum viriliter pugnent. Quod si homo per baptismum renatus ac renovatus concupiscentiis carnis secure indulgeat, & secundum carnem vivat, amittit gratiam Dei, inhabitationem Spiritus sancti & salutem æternam. 3.) Inserimur quidem Christo spirituali viti tanquam palmites, interim tamen *qui non manent in ipso, excinduntur, & in ignem abjiciuntur.* Joh. XV. 6. 4.) Hinc Prosper ad object. Gallor. c. 2. *Relapsum post baptismum ad infidelitatem & impios mores qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quam qui eundem adserit, non æterna morte damnandum.* 5.) Dictum Johannis exposuimus suo loco, & cum redu-

6.) Multi baptizati pessime vivunt.

duplicatione accipiendum esse ostendimus. *Qui ex Deo natus est*, quatenus talis manet, & Spiritu actiones carnis mortificat, *non peccat*, sive peccatum facit.

Non omnes significationes ex baptismo eliminandas esse.

§. XXVII. Ergone, inquis, *omnes omnino significationes ex baptismo eliminandae?* Resp. minime vero. Quamvis enim sacrum baptismi lavacrum ex institutione divina proprie & principaliter sit efficax medium regenerationis & renovationis ad vitam æternam, nequaquam vero nudum illius beneficii signum: hoc tamen non impedit, quo minus enumerentur concinnæ aliquot significationes & commonefactiones, ad quas minus principaliter & secundario baptismus respiciat; modo illud firmum fixum teneatur, baptismum nec solum nec principaliter propter illas significationes ac commonefactiones institutum, nec totam substantiam & efficaciam baptismi in illis consistere. I.) Baptismus igitur significat, quod vetus homo debeat subinde per mortificationem ac pœnitentiam in nobis submergi, & exstingui cum omnibus peccatis & pravis concupiscentiis, ac rursus quotidie emergere ac resurgere novus homo, qui in sanctitate & justitia coram Deo vivat in æternum. Rom. VI. 3. *Quotquot in Christum Iesum baptizati sunt, in mortem ejus baptizati sunt.* v. 4. *Sepulti igitur sumus una cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* v. 5. *Si enim σύμφυτοι facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Col. II. 12. *Consepulti sumus Christo in baptismo.* Quemadmodum enim baptizatus aquis immergitur, ut videatur in eis suffocandus, postea tamen vivus iterum extrahitur: sic vetus homo in baptizatis & renatis quotidie submergendus est & exstinguendus, ut prodeat novus. Quemadmodum Christus propter peccata nostra mortuus ac sepultus, die tertio propter justificationem nostram surrexit vivus: Rom. IV. 25. sic in baptismo vetus noster homo cum Christo sepelitur, ut in novitate vitæ & justitia Deo in posterum serviamus. Basilius in serm. quando baptizetur aliquis baptismate Christi tom. I. p. 460. *Quemadmodum qui crucifigitur, a viventibus abalienatur: ita & is, qui in similitudine mortis cum Christo crucifigitur, abalienatur ab omnibus, qui secundum veterem hominem vivunt. Et quemadmodum qui crucifigitur, mortis subjectus condemnationi ab illis disjungitur, cum quibus aliquando vitae commercium habuit, sublimior jam illis, qui in terra adhuc repunt, factus: ita & qui cum Christo per baptisma crucifigitur, ab omnibus in universum, qui secundum hoc seculum vivunt, abalienatus est, sublata jam mente ad caelestem conversationem exultatus.* II.) Quod per baptismum abluamur a peccatis. Quemadmodum enim alias aqua naturalis abluit sordes corporis: sic aqua baptismi, cum sit verbo Dei comprehensa, abluit sordes mentis; & quam vere aqua in baptismo adspergimur, tam vere Christus suo sanguine nos adspergit, & a peccatis mundat. Ezech. XXXVI. 25. *Adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* Hebr. X. 22. *Abluti corde aqua munda.* 1 Petr. I. 2. *Electis in obedientiam & adspersionem sanguinis Christi.* 1 Joh. I. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis.* Plures comparationes inter aquæ naturalis proprietates & baptismi effectus propositæ sunt superius §. 66. III.) Quod ex omnibus adversis & ærumnis liberati tandem æternæ gloriæ participes simus futuri. Quemadmodum enim baptizatus ex aquis, in quibus videbatur submergendus, extrahitur: sic Deus in baptismo sese obligat, quod ex omnibus adversis, ex mari calamitatum, quibus in hac vita immergimur, nos extrahere & ad gloriam vitæ æternæ traducere velit. 2 Sam. XXII. 17. Psalm. XVIII. 17. *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. XXXII. 6. *In inundatione aquarum multarum ad eum non pertingent.* Psalm. LXIX. 2. *Serva me Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.* v. 3. *Veni in profunda aquarum.* v. 16. *Ne inundet me decursus aquarum.* Psalm. CXLIV. 7. *Mitte manum tuam de excelso, & erue*

Cum significet.) quotidianam peccati mortificationem.

2.) peccati ablutionem.

3.) ex calamitatibus liberationem.

4.) *Nostram ad spirituale prælium obligationem.*

me ex aquis multis. IV.) Quod sub vexillo Christi contra satanam & omnia ipsius opera strenue pugnare debeamus. Cum enim in baptismo Deus nobiscum fœdus ineat, ac sacræ militiæ nos adscribat, eo ipso monemur, ne quid contra fœderis illius capita proterve agamus, sed usque ad sanguinem pro Christo & ipsius gloria pugnemus: quemadmodum & ipse propter nos suum effudit sanguinem, quo in baptismate abluti in fœdus gratiæ reciperemur. Huc referendum, quod 1 Cor. I. 13. apostolus dicit: *Num in Pauli nomen baptizati estis?* quasi dicat, non mihi, sed Christo nomen dedistis in baptismo; a Christo igitur, in quem baptizati estis, non a Paulo vos denominari convenit. 1 Cor. X. 2. *Patres nostri omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari.* Quemadmodum Israelitæ per mare rubrum ductu nubis miraculose traducti obligati sunt Mosi, ut ipsius doctrinæ & mandatis a Deo per ipsum promulgatis fidem adhiberent: sic & nos per baptismum, transitus illius ἀντίτυπον, ad fidem & confessionem nominis Christi obligamur. 1 Petr. III. 21. *Baptismus est stipulatio bonae conscientiae erga Deum.* Cum per baptismum in fœdus Dei recepti ac sacræ militiæ adscripti simus, utique nobis incumbit, ut militemus bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. V.) Cum unum omnes susceipiamus baptisma, neque quisquam melius altero sortiatur, hoc ipsum nobis debet esse unitatis & fraternæ concordiæ symbolum. 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi.* v. 20. *Multa quidem membra, unum autem corpus.* (æquum igitur est, ut velut membra unius corporis mystici unitatem colamus.) Eph. IV. 3. *Soliciti esse ote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* v. 4. *Unum corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in una spe vocationis vestrae.* v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

5.) *Fraternam dilectionem.*

§. CXXVIII. De effectis baptismi disputat Bellarminus lib. I. de bapt. cap. 12. *Duae* (inquit) *sunt de hac re quaestiones. Una de veris effectibus, quos agnoscunt catholici,* (Romanenses) *altera de falsis effectibus, quos adversarii baptismo tribuunt. Veri effectus apud catholicos tres sunt,*

3.) *Pontificiorum,*

1.) *enim baptismus tollit ac delet vere omnem culpam & pœnam,*

2.) *confert ex opere operato gratiam & dona divina, quibus vere & formaliter homo justificatur,*

3.) *imprimit characterem indelebilem, ob quem reiterari non potest.*

qui statuunt, baptismum

1.) *delere culpam & pœnam,*

2.) *prodesse ex opere operato.*

3.) *imprimere characterem.*

Adversarii alios quinque effectus baptismi enumerant, 1.) quod baptizatus non possit damnari etiamsi velit, nisi nolit credere, 2.) quod baptismus liberet ab obedientia legis divinae, 3.) quod liberet ab humanarum legum observatione, 4.) quod liberet ab omnibus votis, 5.) quod sola memoria baptismi justificet a peccatis, quae fiunt post baptisma: qui certe non tam sunt baptismi effectus, quam Lutheranorum errores damnati in concilio Tridentino. Hactenus Bellarminus. Cum vero de opere operato & impressione characteris in tractatu de sacramentis copiose dictum sit, de primo saltem baptismi effectu, videlicet de vera omnis culpæ & pœnæ per baptismum deletione hoc loco agendum restat; quod antequam adgrediamur, monemus, Bellarminum studio prætenire dissensiones suorum circa adserendum baptismi effectum. Innocentius III. pontifex libr. III. decretal. narrat varias opiniones doctorum de baptismo ejusque efficacia, quas leviter attingens minime concordat, sed eorum dissidium incompositum relinquit. *Cum propter haec* (inquit) *inter doctores theologos quaestio referatur, aliis adserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus, peccatum dimitti, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non ad usum, donec perveniant ad adultam aetatem &c.* Bonaventura libr. IV. sent. dist. 4. art. 1. quæst. 3. *Ad gratiae infusionem & characteris impressionem* addit *innocentiae restitutionem; deletionem peccati* refert *ad gratiae infusionem: gratia enim* (inquit) *habet duplicem actum, scilicet delere peccatum & habilitare ad bonum.* Illud quoque non mediocriter derogat baptismi dignitati & efficaciæ, quod monasticen æquiparant baptismo]

Dissensiones eorum circa effectus baptismi.

simo, dicitantes, *monachos tam purgari a suis peccatis per ingressum religionis, quam infans recens e baptismi fonte prodiens a peccatis suis sit lotus.* Thomas lib. II. q. 89. *Legitur in vitis patrum, quod eandem gratiam consequantur, religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Bellarminus lib. II. de monach. c. 6. negat, *monasticen aequari baptismo, cum baptismus & culpam & poenam tollat, professio autem monastica non culpam, sed solam poenam, idque se non certo asserere, sed pie credere:* & tamen mox addit ex Athanasio: *Antonium in visione audivisse sanctos angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quoniam monasticam vitam suscepit;* & ex Thoma docet, *recte credi, per monasticam professionem satisfieri pro omnibus peccatis, & esse hanc professionem alterum baptisma.*

Explicatio quaestionis, an baptismus deleat culpam & poenam.

§. CXXIX Quod ergo I.) attinet deletionem *culpae* in baptismo, ea de re sic sentimus. *Baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis;* Tit III. 5. ad regenerationem pertinet remissio peccatorum; ad renovationem vero mortificatio carnis & vivificatio Spiritus. Regeneratio sane & peccatorum remissio plena ac perfecta fit in baptismo, *ita, ut nulla damnatio sit his, qui sunt in Christo Jesu;* Rom. VIII. 1. renovatio autem non ita plena ac perfecta fit, quo minus quotidie debeat crescere: sed in baptismo incipit, durat per totam vitam in illis, qui spiritu actiones carnis mortificant, & tandem consummata erit in vita aeterna. Id quidam sic efferunt, distinguendum esse inter ablutionem per *sanguinem*, & inter ablutionem per *Spiritum Christi.* Ablui sanguine Christi est consequi remissionem peccatorum, ac justificari propter effusum sanguinem Christi. Ablui Spiritu Christi est renovari per Spiritum sanctum: quae renovatio est mutatio inclinationum & qualitatum malarum in bonas, facta virtute Spiritus sancti in mente, voluntate & corde &c. Utraque ablutio fit in baptismo, interim tamen distincta haec sunt beneficia, ac proinde nequaquam confundenda: illa ablutio est perfecta, haec vero inchoata in hac vita. Quod si ergo quaeratur, quale peccati remedium in baptismo proponatur, respondemus, 1.) peccatum remitti in baptismo, ita ut non imputetur, 2.) peccatum & veterem Adamum in baptismo mortificari, ut non regnet. Haec autem mortificatio non est ita comparata, ut concupiscentia prava penitus aboleatur, vel in se ac per se peccatum esse desinat, sed ut non amplius regnet, nec renatis in culpam damnabilem deputetur. Augustinus lib. I. de mor. eccles. cath. c. 35. *Sacrosancto lavacro inchoata innovatio novi hominis perficiendo perficitur in aliis citius, in aliis tardius.* Bernhardus serm. de coena. *Lavari quidem cito possumus, sed ad sanandum multa curatione opus est.* 3.) Denique tollitur peccatum, quia tandem ipsa morte virtute sanguinis Christi, quo in baptismo abluti sumus, totaliter destruitur.

1.) *Quod culpam deleat.*

2.) *Quomodo deleat poenam.*

§. CXXX. Quod II.) ad deletionem *poenae* attinet, distinguendum est inter poenas peccati. Alia enim est poena *aeterna*, alia *temporalis.* Haec vicissim est vel *aliunde* contracta, quam in scholis vocant poenalitatem, vel *sponte* adtracta. Item remissio poenae alia est quoad *Deum*, alia quoad *homines.* Quoad Deum omnis poenae remissio fit in baptismo, quia remissio culpae coram Deo complectitur etiam remissionem poenae, ut suo loco in tract. de poenitentia uberius docuimus. Quoad homines non tollitur per susceptionem baptismi poena civilis, quam sibi enormibus delictis quis adtraxit: evangelium enim non abolet politias, & multi hypocritae baptismum adsumerent, ut meritas peccatorum poenas in foro civili evaderent. Mitigari tamen solet ordinaria poena, ut homines ad baptismum inviterentur. *Iudaeum per baptismum liberari a poena civili, quam meruit propter delictum antea commissum,* statuunt glossa in c. Quoniam 48. dist. & in c. quod autem 32. q. 1. Anton. de Butr. Felinus & alii in c. de his de adcus. quam opinionem communem dicit Ferratus cautela 24. in eamque ut mitiorem & aequiorem, quaeque religioni naturae magis faveat, magisque ad conversionem adtrahat Judaeos, inclinat clarus §. fin. q. 51. num. 19. Sed & Paduae in causa cujusdam Judaei convocatis illustrioribus totius universitatis doctoribus causaque per utramque partem disputata eam obtinuisse, ac Judaeum liberatum fuisse, testis est Ferratus l. d. Contrariam vero opinionem, Judaeum scilicet baptizatum nihil-

hilominus puniri posse de delictis antea commissis, veriorem statuunt Aret. Zabarell. Abb. Joh. de Anan. Baro in c. de his de accusationibus &c. gaudemus de divort. Marquardus de Judæis p. 3. c. 5. quam magis communem testantur Cævallos comm. contra comm. p. 294. & Chucus libr. V. instit. de bapt. §. 1. n. 111. ubi dicit, quod in catechismo Romano sit adprobata. Eundem defendit Covarruv. lib. II. variar. resol. c. 10. num. 4. Tiraq. de pœnis temper. causa 25. quia *baptismus & absolutio, quæ per baptismum contingit, respiciat animam c. quia passus de pœnit. dist. 2. de ecclesia quæ est cultum justitiæ. c. 1. de al. feud. non defendat justè condemnatos, pro furtis & delictis* c. ult. 24. q. ult. *diversæ pœnæ sunt & tendunt ad diversos effectus: una Deo, altera magistratui debetur propter exemplum* c. admonere 33. q. 2. *Spiritualis, ut animæ, secularis, ut reipublicæ, quam delinquens læsit, consulatur.* Et hoc in nostris judiciis observari testatur experientia. Quod attinet pœnas ex peccato primorum parentum contractas, eæ vel sunt tantum pœnæ, vel simul peccatum & pœna, ut docuimus in tract. de peccato originis §. 122. Pœnæ sunt vel *temporales* vel *æternæ*. In classem pœnarum temporalium referuntur multiplices hujus vitæ calamitates ac miseriæ, morbi varii ac tandem mors. Quod ergo pœnas æternas concernit, ab illis baptizati fideles omnino liberantur, manent autem obnoxii temporalibus hujus vitæ calamitatibus, morbis ac morti: sed hæ respectu ipsorum non amplius sunt pœnæ proprie sic dictæ, sed paternæ castigationes; quibus quo fine subjiciantur, alibi a nobis est expositum in tract. scilicet de pœnit. §. 125. Pœna & peccatum simile est pravæ concupiscentiæ, cujus reatus in baptismo remittitur, ac vis ejus infringitur, & mortificatur, non tamen penitus aufertur. Lombardus lib. IV. sent. dist. 4. lit. F. *Quæritur, cur pœnalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur per baptismum? hoc ideo tradunt fieri viri sancti, quia si a pœna homines per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi pretium, non æternum regnum, ideo soluto reatu peccati temporalis, pœna tamen manet, ut illa vita studiosius quæratur, quæ erit a pœnis omnibus aliena. Ideo etiam manet, ut sit fideli & certandi materia & vincendi occasio, qui non vinceret, si pugnaret, nec pugnaret, si in baptismo fieret immortalis.*

Peccati reliquias manere post baptismum probatur, 1.) ex scripturæ dictis.

§. CXXXI. Hanc sententiam nostram de reliquiis peccati in baptizatis probant I.) omnia illa scripturæ dicta, quæ docent, concupiscentiam in renatis post baptismum adhuc reliquam vere esse peccatum coram Dei παντεπόπτᾳ renes ac corda probantis judicio, si vel maxime Spiritus virtute concupiscentiæ illi resistatur, quo minus in externa graviora delicta prorumpant. Exposuimus autem illa scripturæ testimonia in tract. de peccat. actual. §. 27. & seqq. ubi eadem ab exceptionibus adversariorum vindicavimus. II.) Omnes querelæ sanctorum de peccato in carne adhuc habitante, cujus remissionem seriis & ardentibus precibus expetunt. Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me.* Psalm. XXXII. 6. *Pro hac peccatorum remissione orabit ad te omnis sanctus.* Psalm. CXXX. 3. *Si peccata imputare volueris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia coram te non justificabitur omnis homo vivens.* Matth. VI. 12. ex institutione Christi jubentur apostoli & omnes baptizati orare: *Remitte nobis debita nostra.* Rom. VII. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex dixisset: Non concupisces.* v. 17. *Non ego operor illud, sed quod habitat in me*, hoc est, in carne mea, *peccatum* &c. Beda in c. VII. Rom. de Paulo apostolo: *In viis Domini ambulabas & tantum peccatum habebas.* 1 Joh. I. 8. *Si dixerimus nos non habere peccatum, mendaces sumus, & veritas non est in nobis.* III.) Omnes cohortationes apostolicæ, quibus jubentur renati peccato in carne adhuc habitanti resistere, renovari quotidie in spiritu mentis, exuere veterem hominem &c. Certe si peccatum cum omnibus fibris radicitus ex ipsis esset evulsum, quare metuendum foret, ne iterum excresceret? Rom. VI. 4. testatur apostolus, *nos cum Christo per baptismum in mortem sepultos esse*, v. 6. *veterem hominem mirum*

2.) ex sanctorum querelis.

3.) ex cohortationibus apostolicis.

mirum simul cum ipso crucifixum, ut destruatur corpus peccati; & tamen v. 12 subjungit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Rom. VIII. 1. negat *quidquam damnationis esse iis, qui sunt in Christo Iesu*; & tamen v. 12 subjungit: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, v. 13. *si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* 1 Cor. V. 7. testatur apostolus, Corinthios *esse azymos*; & tamen jubet *vetus fermentum expurgare.* 1 Cor. VI. 11. dicit, illos esse *ablutos & sanctificatos*; & tamen 2 Cor. VII 1. præcipit, *ut mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, ac sanctificationem perficiant in timore Dei.* 2 Cor. IV. 16 *Interior noster homo de die in diem renovatur*, Eph. IV. 23. *Renovamini Spiritu mentis vestrae*, v. 24. *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Ephesii non minus quam baptizati Galatæ Christum induerunt; Gal. III. 27. nihilominus apostolus eos jubet novum hominem induere, & veterem cum suis concupiscentiis & operibus exuere. Col. III. 9. &c.

4.) *ex loquendi formulis.*

IV.) Formulæ loquendi, quas de peccati remissione Spiritus sanctus usurpat. Psalm. XXXII. 1. *Beatus cui dimittitur* פְּשׁוּעַ *prævaricatio, cui tegitur* כְּסוּי *peccatum.* v. 2. *Beatus homo, cui non imputat* יַחְשֹׁב *Deus iniquitatem*, quod apostolus Rom. IV. 7. sic vertit: μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι v. 8. μακάριος ἀνὴρ, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. Quod regendo & non imputando remittitur. Ergo non penitus aboletur.

Exceptiones Pistorii.

Pistorius regerit, כָּסָה *idem esse quod* נָשָׂא, *tollere auferre, cum pro aequipollentibus haec duo vocabula accipiantur.* Resp. verbum כָּסָה, nusquam in tota scriptura aliter usurpatur, quam pro *tectione* ejus, quod adhuc præsens est: unde LXX. interpretes & apostolus reddiderunt per ἐπεκαλύφθησαν. Sic Prov. X. 12. 1 Petr. IV. 8. *Odium excitat contentiones; sed dilectio tegit* וְעַל כָּל פְּשָׁעִים תְּכַסֶּה καλύψει πάντα τὰ παραπτώματα. Jam vero dilectio non abolet ac penitus delet proximi delicta, sed pallio caritatis eadem tegit. Vox נָשָׂא significat non solum *auferre & abolere*, sed etiam *ignoscere, condonare*, præsertim si addatur vel etiam subintelligatur *dativus*, ut adparet ex Num. XIV. 19. Gen. IV. 13. L. 17. &c. Ideo LXX. interpretes Psalm. LXXXV. 3. reddiderunt ἀφῆκας τὰς ἀνομίας τῷ λαῷ σου: quin imo ipse apostolus hoc ipso in loco reddidit per ἀφίημι *dimitto, condono*, libero aliquo debito. Rom. IV. 7. μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. Bellarminus lib. II. de justific. cap 9. excipit, *Deo nihil potest tegi, nisi penitus deleatur.* Becanus de just. c. 1. *Si peccata teguntur, aut Deus videt illa, aut non videt. Si videt, quomodo in conspectu ejus tecta sunt? Si non videt, quomodo fiat apostolicum illud, omnia nuda & aperta in oculis ipsius?* Resp. peccata in conspectu Dei dicuntur tegi non *proprie*, sed *metaphorice* per usitatam ἀνθρωποπαθείας figuram. Quemadmodum enim maculæ teguntur injecta veste, sic justitia Christi teguntur peccata nostra, ne nobis imputentur. Ludunt igitur Bellarminus & Becanus in voce *tegendi*, quam illi *proprie* accipiunt, nos vero ex mente apostoli *tropice*: huc enim redit sensus, quando dicimus, peccata tegi coram Deo, quod Deus ea non imputet, non autem, quod nulla ratione ea videat, quemadmodum etiam peccatorum nostrorum oblivisci dicitur. Videt quidem & novit ea, sed propter meritum Christi fide adprehensum remittit offensam.

Bellarmini & Becani.

5.) *ex propagatione labis originalis.*

V.) Propagatio peccati originalis. Infantes a parentibus baptizatis & renatis geniti, non minus ac reliqui nascuntur peccato originali obnoxii, ut suo loco clarissime ostendimus ex dictis scripturæ Jobi XIV. 4. Psalm. LI 7. Joh. III. 6. Eph. II. 3. Quomodo vero illa peccati propagatio locum haberet, si peccatum ipsum radicitus cum omnibus fibris in baptismo esset evulsum? Augustinus lib. I. confess. c. 27. *Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro adspectu collactaneum suum.*

6.) *ex baptizatorum actualibus peccatis.*

VI.) Peccata actualia baptizatorum. Si in baptismo peccatum plane

ne tollitur & deletur, consequens fuerit, baptizatos non posse in posterum peccare, vel si peccant, quærendam esse novam novæ corruptionis causam. Macarius homilia XV. p. 188. *si perseveres dicere, post baptismum vitium non habere, ubi pascatur aut collocetur in corde, ignoras, quot ab adventu Dei ad hoc usque tempus baptizati sunt, & nihilominus interdum prava cogitaverunt? an non reperimus, post baptismum multa committi peccata, ac plerosque delinquere?* Augustinus tract. XLI. in Joh. *Nunquid quia deleta est iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato viveremus, quis vero audeat haec dicere?* VII.) Calamitates, dolores, morbi, adeoque ipsa mors, cui baptizati adhuc sunt obnoxii. Ubi omnis abest culpa, ibi calamitates, dolores, morbi & mors non possunt nec debent habere locum. Atqui infantes baptizati obnoxii sunt calamitatibus, doloribus, morbis & morti, ut testatur experientia. Ergo ab illis non omnis abest culpa, nec penitus deletum ex illis peccatum. Augustinus libr. XXII. de civit. Dei cap. 22. scribit, *infantes christianorum baptizatos misere saepe vexari a spiritibus immundis*: quomodo ergo omnis culpa penitus ex illis deleta? Bellarminus libr. I. de baptismo c. 13. regerit, *argumenta nostra nihil aliud probare, nisi concupiscentiam vere esse peccatum, licet ei non consentiamus, quae omnia se solvisse* adserit in quæstione de peccato originis: quid vero præstiterit, suo loco ostendimus.

7.) *ex hujus vitæ calamitatibus.*

Pontificiorum antithesis.

§. CXXXII. Huic sententiæ nostræ vehementer adversantur pontificii; norunt enim, eam persuasioni de perfectione ac meritis operum extreme adversari. Concilium Trident. sess. V. decernit, *per baptismum tolli re ipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati.* Bellarminus loco proxime citato sententiam concilii sic interpretatur, *quod baptismo re ipsa tollantur omnia peccata, ita ut non solum non imputentur, sed nec sit, quod imputari possit* (*). Cæterum, antequam ad examen argumentorum descendamus, evolvenda est ambiguitas, quæ latet in voce *peccati*. Eam vero verbis Cassandri in consult. de August. confess. art. II. expositam dabimus. *Ex Augustino* (inquit) *& reliquis ecclesiasticis scriptoribus convenit, concupiscentiam etiam post baptismum reliquam apostolum, & eum secutum Augustinum, peccatum nonnunquam adpellare, non modo quia ex peccato facta est, sed quia est fomes peccati, & dominationi mentis resistit. Certe insignis theologus aperte adserit, etiam in renatis manere peccatum, etiamsi non imputetur &c. Si peccati rationem in vitio illo & in iniquitate, languore & morbo constituas, cui Spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non inepte peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei & reatu, cui ex adverso poena & damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi voluntas ei consentiat, ad peccatum non deputatur.* Hactenus Cassander. Manet peccatum post baptismum actu, propter statum naturæ, quoad morbum seu radicem peccati, & quoad *materiale*: sed tollitur propter statum personæ, quoad reatum sive *formale*, quia non imputatur credentibus in Christum. Ex quo intelligi potest, quo sensu Augustinus quandoque neget, quandoque vero adserat, concupiscentiam in renatis post baptismum reliquam esse peccatum. Nimirum ubi adserit, concupiscentiam esse peccatum, respicit ad *inobedientiam contra dominatum mentis*, ut se ipsum exponit libr. V. contra Julian. cap. 3. Ubi vero negat concupiscentiam esse peccatum, respicit ad *actualem reatum*, ut se ipsum exponit libr. I. de nupt. & conc. c. 26. *hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati.*

Bellarmini calumnia.

§. CXXXIII. Bellarminus, antequam classes argumentorum suorum producat, admonet I.) *esse antiquissimam haeresin Origenistarum & Messalianorum, quod peccata non tollantur per baptismum, sed solum tegantur: eam nostro seculo renovatam a Lutheranis.* Resp. Psalres diserte utitur voce *tegendi* Psalm. XXXII. 1. *Beatus, cui remissae sunt iniquitates, cui peccatum tectum.* Ergone scripturæ phrasis est haeretica? Haeretici illi,

(*) Conferatur Gregorius de Valent. tom. II. disp. 8. de grat. Becanus part. II. tract. 4. de gratia q. 1. Costerus in enchirid. de peccat. origin. pag. 394. GERHARDUS.

illi, quos Bellarminus adlegat, statuerunt, peccata solum tegi, & fomitem concupiscentiæ non minui: nihil ergo cum illis nobis commune, qui utrumque dicimus: baptismum auferre peccatum, ut non imputetur ad condemnationem; deinde etiam concupiscentiam debilitari, ut non perinde in corpore mortali dominetur, cum baptismus non solum *regenerationis*, sed etiam *renovationis sit lavacrum*. Tit. III. 5. Proclus Origenista apud Epiphanium hæres. LXIV. statuit, *peccatum semper vivere*, ut ipse Bellarminus lib. de notis ecclesiæ cap. 9. verba Procli adlegat. Cum vero dicit peccatum vivere, id intellexit regnare & dominari etiam in renatis, ut tum ex adsertione Procli, tum etiam ex responsione Methodii apud Epiphanium loco citato satis constat. Sic enim ille pag. 162. *ne haberet homo malum immortale peccatum praedominans*. Hic vero pag. 171. *Si talis est natura carnis, ut legi Dei subjici nequeat, quomodo Paulus hortatur, non regnet peccatum &c.* Pag. 173. probat, *toties carnem subjici, quoties actualibus peccatis non indulget: Non paret scortationi, deliciis; omne enim peccati studium per carnem consummationem adquirit.* Pag. 175. *Lex Spiritus vitae per Christum penitus peccatum regnans in carne vicit.* Hæc Epiphanius ex Methodio contra Proclum. Quis vero nostrum peccatum in renatis adhuc regnare & dominari adserit? Messalianorum hæresin Alphonsus de Castro lib. III. de hæres. tit. baptismus, sic describit: *Messaliani tantam vim orationi tribuebant, ut baptismo derogarent, dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere, sed solam orationem studiosam daemonem inhabitantem effugare.* Quid vero cum illa hæresi nobis commune, qui in baptismo omnia peccata remitti dicimus? Nimirum idem nobis objiciunt pontificii, quod Augustino olim Pelagiani, de quibus Pererius comment. in cap. V. Roman. num. 9. *Pelagiani olim adfingebant catholicis talem errorem, quasi dicerent, per baptismum non auferri omnino peccata, sed quasi capillos radi, remanentibus eorum radicibus, unde iterum renascantur. Augustinus, dicunt, inquit, Pelagiani, baptismum non dare omnem indulgentiam peccatorum, aut auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus catholicos, inquit Augustinus, nisi infidelis adfirmat? Dicimus enim baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescunt iterum resecanda. Eodem spectare videtur, quod Gregorius habet: Si qui sunt, qui dicuntur baptismate peccata superficietenus dimitti, infidelis est. Si peccata in baptismo non funditus dimittuntur, qui modo qui totus est, mundus est totus, cum de peccato aliquid remansit?* II.) *Lutherum & Philippum Melanchthonem insigne mendacium commisisse, dum Augustino hanc sententiam tribuunt: Peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Lutherum a Rossensi, Philippum Melanchthonem ab Eccio convictum, quod locus Augustini male sit citatus.* Resp. de tota hac re latissime disputavimus in tract. de peccatis actualibus §. 67 & 68.

§ CXXXIV. His ita præmissis, aciem argumentorum suorum ex scripturis Bellarminus contra nos producit. *I.) Scriptura de remissione peccatorum utitur vocabulis mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi & similibus, quae non possunt, nisi ineptissime exponi per non imputari: non enim recte quis dicitur tollere ignorantiam vel malitiam ab alio, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter aut malitiose fecerit* (*). Resp. 1.) Peccatum considerabatur vel *absolute* in praedicamento

Deleri in baptismo, quicquid peccati rationem habet. 1.) Scriptura utitur verbis mundandi, tollendi, delendi, &c.

(*) Licet GERHARDUS huic objectioni cardinalis BELLARMINI in ipso textu abunde satisfecerit, margini tamen nonnullas adsperserit adnotationes, objectioni huic diluendae pariter inservientes, quas hisce verbis expressit: „ I.) peccata comparantur sor„ dibus, remissio ablutioni; sed a comparatis & si„ milibus citra Spiritus sancti dictamen non potest „ apodicticum duci argumentum. II.) Non est ea„ dem ratio macularum & sordium, quæ hærent in „ corpore, & illarum, quæ in *anima*. *Illæ* elui pos„ sunt facillime manu & opera humana; *hæ* non „ item. III.) Nimis remiter & exiliter de peccato „ sentiunt, qui malum illud internum & profundis„ simum ac non nisi per Christum auferendum instar

mento qualitatis, ut est vitiositas, inordinatio & ἀνομία: vel *relate*, ut est damnabile quid, reos nos faciens coram Deo. Respectu *posteriore* plane tollitur, aufertur ac deletur peccatum, hoc est, reatus peccati in credentibus: respectu *priore* non plane tollitur: manet enim vitiositas illa naturæ, licet refracta, imminuta & castigata, cui per Spiritum sanctum renati quotidie debent resistere, eandem mortificare, & in renovatione crescere. 2.) Hanc distinctionem confirmant argumenta superius adducta, quæ testantur, *in carne renatorum habitare adhuc peccatum*, Rom. VII. 18. *renovationem quotidie debere crescere*, 2 Cor. IV. 16. *veterem hominem exuendum* Col. III. 9. Corinthii sunt *azymi*, & tamen jubentur *expurgare vetus fermentum*. 1 Cor. V. 7. *Nulla est condemnatio in his, qui sunt in Christo Jesu*; Rom. VIII. 1. & tamen *qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum suis concupiscentiis*. Gal. V. 24. Paulus per baptismum ablutus *est a peccatis*; Act. XXII. 16. & tamen conqueritur, *in carne sua adhuc habitare peccatum*. Rom. VII. 17. *Sanguis Filii Dei emundat nos ab omni peccato*; 1 Joh. I. 7. & tamen *si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus*. v. 8. Baptismus est *lavacrum regenerationis*; Tit. III. 5. & tamen *interior noster homo renovatur de die in diem*. 2 Cor. IV. 16. 3.) Id ipsum alii sic efferunt: peccatum consideratur vel ratione *materialis*, quatenus est corruptio naturæ pugnans cum lege Dei, &c. Vel ratione *formalis*, sive reatus, quatenus nos actu reos facit iræ Dei & æternæ damnationis. Si de peccato loquamur respectu *formalis* ac reatus, certum est, eo modo penitus deleri, remitti, auferri, & mundari, ut non amplius ad damnationem imputetur. Rom. VIII. 1. Si vero de peccato loquamur ratione *materialis*, quatenus est vitiositas & corruptio naturæ pugnans cum lege Dei, testatur scriptura, & ipsa renatorum experientia, quod *in carne post baptismum* adhuc maneat, Rom. VII. 23. debilitatum tamen & refractum, ut possit homo renatus per Spiritum sanctum illi resistere, ac dominium eidem auferre. 4.) Hoc discrimine recte observato, verus sensus dictorum scripturæ non potest esse obscurus vel dubius. Quod enim peccata dicuntur deleri, auferri, mundari, &c. id spectat remissionem vel non imputationem peccati, quod Deus illud non imputet, sed pallio misericordiæ propter Christum *tegat*, prout peccati remissio exponitur, Psalm. XXXII. 1. quod Deus *peccatorum nostrorum non amplius recordari velit*, Jer. XXXI. 34. quod peccata nostra nobis *imputare* nolit, 2 Cor. V. 19. Quia ergo hæc peccati remissio sive non imputatio tam vera vel efficax est coram Deo, ac si nulla amplius peccati macula nobis inhæreret, ideo vocatur deletio, ablutio, mundatio &c. interim tamen verissimum est, concupiscentiam pravam etiam post baptismum & peccati remissionem in carne renatorum manere. 5.) Declarari id potest remissione peccatorum actualium. Quemadmodum enim peccatorum actualium antegressorum remissio reatum eorum tollit, ipsum tamen actum eorum non præcessisse haud quaquam efficit: sic peccati originalis tenacissime nobis inhærentis remissio reatum ejusdem tollit, ipsam tamen vitiositatem non amplius ullo modo nobis inhærere haudquaquam efficit. Innocentius in Psalm. IV. pœnit. *Originale peccatum tranſit reatu, quantum ad labem, & remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt motus vel actus peccandi, ſicut e contrario dici ſolet, quod actuale peccatum tranſit actu & remanet reatu.* 6.) Sic Paulus *nullam damnationem dicit esse in his, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. VIII. 1. Inter quos se ipsum utique connumerat, & tamen conqueritur, in *carne sua non habitare bonum, sed peccatum*: Rom.

„ externæ alicujus adſperginis habent. IV.) Purga-
„ tur, tegitur, tollitur peccatum, non ut non ſit,
„ ut evaneſcat & diſpereat, ſic enim factum fieret in-
„ fectum; ſed ut ne imputetur, noceat & in damna-
„ tionem cedat, & ceu nunquam factum a Deo cen-
„ ſeatur. V.) Hinc dicitur anima renati munda in
„ judicio & oculis Dei, peccatum remittentis & a
„ conſpectu ſuo removentis, non autem in oculis
„ hominum peccata habentium & ſentientium
„ 1 Joh. I. 8. VI.) *Si* myſterium juſtificationis cen-
„ ſuræ humanæ rationis velimus ſubjicere, ſanguis
„ Chriſti adſperſus potius videbitur commaculare,
„ quam purgare. VII.) Quod abſtergit & emun-
„ dat naturaliter & phyſica ratione, de eo recte col-
„ ligitur, quod nihil ſordium in ſubjecto relinquat.
„ Sanguis Chriſti mundat non *phyſice*, ſed *myſtice*,
„ non in oculis hominum, ſed *Dei*. „ GERHARDUS.

Rom. VII. 17. quomodo hæc invicem conciliãda? *Resp.* quamvis peccatum in carne renatorum adhuc habitet, sæpeque exserat, tamen non facit actu reos iræ Dei & æternæ damnationis, modo peccatum inhabitans & circumstans agnoscant, ob id serio doleant, fide in Christum remissionem ejus petant, eidemque efficaciter resistant, nec dominium illi permittant. Sic Christus Joh. XIII. 10. pronunciat, *eum, qui ablutus est, mundum esse totum*, & tamen addit, quod *pedes adhuc lavare*, id est, pravis adfectibus & concupiscentiis resistere debeat. 7.) Hæc & similia dicta superius producta evidenter probant, peccati remissionem non esse in prædicamento *qualitatis*, sed in prædicamento *relationis* collocandam, cum non sit totalis peccati ex carne ablatio, sed tectio & non imputatio. Cum hac tamen peccati remissione perpetuo & individuo nexu conjuncta est renovatio, hoc est, carnis peccatricis mortificatio, & Spiritus vivificatio, quæ in baptismo incipit, per totam vitam durat, & in vita æterna consummata erit. 8.) *Peccata* ergo *deleri* dicuntur *metaphora* a tabulis rationum transsumta. Quemadmodum enim industrii creditores debita in tabulas referunt, quæ remissa sive persoluta, deleri solent & obliterari: sic Deus peccatorum, debita in librum quasi refert, & catalogum eorum in conspectu habet, in remissione autem illa delet & obliterat. Sicut autem debitum persolutum quamvis lineola deleatur, signatura tamen & pictura literarum manet: ita quoque peccata nostra ex libro Dei expunguntur, non ut non amplius exstent, sed ne imputentur, cum Christi sanguine sint deleta. Col. II. 14. 9.) Locus apostolicus Eph. V. non hoc dicit, quod ecclesia in hac vita sit sine macula & ruga, sed *Christum mundare ecclesiam lavacro aquae in verbo, ut sisteret eam* scilicet in vita æterna *sine ruga & macula*, tunc enim vere & perfecte erit gloriosa: in hac vero vita est *nigra & formosa*; Cant. I. 5. & 8. uti Augustinus contra Pelagianos pluribus in locis probat, & Thomas ipse agnoscit part. III. q. 8. art. 3. resp. ad 2. Vide tract. de justif. §. 227. sub finem.

§. CXXXV. *Secundam* classem Bellarminus tribuit illis scripturæ dictis, quæ adserunt, *maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates tolli.*

2.) *Scriptura adserit maculas, inquinamenta & iniquitates tolli.*

Voces maculae, inquinamenti, iniquitatis &c. non significant reatum, id est, obligationem illam, quae potest tolli per non imputationem, sed significant ipsam peccati fœditatem, quam tamen nos manere dicamus. Cant. IV. 7. Tota pulchra es, & macula non est in te. Joh. XIII. 10. Qui lotus est, mundus est totus. Ezech. XXXVI. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris. Eph. I. 4. Elegit nos in corpore carnis ejus & per mortem, exhibere nos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles; *ubi vides non solum non habere maculam, sed nec aliquid, unde reprehendi possint.* Resp. 1.) Quædam dicta loquuntur de reatu; quædam de fine, ad quem adspirandum; quædam de peccatis mortalibus, quæ nos actu iræ Dei & damnationi obnoxios faciunt. 2.) Cant. IV. 7. *Pulchra est* ecclesia Christi amica, *& non est in ea macula*, scilicet respectu Dei non imputantis; interim tamen *nigra* adhuc est Cant. I. 5. scilicet respectu sui, nimirum si peccatum in carne ejus adhuc hærens in se & per se spectetur. *Sponsa naevo nigredinis in hac vita non caret*, ait Bernhardus serm. XXV. super Cant. 3.) Joh. XIII. 10. *Qui lotus est, mundus dicitur totus*: interim tamen diserte ibidem additur, eundem *indigere, ut pedes lavet*, hoc est, adfectus vitiosos corrigat, iisdemque resistat. 4.) Ezech. XXXVI. 25. *ab omnibus immunditiis* per baptismum mundari dicimur, nihilo tamen minus *ab omni inquinamento carnis & Spiritus nos mundare & sanctificationem perficere* jubemur. 2 Cor. VII. 1. Ex quo adparet, mundationem illam de reatus ablatione & incœpta naturæ renovatione intelligendam. 5.) Eph. I. 4. *Sancti & immaculati* dicimur, nimirum *coram Deo* κατ' ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ut ibidem additur. Col. I. 22. *Christus reconciliavit nos, exhibere nos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles*, nimirum *coram ipso*, ut itidem additur. Ergo coram Dei judicio propter Christi meritum, fide adprehensum, habemur pro sanctis & immaculatis, donamur etiam Spiritu sancto, cujus virtute peccato in carne adhuc habitanti resistimus, illudque mortificamus; interim tamen respectu nostri jubemur *exuere veterem hominem, concupiscentias carnis mortificare, ab omni inquinamento nos mundare.*

&c. 6.) Bellarminus regerit, *haec & similia intelligenda esse vel de peccatis, quae postea fiunt, vel de mortificatione sensuum & inclinationum, quae ad malum provocant, licet formaliter peccata non sint.* Resp. peccata illa, quæ postea fiunt, ex peccato in carne adhuc habitante procedunt, si dominium illi permittatur, ergo ex stolonibus de radice, ex fluvio de fonte, ex progenie de matre fieri potest judicium. Vitiosas illas carnis inclinationes & pravas concupiscentias esse peccata, diserte docet vox legis divinæ: *Non concupisces.*

§. CXXXVI. *Tertium* caput (inquit Bellarminus) est *ex figuris baptismi. Nam in circumcisione vere, non autem per solam imputationem circumcidebatur caro: in mari rubro vere suffocabantur Ægypti. Idem dicendum de Jordane sanante lepram,* 2 Reg. V. *de suffocatione porcorum,* Matth. VIII. *de piscina probatica,* Joh. V. *de lotione & curatione caeci nati;* Joh. V. *quas fuisse baptismi figuras testantur veteres.* Resp. 1.) Vitiose opponitur id, quod vere fit, & quod per imputationem fit. Christo mediatori imposita & imputata sunt peccata nostra, quis vero negabit, id vere coram Deo fuisse factum? Vide tractatum de justificatione §. 224. & seqq. 2.) Comparatio inter typum & antitypum non est extendenda ultra tertium. Baptismum esse spiritualem circumcisionem & salutare medium, per quod vetus homo noster mortificatur, lepra spiritualis aufertur, illuminatio & sanitas animæ donatur &c. libenter concedimus, sed ex eo minime sequitur, quod tota carnis vetustas penitus aboleatur, cum scriptura disertis verbis contrarium testetur. 3.) Peccatum plane deletur, tollitur, aufertur, &c. in baptismo quoad reatum & damnationem: vetus etiam homo noster mortificatur, & novus exsurgit; nihilo tamen minus etiam post susceptum baptismum *membra, quae sunt super terram, mortificare jubemur,* Col. III. 5. *nec peccato,* quod in carne adhuc habitat, *dominium permittere.* Rom. VI. 12. Quæ verba expendens Augustinus tract. XLI. in Johan. sic scribit: *Non dicit apostolus: non sit, sed non regnet peccatum in corpore vestro. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur.*

3.) *Figuræ baptismi idem docent.*

§. CXXXVII. *Quartam* classem Bellarminus tribuit illis scripturæ dictis, *quae comparant mundationem justificationis rebus vere & proprie mundis.* Psalm. LI. 9 Lavabis me & super nivem dealbabor. Esa. I. 18. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, & si fuerint rubra ut vermiculus, sicut lana alba erunt. Etaj. XLIV. 22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & tanquam nebulam peccata. *At certe cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, sed cælum vere serenum adpareat.* Resp. 1.) Dicta illa proprie non agunt de baptismo, hactenus igitur sunt a quæstione aliena. 2.) Peccata delentur ut nubes ac nebulæ, dealbantur sicut nix &c. ratione *formalis* ac respectu reatus, quia scilicet Deus non amplius illorum ita recordatur, ut propterea nobis irascatur & pœnas irroget: interim tamen *materiale* & vitiosa qualitas in nobis manet; cum enim duplex sit baptismi beneficium, regeneratio scilicet ac renovatio: regeneratio quidem plenissima est; renovatio itidem verissima, sed non statim plena & perfecta est. *Ego carnalis sum, sub peccatum venundatus,* dicit apostolus, Rom. VII. 14. qui tamen per baptismum vere erat renatus ac renovatus. 3.) Dealbatus erat David in conspectu Dei super nivem, interim tamen orat Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Psalm. CXXX. 3. *Si peccata imputare volueris, Domine quis sustinebit?* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

4.) *Mundatio a peccatis comparatur rebus vere mundis.*

§. CXXXVIII. *Quinta* classis testimoniorum continet *similitudinem peccati originalis.* Rom. V. 19. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. *At illi vere constituuntur peccatores & vere justitiam amittunt, non sola imputatione.* Joh. III. 6. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. *Illi vere sunt carnales, isti igitur vere spirituales,* 1 Cor. XV. 22. Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes

5.) *Per Adamum vera & inhærens injustitia in nos propagata.*

mnes vivificantur. *Hic locus intelligitur de vera morte & vera resurrectione, igitur etiam loca supra citata de vero peccato & vera justificatione.* Resp. 1.) Dictum primum & tertium non agunt de baptismo, hactenus igitur sunt a quæstione aliena. 2.) De antithesi Adami & Christi, injustitiæ ac justitiæ in dicto apostolico Rom. V. 19. late egimus in tractatu de justificatione §. 11. 26. 29. & 222. 3.) Nimirum apostolus Rom. V. 19. & 1 Cor. XV. 22. agit de causa meritoria justificationis & condemnationis, non autem de adplicatione. Si quis ad ipsam adplicationem hæc dicta extendere velit, sequeretur, omnes omnino homines per Christum justificari, sicut omnes ab Adamo damnationem trahunt. 4.) Vitiosam oppositionem inter id, quod vere & quod per imputationem fit, excussimus in tractat. de justificatione §. 234. & sequentibus. 5.) Qui nascuntur ex aqua & Spiritu, non statim plene & perfecte spirituales fiunt, sed luctam carnis & Spiritus sentiunt, Gal. V. 17. Ideo jubentur *carnem crucifigere cum vitiis & concupiscentiis*, v. 24. & coguntur cum Paulo conqueri, se adhuc ex parte *carnales sub peccatum venundatos.* Rom. VII. 14. In vita æterna demum toti erunt spirituales ab omni carnis vetustate liberati ac liberi. 6.) Justitiæ Christi, per fidem imputata, vere tollit reatum peccati & damnationem ab Adamo in nos traductam: quin etiam beneficio Spiritus sancti, a Christo nobis donati, inchoamus operum justitiam, sed illa in hac vita nunquam ad tantam puritatem & perfectionem adsurgit, ut coram Dei judicio eadem niti possimus, qua de re plura suo loco disputavimus. Lutherus serm. de bapt. tom. I. Jen. germ. f. 187. sic respondet: *Quod attinet significationem vel signum sacramenti, peccata cum homine baptizato jamdum mortua sunt, ipseque resurrexit, & completum est sacramentum: sed opus sacramenti nondum est consummatum, id est, mors & resurrectio (in qua fiet totalis peccati deletio) adhuc restat.*

§. CXXXIX. *Sextum* caput (inquit Bellarminus) continet *similitudinem mortis Christi.* Rom. VI. 4. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem: *Et postea*: Si mortui sumus, quomodo vivemus cum illo? *Idem repetitur* Col. II. 12. *de quo loco Augustinus in enchir. c. 52. sic loquitur: Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio. At Christi mors & resurrectio verae fuerunt omnibus modis, non autem verae quoad aliquid, et quoad aliquid falsae: igitur & remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantum, sed quoad omnia, quae peccati rationem habent.* Resp. 1.) Dupliciter cum Christo per baptismum peccato mortui dicimur: primo respectu *remissionis peccatorum*, quæ est beneficium mortis Christi, qua fit, ut tam vere coram Deo nobis propter Christi mortem remittantur peccata, ac si ipsimet propter illa mortem sustinuissemus: Eo respicit apostolus Rom. VI. 7. *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* & 2 Cor. V. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Deinde respectu *renovationis*, quæ complectitur mortificationem carnis peccatricis, hæc itidem est beneficium mortis Christi per baptismum nobis collatum. Eo respicit apostolus Rom. VI. 4. *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus a mortuis surrexit per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* v. 6. *Scientes, quod vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* 2.) Illa peccati mortificatio non minus vera est, quam remissio, non autem ita perfecta est, quin renati adhuc quotidiana carnis mortificatione indigeant: jubentur enim *mortificare membra, quae sunt supra terram*, hoc est, carnem cum suis concupiscentiis. Col. III. 5. Gal. V. 24. 3.) Adeoque ipsa experientia piorum hominum testatur, non omnem carnis vetustatem in illis exstinctam & abolitam esse. Rom. VII. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* 4.) Illa ipsa scripturæ loca, quæ Bellarminus adducit, hanc sententiam nostram efficaciter probant. Monet enim apostolus, renatos peccato mortuos & cum Christo per baptismum in mortem consepultos, *ut ultra non serviant peccato*, Rom. VI. 6. *nec regnare*

6.) *Christi mors est vera mors.*

peccatum finant in mortali corpore, v. 12. *nec exhibeant membra sua arma iniquitatis peccato*: v. 13. sed ut *mortificent membra sua, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam &c.* Col. III. 5. *exspolient veterem hominem cum suis actionibus*, v. 9. *Et induant novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* v. 10. Quæ omnia clarissime demonstrant, mortificationem carnis in baptismo cœptam per totam vitam continuari debere.

7.) *In baptismo renascimur.*

§. CXL. *Septimam* classem assignat Bellarminus illis scripturæ dictis, quæ docent, *baptismo nos renasci*, Joh. III. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Tit. III. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Col. II. 13. Cum essemus mortui propter delicta, convivificavit nos Christo. 1 Petr. II. 2. Quasi modo geniti infantes. *At certe nova ista generatio & vita requirit veram mortem peccatorum & veram mutationem interiorem, non autem solam imputationem. Quomodo enim vere sumus vivificati & regenerati, si adhuc mors in nobis manet?* Resp. 1.) Libenter fatemur, veram peccatorum mortem & veram mutationem interiorem in baptizatis fieri, cum baptismus sit *lavacrum* non solum *regenerationis*, sed etiam *renovationis*; sed ex eo non potest inferri, quod mutatio illa interior sive renovatio statim sit perfecta. 2.) Si enim ea esset gradibus ac numeris omnibus perfecta, tum nihil differret ab illa, de qua Christus Matth. XIX. 28. loquitur: *In regeneratione cum sederit Filius hominis, in sede majestatis sedebitis & vos* &c. Ubi *regenerationis* vox generaliter accipitur, prout ipsam naturæ renovationem ambitu suo includit. 3.) Distinguenda igitur regeneratio *proprie & specifice* sic dicta a renovatione. Illa perfecta est in baptismo, hæc vero *crescit de die in diem.* 2 Cor. IV. 16. *Etsi exterior noster homo corrumpitur, tamen interior de die in diem renovatur.* Eph. IV. 23. *Renovamini Spiritu mentis vestrae.*

8.) *Non possunt simul habitare lucem & tenebras, peccatum & justitiam* 1 Cor. X. 21. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ *daemoniorum.* 2 Cor. VI. 14. 15. 16. Quæ societas luci ad tenebras? quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ conventio Christi ad Belial? qui consensus templi Domini cum idolo? Vos enim estis templum Dei. *Adversarii autem*, inquit Bellarminus, *volunt simul & diabolum in nobis habitare per peccatum, quod vere semper est in nobis, & Christum per justificationem.* Resp. 1.) Uterque locus non agit de baptismo, hactenus igitur est a quæstione alienus. 2.) Prior locus ne quidem de peccati remissione, quomodo ea comparata sit, tractat. Ergo non nisi violenta quadam interpretatione huc adcommodari potest. 3.) Locus posterior gravem continet exhortationem, ne *renati iugum ducant cum infidelibus*, 2 Cor. VI. 14. sed *exeant e medio eorum & separentur ab illis*, v. 17. hoc est, ne *communicent infructuosis illorum operibus*, addita gravissima ratione, *quae enim participatio justitiae cum iniquitate?* &c. 4.) Agit igitur de peccatis mortalibus & regnantibus, per quæ fides, Spiritus sanctus, gratia Dei & vita æterna amittuntur. 5.) Bellarminus regerit, *ex nostra sententia omne peccatum esse sua natura mortale, dignum aeterna morte. Si ergo vere est in nobis iniquitas, ergo tenebrae, ergo Belial: ergo est conventio luci ad tenebras, justitiae ad iniquitatem, Christo ad Belial; non enim iniquitas desinit esse iniquitas, licet non puniatur.* Resp. quamvis omne peccatum sua natura sit mortale, tamen discrimen est inter peccata regnantia & non regnantia; illa non solum sua natura, sed etiam actu sunt mortalia; hæc vero, licet sua natura mortalia sint, tamen in renatis sunt venialia: ideo propter ea nec rei iræ divinæ, nec filii tenebrarum, nec servi iniquitatis, nec filii Belial, nec mancipia diaboli sunt vel dicuntur renati, cum gratuitam eorum remissionem in Christo consequantur, & Spiritu actiones carnis mortificent. 6.) Quamvis igitur peccatum in se & per se comparetur tenebris, tamen renati dicuntur *esse & versari in luce.* 1 Joh. I. 7. Dicuntur *filii lucis*, Luc. XVI. 8. quia non ambulant in peccatorum tenebris, sed secuti lucem & ductum Spiritus sancti peccato resistunt.

8.) *Non possunt simul habitare lux & tenebrae.*

7.) Nec

7.) Nec Belial ibi est, ubi sunt peccata, quibus per Spiritum sanctum resistitur, sed ubi peccata regnant ac dominantur. In renatis est perpetua lucta carnis & Spiritus: si caro adversus Spiritum concupiscens imperium obtinet, tunc demum homines efficiuntur filii Belial; si vero Spiritus adversus carnem concupiscens imperium retinet, tunc sunt & manent filii Dei. Rom. VIII. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, illi sunt filii Dei.* 8.) Apostolus Paulus fatetur *in carne sua adhuc habitare peccatum*; Rom. VII. 17. Johannes exclamat: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus.* 1 epist. I. 8. Adferat Bellarminus suum argumentum: Ergo in illis fuit iniquitas, ergo tenebræ, ergo Belial, ergo est conventio luci ad tenebras, &c. (*). 9.) Quod Bellarminus addit, manere quidem in renatis vetustatem carnis & concupiscentiam pravam, sed eam non esse peccatum, nisi quando libera voluntate ejus desideriis consentitur, de eo suo loco disputatum fuit uberrime.

§. CXLII. *Nonum* caput (inquit Bellarminus) continet ea loca, quæ docent, *Deo odio esse peccata.* Psalm. V. 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Psalm. XXXIV. 17. Odisti iniquitatem. Sap. XIV. 9. Odio est Deo impius & impietas ejus. *Ex his enim locis efficitur, ut aut Deus in justificatione penitus tollat peccata, ita ut nihil sit, quod odio habere possit, aut certe nihil omnino remittat, ne obligationem quidem ad pœnam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odisset, si odisset, punire vellet, si punire vellet, non ignosceret. Itaque dicere, Deum non imputare peccata, quæ vere manent, atque ea nolle punire, est manifesta contradictio secundum scripturas, quæ Deum hostem & vindicem peccatorum severissimum ubique describunt.* Resp. 1.) Bellarminus sibi ipsi repugnat. Nam libr. V. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 13. §. Itaque & c. 14. responsi. ad quartam rationem, concedit, *concupiscentiam odio haberi a Deo*: quomodo

9.) *Deus peccata odit.*

ergo verum manet, quod in justificatione Deus ita tollat peccata, ut nihil sit, quod odio haberi possit? Quomodo vera manet connexio: si Deus peccatum odisset, punire vellet, si punire vellet, non ignosceret? 2.) Ex ipso Bellarmino solutionem hujus argumenti petimus. Sic enim ille lib. V. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 13. §. penult. *In concilio Tridentino recte dictum est, Deum nihil in renatis odisse, quia loquitur concilium de odio, quod redundet in personam, odium autem concupiscentiæ, quod ponit Augustinus in Deo, non redundat in personam, non enim Deus propter concupiscentiam, quæ est in renatis, vult renatos damnare, sed potius vult concupiscentiam paulatim consumere, ut renati perfecte sanentur ac liberentur.* Hæc Bellarminus: quæ licet sententiæ concilii Tridentini non sint conformia, (ut ostendimus in tractatu de peccato actuali, §. 70. argum. 4.) tamen veritati optime congruunt. 3.) Dicimus ergo hanc oppositionem: *aut Deus in justificatione tollit omne id, quod odio haberi possit, aut ne obligationem quidem remittit*, non esse immediatam; sed dari tertium, quod est misericors remissio, tectio, & non imputatio peccati propter Christum: *nullam esse damnationem* ἀδὲν κατάκριμα illis, qui sunt in Christo, pronunciat apostolus; Rom. VIII. 1. sed nihil damnabile in illis esse, nequaquam adserit. 4.) Tollitur enim reatus a persona renati, non autem ab ipsa concupiscentia, ut fiat grata Dei filia. Augustinus libr. VI. contra Julian. c. 6. *Nos eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.* Tractatu XLI. in Joh. *Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat & laudat, nulla laudat, sed odit omnia*; ubi addit, *quod Deus concupiscentiam odio habeat & curando agat, ut consumatur.* 5.) Quemadmodum enim mater odit scabiem & sordes infantis; medicus

(*) Macarius hom. XVI. ὥσπερ ἐστὶν εἰς τὸν ἀέρα ὁ σατανᾶς, καὶ ὁ θεὸς παρὼν ἐκεῖ, οὐδὲν ἀδικεῖται, οὕτως καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ἔστιν ἡ ἁμαρτία, ὁμοίως δὲ καὶ χάρις θεοῦ συνέστι μηδὲν ἀδικεμένη. *Quemadmodum satanas est in aëre, & Deus, qui præsto ibidem est, nihil lædituv omnino: sic peccatum est in anima, similiter quoque gratia divina, nulla omnino injuria adfecta.* GERHARDUS.

cus febrem ægroti; nec tamen ipsum infantem odit mater, nec ægrotum medicus; ita quoque pravam concupiscentiam in renatis odit Deus, ipsos tamen renatos non odit, sed in Christo gratos & acceptos habet. 6.) Regerit Bellarminus: *si concupiscentia esset peccatum, Deus eam ita odisset, ut odium redundaret in personam.* Resp. Sane odium illud in personam redundaret, nisi persona esset Deo reconciliata, & fide in Christum ipsi placeret, unde apostolus notanter dicit, *nullam damnationem esse his, qui sunt in Christo Iesu*, Rom. VIII. 1. ac nos *in dilecto gratos & dilectos a Deo haberi.* Eph. I. 6. Quamvis igitur peccatum ex se & sua natura sit damnabile, tamen renatos non damnat nec reos facit iræ Dei & æternæ damnationis, quia renati sunt sub umbraculo gratiæ divinæ, & placent Deo propter Christum, cujus justitiam fide induerunt. 7.) Remotio actus *secundi* non statim tollit actum *primum.* Quamvis concupiscentia in renatorum carne adhuc hærens non damnet renatos actu secundo, ex eo tamen non sequitur, quod non sit peccatum ex se & sua natura damnabile, quod posset hominem damnare, nisi sub umbraculo gratiæ constitutus esset. Rom. VI. 14. *Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia.* Rom. VIII. 1. *Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant*, ubi non κρίμα sed κατάκριμα respectu renatorum legi detrahitur.

Quomodo intelligendum sit illud Lutheri: Baptizatus non potest gratiam Dei amittere, nisi nolit credere.

§. CXLIII. Cap. 14. disputat Bellarminus contra Lutherum, qui in lib. de captiv. Babylon. cap. de bapt. dixerat: *Baptizatum non posse gratiam Dei amittere, nisi nolit credere.* Respondemus: 1.) Nobis nihil quidquam commune est cum errore Jovinriani, qui, referente Hieronymo lib. II. contra Jovin. & Augustino libr. de hæresibus cap. 82. statuit, *hominem vere baptizatum non posse amplius peccare, & si peccat, non fuisse tinctum, nisi aqua.* 2.) Nec probatur nobis error Calvinianorum, quod fides semel habita non possit peccatis contra conscientiam penitus amitti; qua de re in tractatu de bonis operibus sub finem late disseruimus. 3.) Nec in sinum ecclesiæ nostræ recepimus fanaticas illas opiniones, quas recitat & refellit Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 25. Quod *speranda sit liberatio ab igne aeterno vel omnibus hominibus, vel eis tamen, qui Christi baptismate abluti & corporis ejus sanguinisque participes facti fuerint, quomodolibet vixerint, in quacunque impietate vel haeresi fuerint; vel certe solis illis, qui post accepta sacramenta externam professionem catholicam retinent, licet pessime vivant.* 4.) Contra vero in nostris ecclesiis diserte & perspicue docetur, fidem justificantem non consistere cum peccatis contra conscientiam; baptizatos nequaquam accipere privilegium turpitudinis; gratiam Dei peccatis vastantibus conscientiam excuti; fidem veram non consistere cum impœnitentia & peccandi proposito &c. 5.) Lutherum quod attinet, is eo ipso in loco diserte affirmat, *baptizatos per peccata conscientiam vastantia deserere promissionem gratiae baptismi, a fide & veritate ejus deficere*, item *excidere ex virtute & fide baptismi.* 6.) Disputat autem contra Pontificiorum opinionem, quæ gratiam & virtutem baptismi tantum ad unicum illud momentum, quando baptizamur, restringit, ita ut per totam vitam postea ejus nullus sit usus; siquidem per peccata, post baptismum commissa, ipsa baptismi navis illidatur, & in tabulas dissolvatur, hoc est, vim, virtutem & gratiam baptismi prorsus amitti & irriram fieri, ita ut in vera pœnitentia fides ad eam reverti, & redire nullo modo & nullo unquam tempore possit, sed jam circumspicienda sit alia tabula, nostræ scilicet contritionis & satisfactionis, cujus virtute ad portum salutis pervehamur: huic erroneæ opinioni Lutherus propositionem suam opponit, quam mutilate & truncate adlegatam Tridentini Areopagitæ damnant.

Bellarmini sophisticationes de hac propositione.

§. CXLIV. Hac Chemnitii explicatione, ex ipsis verbis & scopo Lutheri petita, Bellarminus noluit esse contentus. Disputat enim, *tribus modis intelligi posse propositionem illam, quod homo non possit damnari, nisi nolit credere. Primo ut sit sensus, nullum esse peccatum vere & in se mortale, nisi incredulitatem, & haec* (inquit) *non docent ad-*

adversarii, imo e contrario contendunt, omnia opera etiam optime facta esse peccata mortalia, si secundum rigorem justitiae judicentur a Deo. Resp. de tota hac re in tractatu de bonis operibus § 39. late egimus, ubi ostendimus, quis sit sensus illarum propositionum, quod sola incredulitas damnet, quod omnia peccata sint sua natura mortalia, quod bona opera propter adhærentem imperfectionem & immunditiem sint coram Dei judicio peccata &c. *Secundo ut sit sensus, peccata omnia ita esse conjuncta cum infidelitate, & contra fidem ita conjunctam esse cum justificatione, ut non possit fides consistere cum ullo peccato mortali, proinde qui habet fidem, nullum habere peccatum, nec posse perire, & contra quicunque peccat, hoc ipso carere fide; hunc sensum vult esse Chemnitius illius Lutheranae propositionis. Tertio modo potest intelligi illa propositio, ut sit sensus, posse hominem simul, dum peccat, retinere fidem, & per hoc non amittere Dei gratiam praesentem, quia licet peccata ex natura sua hominem reum facerent & Dei inimicum, tamen fides permanens in corde facit, ne imputentur & non damnentur.* His ita præmissis concludit Bellarminus, *propositionem illam Lutheri recte damnatam esse in concilio Tridentino, cum sit dicta a Luthero in sensu tertio, & praeterea etiam sit haeretica in sensu secundo.* Quomodo utrumque pronunciatum probat? *Primum* (inquit) *fuisse illam mentem Lutheri, patet ex his locis:* in libr. de capt. Babylon. cap. de bapt. postquam dixerat, *hominem baptizatum non posse damnari, nisi nolit credere,* subjungit: *Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas: caetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem. Ubi vides eum dicere, si redeat vel stet fides. Putavit igitur Lutherus, posse stare fidem, dum quis peccat, & per eam fidem peccata non imputari, etiam dum fiunt.* Resp. peccata sunt duplicia: infirmitatis & contra conscientiam; peccata *infirmitatis* stant cum fide, & ab ea, ut recte dicit Lutherus, absorbentur: peccata *contra conscientiam* non consistunt cum fide; interim tamen si per veram pœnitentiam ea deleantur, fides etiam eorum remissionem in baptismi fœdere invenit. Lutherus igitur *disjunctiva* oratione usus est, si stet vel redeat fides, propter duplicis generis peccata: in peccatis infirmitatis fiat adhuc fides, in peccatis contra conscientiam exstinguitur; necesse igitur est, ut redeat; quem esse verum illius propositionis sensum, integer contextus docet. Quæ ulterius ex Luthero adfert Bellarminus pro stabiliendo Epicuræo illius propositionis sensu, quasi statuerit, peccata contra conscientiam cum fide consistere, utpote quod personam bonam non faciat nisi fides, nec malam nisi incredulitas; quod nihil peccet, nisi incredulitas; quod credentis in Christum nulla sint tam mala opera, quæ possint illum accusare & damnare; quod ubi fides sit, ibi nullum noceat peccatum &c. ea ex adlata peccatorum distinctione recte intelliguntur, & late exposita sunt in tractatu de bonis operibus §. 33. & sequentibus. Denique quæ adfert pro stabiliendo dogmate, quod vera fides possit esse sine caritate, & cum peccatis contra conscientiam simul subsistere, ea late discussa sunt in tractatu de justificatione §. 183. & sequentibus.

Quomodo intelligendum sit illud Lutheri: baptismum liberare nos a lege.

§. CXLV. Cap. 15. contra aliam Lutheri propositionem Bellarminus disputat, ubi repetit can. VII. concil. Trid. *Baptismus non id efficit, ut homo solius fidei debitor sit, non autem universae legis Christi servandae.* Resp. insidias illius canonis exposuit Chemnitius, ex quo hæc reperimus: si qui adfirmant ac docent, baptizatos per baptismum tantum debitores fieri solius fidei, hoc est, historiæ notitiæ articulorum fidei & externæ professionis, ita ut peculiari privilegio prorsus exemti sint ab obedientia mandatorum Dei, ac liberum & arbitrarium sibi esse statuant, sive obsequi mandatis Dei, sive ea violare & secure peccatis indulgere posse, illis jure anathema dici. Hoc vero a nobis abest quam longissime; dicimus autem, non pendere ex conditione legis a nobis impletæ, ut promissio & gratia baptismi nobis rata sit & firma; sed requiri tantum fidem, qua gratuita illa beneficia, quæ nobis propter Christum donantur, ad nos recipiamus. Fides enim accipit promissionem bapti-

ptiſmi; Marc. XVI. 16. *lex autem non eſt ex fide*, Gal. III. 12. & fides perpetuo maneret incerta, promiſſio etiam nec rata nec utilis eſſe poſſet, ſi penderet ex conditione legis a nobis impletæ: ideo ex fide, *ut ſecundum gratiam ſit firma promiſſio*, Rom. IV. 16. Hæc omnia Chemnitius.

Exceptiones Bellarmini.

§. CXLVI. Bellarminus excipit, *Lutheri ſententiam tam diſerte ab ipſomet Luthero expreſſam eſſe, ut nullo modo excuſari poſſit. Sic enim ipſum loqui in* libr. de libert. chriſt. *Nullo opere, nulla lege chriſtiano homini opus eſt, cum per fidem liber ſit ab omni lege. Item* in argum. epiſt. ad Gal. *Summa ars & ſapientia chriſtiana eſt neſcire legem, ignorare opera & totam juſtitiam activam.* Et infra: *Ad novum hominem nihil pertinet lex, quibus ſimilia alibi paſſim docent.* Reſp. loquitur Lutherus non de vita hominis chriſtiani, ſed de ipſo actu juſtificationis, ac recte ſtatuit, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & ſalutem adprehendi ſola fide in Chriſtum, juſtificationem non eſſe ex lege & operibus, ſed ex evangelio & fide: hactenus igitur & hoc reſpectu nulla lege, nullo opere homini chriſtiano opus eſt; ſed juſtitia Chriſti per fidem ipſi imputata liberat eum ab accuſatione & damnatione legis, non tamen ab obedientia legi præſtanda. Si ad renovationem hæc Lutheri dicta quis extendere velit, cum reduplicatione & in ſenſu compoſito erunt accipienda. Homini chriſtiano & renato, quatenus chriſtianus & renatus eſt, nulla lege opus, urgente ſcilicet & cogente, quia ſponte facit bona opera: interim tamen, quia non totus renovatus, ſed ſub carnis vetuſtate ex parte adhuc conſtitutus, ideo legis præceptis & minis caro ejus refractaria coercenda & Spiritus imperio ſubjuganda. Pergit Bellarminus, ſententiam concilii non eſſe, quod *requiratur ad gratiam baptiſmi conſequendam conditio legis ſervatae, cum alibi doceat, nulla eſſe noſtra merita ante gratiam juſtificationis, ſed ſolum propoſitum ſervandae legis poſt baptiſmum.* Reſp. an non ipſe Bellarminus docet, nos non juſtificari fide ſola, ſed fide & operibus, illa autem opera noſtra perfecte implere legem? An non docet, in baptiſmo infundi habitus fidei, caritatis, ſpei &c. per quos *formaliter* ſit juſtus? Jam vero caritas ad legem pertinet, & eſt legis impletio. Ad juſtificationem omnino requiritur juſtitia & perfecta legis impletio; jam vero illam juſtitiam & legis impletionem non docent fide in Chriſto quærendam, utique ergo noſtram legis impletionem requirunt. Quod ad propoſitum legis ſervandæ attinet, illud omnino & nos requirimus in baptizatis; interim non hoc fine, ut per ſuam impletionem ſperent ſe promereri poſſe gratiam Dei, remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ſed ut ſe gratos Deo & proximo utiles præſtent, ac fidem ſuam per opera demonſtrent &c. Fatemur & nos, baptizatos eſſe debitores, non ut ſecundum carnem vivant, ſed ſecundum Spiritum ambulent, ac in via mandatorum Dei currant; interim tamen beneficia in baptiſmo oblata non a conditione noſtrorum operum ac meritorum dependere dicimus, ſed gratis propter Chriſtum donari & fide a nobis accipi; & quamvis regenerationi perpetuo conjuncta ſit renovatio, per quam liberati a peccato ſervi reddimur juſtitiæ, & in novitate vitæ Deo in poſterum ſervimus, tamen promiſſio gratiæ, remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ non ex noſtris operibus, vel noſtra impletione legis pendet, ſed fide in Chriſtum accipitur. Reliqua, quæ de operum neceſſitate ad ſalutem Bellarminus diſputat, ſuo loco, nimirum in tractatu de juſtificatione, ſunt expoſita. Vehementer hoc loco Bellarminus exagitat Lutherum, quod in c. III. Gal. ſcripſerat: *Cum illaqueant te argumentis ex ſcripturis pro defenſione bonorum operum deſumtis, ſimpliciter reſpondendum eſt: hic mecum eſt Chriſtus, illic vobiſcum ſcripturae teſtimonia pro operibus. Chriſtus autem Dominus ſcripturae & bonorum operum &c. Egregia vero ſolutio,* (inquit Bellarminus) *quoniam Chriſtus & ſcriptura ſint contraria, & non potius Chriſtus per ſcripturam nos adloquatur.* Et paulo poſt: *Nimirum illud adſequi voluit Lutherus, ut ipſe unus non ſolum pro omnibus patribus & conciliis, ſed etiam pro omnibus divinis literis habeatur.* Reſpondemus autem, Lutherum de actu juſtificationis & de angore conſcientiæ legis minis territæ

territæ eo in loco agere, quo in casu doctrina legis & operum omnino ex oculis removenda, & solus Christus cum suo merito respiciendus &c.

Quid statuendum de propositione Lutheri, per baptismum liberari homines ab obligatione legis ecclesiasticæ.

§. CXLVII. Cap. 16. conatur Bellarminus demonstrare, falsam esse Lutheri propositionem, quod *per baptismum liberentur homines ab obligatione legis ecclesiasticae.* Resp. repetimus ex Chemnitio verum hujus propositionis sensum. Quando per baptismum a Deo in filios ejus adoptati, & in familiam ejus recepti & adscripti sumus, tunc ad obedientiam filialem Deo præstandam obligamur: sed juxta ipsius mandata, non autem juxta traditiones hominum. Cum enim Deus in domo sua magna, quæ est ecclesia, sibi soli vindicet jus & auctoritatem gubernandi verbo conscientias familiæ suæ, imo liberorum suorum, & quia in baptismo ad hujus patrisfamilias obedientiam nos obligavimus, qui etiam conscientias nostras ab omnibus humanis traditionibus, mandatis & doctrinis liberavit & absolvit, sicut scripturæ dicta manifeste testantur, Ezech. XX. Matth. XV. 2 Cor. VII. Col. II. Jac. IV. &c. ideo Lutherus libere & recte concludit, nec papam, nec ullum hominem habere jus unius syllabæ constituendæ super conscientiam christiani hominis, quidquid vero aliter fit, tyrannico spiritu fieri contra libertatem ecclesiæ. Num vero hæc sententia absolvit christianos ab obedientia politico magistratui debita? Nequaquam: expresse enim loquitur de iis, quæ conscientiæ imponuntur: & ipsa obedientia politico magistratui debita verbo Dei mandata & sancita est. Num vero nulla debet esse reverentia vel auctoritas ministerii ecclesiastici? omnibus modis, sed non ita, ut habeat imperium vel merum vel mixtum in ecclesia, sed ut habeant ministerium. Quando igitur adferunt doctrinam, vocem & verbum Dei, tunc non hominibus sed ipsi Deo præstamus obedientiam: quando vero conscientiis aliquid imponunt extra, præter, aut contra verbum Dei, tunc baptismus commonefacit nos & nostræ obligationis ad obedientiam verbi divini & nostræ libertatis a mandatis, doctrinis & traditionibus hominum. Quid vero si de rebus indifferentibus ecclesia aliquid statuat, quod ad ordinem, decorum & ædificationem faciat? *Resp.* si constitutiones pugnant cum verbo Dei, aut quando adsuuntur impiæ opiniones, tunc interdicta est obedientia; quando vero res sunt adiaphoræ & sine impiis opinionibus proponuntur, tunc valet regula apostoli: *Omnia fiant decenter, ordine & ad aedificationem.* Caritas etiam exemplo Pauli in obsequium fratrum infirmorum multa talia, quæ sine læsione conscientiæ fieri possunt, facit: & tamen salva conscientiæ libertate, sine opinione necessitatis talia servanda sunt. Hæc omnia Chemnitius.

Exceptio Bellarmini.

§. CXLVIII. Bellarminus rejicit hanc disputationem ad locum de summo pontifice, & argumentis nostris pro libertate a traditionibus humanis ex scriptura adductis respondet hoc modo: *Deum esse unum legislatorem scilicet summum, qui ita ferat aliis leges, ut nullas ab alio accipiat: interim tamen & ecclesiasticum & politicum magistratum leges ferre posse.* Resp. concedimus politicum magistratum habere auctoritatem ferendarum legum civilium, iisque christianos obligatos esse, modo cum divina lege non pugnent. Ecclesiæ ministris itidem concedimus, quod possint ordinationes honestas ordinis & decoris causa in ecclesia servandas instituere; interim tamen si præter vel etiam contra verbum Dei conscientias hominum suis legibus velint illaqueare, easdemque sub opinione necessitatis, cultus & meriti obtrudere, tunc dicimus, christianos ab earum obligatione esse liberos, quod toties scriptura docet, quoties mandata hominum, doctrinas hominum & traditiones fugiendas monet, quoties ad solam legem Dei nos revocat, quoties libertatis per Christum nobis partæ meminit &c. Cumprimis vero monarchicam illam potestatem pontifici denegamus; qua possit leges ferre, quæ omnium & singulorum christianorum in toto orbe conscientias obligent: ex quibus intelligi possunt ea, quæ Chemnitii argumentis Bellarminus obvertit.

Quomodo intelligenda sit illa propositio Lutheri, per

§. CXLIX. Cap. 17. disputat Bellarminus contra Lutherum, *per baptismum non fieri irrita omnia vota.* Resp. ex Chemnitio: in vet. testam. verbum Dei disponebat rationem

baptismum vota fieri irrita.

tionem votorum, de quibus rebus & quomodo fieri possent: in novo autem testamento Christus & apostoli nihil nobis præscripserunt de peculiaribus votis: sed in baptismo ex præscripto verbi Dei fit generalis professio, votum seu promissio, qua nos Deo subjicimus & obligamus ad obedientiam. Ad professionem igitur baptismi recte & merito exigenda sunt omnia christianorum vota, quæ legitima censeri debent: regula autem & norma voti, quod in professione baptismi emittimus, est sententia illa Christi Matth. XXVIII. 20. *Docentes eos servare, quaecunque ego praecepi vobis:* Et Rom. VI. 18. *Liberati a peccato servi facti estis Deo, traditi in formam doctrinae apostolicae.* Col. II. 20. *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini juxta mandata & doctrinas hominum?* Et hæc cum ita se habeant, conqueritur Lutherus, baptizatorum conscientias onerari & implicari infinitis aliis votorum legibus ab hominibus constitutis; quædam enim sunt vota religionum, quædam peregrinationum, quædam aliorum operum; de illis legibus & opinionibus votorum queritur & fidei & baptismo detrahi. Quasi enim ipsum baptismi votum non satis sit vel præstans, vel sufficiens, conquiruntur & cumulantur alia, quibus conscientiæ ita occupantur, ut & memoria baptismi obruatur, & dignitas ejus extenuetur. Disputatur enim & statuitur opus intra tale votum factum esse præstantius & infinitis præmiis præferendum, quam si extra tale votum simpliciter ex mandato divino fieret. Addunt alii, ingressum religionis esse velut novum baptismum, quem deinceps liceat toties renovare, quoties ab integro proposito religionis renovatur. Et inter hos strepitus opinionum de votis vix quisquam baptismum suum recordatione dignatur. Leges etiam, vincula & laquei votorum pugnant cum libertate a mandatis & doctrinis hominum, in quam per baptismum collocamur. Col. II. 6. Et quia in baptismo abunde & plus, quam possimus implere, vovimus, sat etiam negotium habituri, si per totam vitam huic rei intenderemus: censet igitur Lutherus, satis esse, ut omissis & sublatis aliis votis, quæ nec Dei mandatum, nec scripturæ exemplum habent, omnes christiani revocentur ad baptismi vota. Hæc Chemnitius ex Luthero.

Exceptiones Bellarmini.

§ CL. Bellarminus regerit: 1.) *Vota esse de jure naturae, ideo nihil mirum, si Christus & apostoli de illis nihil praescripsissent: praeterea falsum esse, quod apostoli nihil de votis tradiderint, cum Paulus 1 Tim. V. 22. loquatur de voto continentiae.* Resp. integra doctrina de votis ad alium locum pertinet; votum patriarchæ Jacobi fuit eucharisticum toto cœlo a votis pontificiis, de quibus hoc loco agitur, discrepans: dictum apostolicum 1 Tim. V. 22. suo pertractabitur loco. 2.) *Voveri posse tum res praeceptas a Deo, ut per votum homo magis obligetur, tum res non praeceptas, modo sint bonae & juvent ad vitanda peccata.* Resp. quæ vota a nobis adprobentur vel improbentur, suo adparebit loco. 3.) *Falsum esse, quod in baptismo plus promittamus, quam implere possimus, cum Christus legem suam vocet jugum suave, & patres adserant, blasphemum esse dicere, quod mandata Dei sint impossibilia.* Resp. in tract. de lege §. 181. & sequentibus evicimus immotis argumentis, legem Dei ne a renatis quidem in hac carnis imbecillitate perfecte impleri, ubi & Christi dictum & patrum pronunciatum exposuimus. Addit hoc loco Bellarminus egregium emblema: *Baptismus est sufficiens ad suum finem, hoc est, ad salvandum hominem, licet addi aliquid possit, ut vel facilius vel excellentius aliquis salvetur, nimirum per vota:* de quo piæ mentes judicent.

Quid statuendum de propositione illa Lutheri: Sola memoria & fide suscepti baptismi dimitti peccata.

§. CLI. Cap. 18. disputat Bellarminus, *sola memoria & fide suscepti baptismi non posse dimitti peccata post baptismum commissa, sed necessarium esse poenitentiae sacramentum.* Suarez in Apoc. serm. XV. p. 323. *Quid magis nefandum, quid magis exsecrabile, quam adfirmare, baptismum non solum pro peccatis praeteritis purgandis accipi, sed etiam pro futuris, ita ut quoties aliquis in peccatum labitur, dummodo recordetur, se semel baptizatum fuisse, veniam delicti accipiat.* Resp. repetimus nos explicationem ex Chemnitio illius sententiæ, quam in Luthero can. X. concilium Trident. damnare voluit. Lutherus lib. de captiv. Babylon. inter cætera in doctrina pontificia reprehendit etiam

iam hanc periculosam, falsam & pernicioſam opinionem, quod finxerunt gratiam baptismi valere tantum ad remissionem peccatorum præteritorum, vel quæ baptismi tempus in homine invenit, ita, ut si post baptismum aliquis in peccatum labatur, etiamsi pœnitentiam agat, & vera fide ad promissionem gratiæ & reconciliationis propter meritum Christi in baptismo sibi oblatam, datam, communicatam, adplicatam & obsignatam redeat, nihil tamen amplius ad reconciliationem sibi prosit gratia promissionis baptismi: sed quia per lapsum gratia baptismi ita sit amissa, ut fracta & illisa prorsus exciderit & irrita facta sit, etiamsi in seria pœnitentia per veram fidem peccator ad fœdus illud revertatur, quod in baptismo Deus nobiscum pepigit, ideo in pœnitentia de peccatis post baptismum commissis, fidem quærere debere expiationem & reconciliationem, non in gratia illius promissionis, quæ in baptismo nobis oblata, communicata & obsignata est, sed alia circumspicienda, quærenda & tentanda esse media, per quæ consequamur gratiam, reconciliationem & remissionem peccatorum. Contra vero scriptura testatur, virtutem, efficaciam & operationem purgationis & sanctificationis baptismi per totam christiani hominis vitam durare & valere.

Quomodo Bellarminus sententiam nostram exponat.

§. CLII. Bellarminus *primo* sententiam nostram per quatuor hypotheses exponit. *Adversarii* (inquit) *de hac re docent 1.) baptismum non aliter justificare, nisi subjiciendo ante oculos promissionem, & eo modo excitando fidem, quae sola justificat.* Resp. docemus, baptismum esse *lavacrum regenerationis & renovationis.* Tit. III. 5. Quæ cum sine fide locum non habeant, ideo baptismum etiam esse efficax medium, per quod Spiritus sanctus fidem accendat, augeat, confirmet & obsignet: id fit non solum exterius ante oculos subjiciendo promissionem, sed etiam interius in ipsa & per ipsam baptismi actionem operando, ut docet exemplum infantum baptizatorum, quos fide in baptismo donari, paulo post demonstrabimus, cum in oculis & auribus ipsorum verbum promissionis non possit eo modo subjici, ut meditatione illius fides excitetur. 2.) *Inde colligunt, cum quis peccat post baptismum, posse per memoriam baptismi iterum redire ad gratiam ipsam baptismi. Nam sicut ipse baptismus subjicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria & cogitatio baptismi, proinde ipsa etiam memoria excitat fidem, & eodem modo justificat. Id quod etiam in aliis rebus videmus: nam si quis visa insigni imagine crucifixi moveatur ad amorem Christi crucifixi, certe etiam postea cum imaginem non videt, si mente recogitet & recordetur eam speciem, movebitur.* Resp. in quibus vero scriptis nostrorum illas speculationes legit Bellarminus? Baptismum nequaquam statuimus esse nudum signum & memoriale gratiæ, eo modo fidem excitans, quo imago crucifixi amorem Christi excitat, sed dicimus baptismum esse salutare & efficax medium, per quod in fœdus gratiæ recipimur, sanguine Christi a peccatis abluimur, fide, Spiritu sancto & vita æterna donamur. *Ut ergo semel super nos lata divina promissione baptismi:* Qui erediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: *usque ad mortem veritas ejus perseverat: ita fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali & roborari perpetua memoria promissionis ejusdem in baptismo nobis factæ. Quare dum a peccatis resurgimus sive pœnitemus, non facimus aliud, quam quod ad baptismi virtutem & fidem, unde ecciderамus, revertimur, & ad promissionem tunc factam redimus, quam per peccatum deseruerамus:* quæ sunt verba Lutheri in lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. 3.) *Inde rursum colligunt*, (inquit Bellarminus) *sacramentum pœnitentiae nihil aliud esse, nisi ipsum baptismum memoria & fide repetitum. Et sicut post baptismum non remanet ulla satisfactio, nec sunt necessariae indulgentiae, nec purgatorium post hanc vitam: ita existimant post pœnitentiam, id est, post memoriam baptismi nullam superesse satisfactionem.* Resp. nemo nostrûm dicit, pœnitentiam nihil aliud esse, quam baptismum memoria & fide repetitum, sed teste ipso Bellarmino libr. I. de pœnitent. cap. 19. duas pœnitentiæ partes statuimus, contritionem scilicet & fidem, cum quibus nova obedientia tanquam fructus & immediatum consequens perpetuo est conjuncta. Dissimulat hoc Bellarminus, ut speciem aliquam calumniæ suæ indueat, quasi statuamus, illos, qui sine vera peccati

agnitione in sceleribus perseverant, modo perfunctorie & historice recordentur, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccatorum remissionem consequi, ut non sit opus pœnitentia & ministerio clavium. Unde paulo post subjungit Bellarminus: *haec est ipsorum sententia & certe satis delicata, & mollis, ut ne Epicuro quidem merito displicere queat.* At quis nostrum ita docuit? ab illis, qui post baptismum in peccatum prolapsi sunt, non solam & nudam historicam recordationem baptismi, sed veram & seriam pœnitentiam requirimus: cum autem veræ pœnitentiæ pars sit fides, eam recordatione fœderis in baptismo olim initi & promissionis semel factæ confirmari & posse & debere dicimus. 4.) *Inde colligunt non recte dixisse Hieronymum in cap. III. Esajæ, & ante eum Tertullianum libr. de pœnit. pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam.* Resp. quo sensu hanc descriptionem pœnitentiæ probemus vel improbemus, exposuimus in tract. de pœnit. §. 13.

Bellarmini de hac propositione sententia.

§. CLIII. Huic sententiæ nostræ depravatæ potius quam expositæ suam & suorum opinionem Bellarminus opponit, quam itidem quatuor hypothesibus complectitur. *Catholici statuunt 1.) baptismo remitti peccata ex opere operato, id est, vi sacramenti.* Resp. de opere operato in tract. de sacram. in genere late egimus. Si opus operatum fidei opponitur, negamus, baptismo ex opere operato remitti peccata. Si vero opus operatum opponitur illi opinioni, quod baptismus sit tantummodo signum, non autem efficax medium ablutionis a peccatis, jubemus, ut mentem teneant, barbaram vero linguam corrigant. 2.) *Inde colligunt, baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed tantum ad praeteritum.* Resp. contrarium paulo post demonstrabimus. 3.) *Inde colligunt, amissam baptismi gratiam non posse iterum recuperari per baptismum, sed quaerendum esse aliud remedium magis arduum & difficile, id est, sacramentum pœnitentiae, post quod remanet luenda pœna temporalis pro satisfactione, & inde consequitur utilitas indulgentiarum, purgatorii locus &c.* Resp. de tota hac re in tract. de pœnitentia diximus, quantum satis. Ne unico quidem scripturæ dicto probari potest, aliam rationem esse reconciliationis cum Deo, aliud remissionis medium post baptismum, quam ante baptismum. Utrobique eadem promissio, idem meritum Christi, eadem gratia Dei, eadem fides. 4.) *Inde colligunt, rectissime dictum esse a patribus, pœnitentiam post baptismum esse secundam naufragii tabulam, quia non redeunt, qui pœnitentiam agunt, ad baptismi navim, sed magno cum labore navigant, ut ii, qui arrepta tabula post naufragium in ea vehuntur.* Resp. fœdus, quod in baptismo Deus nobiscum init, non præteritum tantum tempus, vel momentum illud, in quo baptizamur, respicit, sed est æternum fœdus; quamvis ergo per peccata postmodum ex eo excidamus, non tamen ita dissolvitur & frangitur, ut per pœnitentiam non pateat ad illud reditus. Si qui ergo ex articulo baptismi in mare perditionis prosiliunt, hoc est, deserta promissionis fide in peccatum sese præcipitant, navis ipsa permanet integra, ad quam si per veram pœnitentiam redeunt, in portum salutis provehuntur.

An Chemnitius sententiam concilii in hac quæstione depravaverit?

§. CLIV. *Secundo* loco Bellarminus accusat Chemnitium, quod depravaverit concilii Tridentini sententiam, tribuendo ipsi, quod statuat, 1.) *non posse hominem etiam per veram pœnitentiam redire ad gratiam baptismi & fœdus, quod Deus in baptismo nobiscum pepigit. At* (inquit Bellarminus) *hoc non dicunt catholici: fatemur enim, posse hominem redire per veram pœnitentiam ad gratiam & ad fœdus in baptismo initum, hoc est, ut simus iterum filii Dei per gratiam, sed negamus id fieri per eadem instrumenta fœderis, hoc est, per baptismum aut ejus memoriam, sed per sacramentum pœnitentiae.* Resp. ipsam baptismi navim frangi ac dissilire dicunt, si quis post baptismum in peccata prolabatur, quomodo igitur ad fœdus in baptismo initum patebit iterum reditus? πρῶτον ψεῦδος in eo consistit, quod baptismum ex opere operato sine fide prodesse statuunt, & ex pœnitentiæ partibus fidem eliminant: nos contra statuimus, eandem esse fidem, quæ in ipsa actione baptismi adprehendit promissionem gratiæ, quæque post lapsum in pœnitentia rursus promissionem

nem illam adprehendit, ac proinde idem esse medium & instrumentum, per quod in baptismo & post baptismum in vera pœnitentia gratiæ Dei & remissionis peccatorum participes reddimur. 2.) Quod statuat, *catholicos, cum peccant post baptismum, niti propria constitutione & satisfactione, ut redeant ad gratiam. Sed hoc etiam falso dictum est*, (inquit Bellarminus) *nitimur enim gratia Dei, Christi meritis, & virtute atque efficacia sacramenti, non propria contritione, licet contritionem ut dispositionem requiramus, sicut etiam cum baptizamur, requirimus fidem & pœnitentiam, & tamen non iis nitimur, ut causis justificationis, sed Dei gratiæ, Christi merito & sacramenti efficacia.* Resp. recolat Bellarminus sua verba. *Contritio est actio bona & libera, ad evangelium pertinens;* libr. II. de pœn. cap. 2. *In bonis autem meritis fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur;* libr. V. de justif. cap. 7. *Contritio est causa remissionis peccatorum duobus modis, quia disponit ad justificationem, & impetrat remissionem peccatorum, est meritum de congruo justificationis;* libr. II. de pœnit. cap. 12. *Potest tanta esse pœnitentia sive contritio, ut deleat omnem culpam, & sic reditur ad gratiam omnino similem ei, quae in baptismo habita est;* libr. I. de bapt. 18. §. Nota secundo. *Maxime consentaneum est rationi, ut si Deus ex misericordia peccata condonet, etiam justitiae, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit;* (nimirum per nostra opera, de ea enim satisfactione ibi agit) libr. IV. de pœnit. cap. 5. Ex quibus omnibus adparet, confessionem non tantum ut dispositionem, sed etiam ut meritum requiri. Nec fieri potest, ut sola Dei gratia & solis Christi meritis nitantur, qui suorum operum merita ac proprias satisfactiones justificationis articulo ingerunt; de tota hac re suo loco plura. 3.) *Quod concilium Tridentinum damnaverit Epicuraeam sententiam de sola memoria baptismi in sceleribus, quae tamen Luthero non venerit in mentem. At* (inquit Bellarminus) *concilium addit fidem, dum negat sola recordatione & fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri peccata.* Resp. fidem describunt nuda historiæ notitia, non autem agnoscunt eam pro fiduciali adprehensione meriti Christi, quæ cum vera pœnitentia, dilectione & bonis operibus perpetuo sit conjuncta: inde est, quod fidem in fornicariis, sodomitis, adulterisque permanere dicunt: atqui talem fidem historicam nequaquam Lutherus intellectam voluit, sed vivam & efficacem illam fidem, quæ Christum adprehendit, & per dilectionem operatur.

§. CLV. His ita præmissis argumenta sententiæ nostræ proferemus. I.) Deus in baptismo fœdus gratiæ nobiscum init, ac pollicetur, se fore Deum ac patrem nostrum, perinde uti olim in circumcisione cum Abrahamo & semine ejus pactum iniit. Jam vero fœdus Dei est æternum & perpetuum, nec, si per peccata inde excidimus, ita frangitur ac dissolvitur, ut etiamsi in vera pœnitentia per fidem ad illud redeamus, Deus tamen illud amplius servare, ratum & firmum esse pœnitentibus nolit, cum incredulitas hominum fidem Dei nequaquam evacuet. Quo pertinent sequentia scripturæ dicta: Gen. XVII. 7. *Feriam fœdum pactum in fœdus sempiternum.* Exod. VI. 5. *Recordatus sum fœderis mei.* Conjunge Lev. XXVI. 9. & 44. Num. XVIII. 19. Deut. IV. 31. VII. 9. 1 Reg. VIII. 23. 2 Reg. XIII. 23. Nehem. I. 5. Dan. IX. 4. Esa. LV. 3. Jer. XXXII. 40. XXXIII. 20. Ezech. XVI. 60. XXXVII. 26. Ose. II. 19. Cumprimis notanda sunt hæc testimonia: Esa. LIV. 10. *In misericordia sempiterna misertus sum tui: montes enim commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Rom. III. 3. *Num incredulitas hominum fidem Dei evacuabit? absit.* cap. XI. 29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* 2 Tim. II. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest.* Unde Deus ipse jubet homines lapsos ad pactum cum illis initum per veram pœnitentiam reverti, quo pertinet dulcissima promissio: Jer. III. 1. *Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam*

Argumenta pro nostra sententia, quod efficacia baptismi extendat se in futurum.

1.) Fœdus Dei in baptismo nobiscum initum est perpetuum.

eam ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus. v. 12. *Revertere rebellis Israël, &c.* Fœdus in baptismo initum comparatur fœderi conjugali, ut ostendit locus Eph. V. 25. Quemadmodum igitur maritus uxorem, quam in adulterio deprehensam bono jure repudiare poterat, retinens, non ad aliud quam conjugii semel contracti fœdus revocat: ita Deus sponsam adulteram fornicantem cum amatoribus multis non ad aliud, quam semel initum spiritualis conjugii pactum reverti jubet. Lutherus in libr. de captivit. Babylon. cap. de baptismo tom. II. Jen. lat. fol. 271. *Si filii Israël ad pœnitentiam reversuri primo omnium exitum de Ægypto memorabant, & hac memoria ad Deum, qui eduxerat eos, revertebantur, quae memoria & hoc ipsum praesidium eis toties a Mose inculcatur, & a Davide repetitur; quanto magis nos nostrum de Ægypto nostra exitum debemus memorare, & ejus memoria redire ad eum, qui nos eduxit per lavacrum regenerationis novae, cujus memoria in hoc ipsum nobis commendata est.*

Exceptiones Bellarmini. 1.) contra locum Esa. LIV.

§. CLVI. Bellarminus regerit, *Chemnitium sine ulla verecundia ludere in scripturis, earumque testimonis abuti. 1.) Cum locus* Esa. LIV. *contineat promissionem absolutam, nimirum de fovenda perpetuo ecclesia: ista enim promissio a nulla conditione pendet, est enim matrimonium inter Christum & ecclesiam plane indissolubile.* Resp. Deus non solum cum ecclesia in genere, sed etiam cum singulis fidelibus in specie init fœdus, quod ex parte Dei est æternum & inviolabile, ut testantur dicta superius adlegata. Ergo locus propheticus non solum ad universam ecclesiam, sed etiam ad quamvis fidelem animam per baptismum in fœdus Dei receptam adcommodari potest, cum genus includat suas species. Quod absoluta quædam promissio ecclesiæ data sit, pugnat non solum cum scripturis, quas in loco de ecclesia proferemus, sed etiam cum ipsa experientia. Deus enim synagogæ Judaicæ dedit libellum repudii propter fornicationes spirituales: invertimus ergo rationem a Bellarmino adductam. Quemadmodum matrimonium, licet in se sit vinculum indissolubile, tamen per adulterium solvitur: ita quoque desponsatio ecclesiæ facta propter spirituales ejusdem fornicationes & apostasias evacuatur & exspirat. Esa. I. 21. Jer. III. 8. Ezech. XVI. 50. Ose. II. 2.

2.) *Locus* Rom. III. (ait Bellarminus) *continet absolutam promissionem de mittendo Messia in mundum. At promissio baptismi non est absoluta, sed conditionata; quia includit conditionem fidei, perseverantiae &c.* Resp. nemo nostrum dicit, promissionem baptismi esse absolutam eo modo, ut perseverantes in sceleribus sine pœnitentia & fide nihilominus salutis futuri sint participes, sed requirimus & nos conditionem fidei perseverantis: addimus autem esse veram fidem, non tantum, quando in ipsa actione baptismi adprehendit promissionem gratiæ, verum etiam quando post baptismum eam retinet, imo quando post lapsum in pœnitentia rursus promissionem illam adprehendit. Ut veritas promissionis in baptismo nobis factæ perseverat usque in seculum: ita quoque fides in eandem nunquam debet intermitti, sed usque ad mortem ali & roborari perpetua illius promissionis recordatione. Dictum Rom. III. generale est de omnibus Dei verbis & promissis, quibus si vel maxime homines fidem denegent, ipse tamen manet verax & constans, ac promissa illius manent veracia.

2.) contra locum Rom. III.

3.) *Locus* 2 Tim. II. *promissionem conditionatam continet, si negaverimus, ille negabit nos.* Resp. sane illos, qui post baptismum in delictis contra conscientiam secure perseverant, & pertinaciter sine pœnitentia Deo obluctantur, Deus abjicit & repudiat; interim tamen eos, qui post lapsus per pœnitentiam revertuntur, vi fœderis & promissionis semel in gratiam recipit, cum sit fidelis, & se ipsum, hoc est, suam misericordiam & promissionem ex ea factam, negare non possit. Distinguendum igitur inter peccata infirmitatis, lapsus quotidianos, delicta involuntaria, vel etiam graviores lapsus, quos sequitur pœnitentia: & inter obstinatam pertinaciam cum finali impœniten-

3.) contra locum 2 Tim. II.

nitentia conjunctam, de qua Zach. XI. 10. *Tuli virgam meam, quae vocabatur amabilis, & confregi eam, ut irritum facerem fœdus meum, &c.*

4.) *contra locum Jer. III.*

4.) *Locus* Ier. III. *docet, Deum recipere homines ad gratiam, si redeant, sed non docet recipere eodem modo, & per eadem instrumenta, quibus antea recepit.* Resp. si per eundem modum & per eadem instrumenta intelligit Bellarminus baptismi iterationem: negamus & nos eodem modo & per eadem instrumenta lapsos post baptismum in gratiam recipi: si vero intelligit, gratis in baptismo ex opere operato remitti peccata, post baptismum vero nostris operibus & satisfactionibus eorum remissionem promerendam, dicimus: ut eadem est Dei misericordia in baptismo & post baptismum remittentis peccata; ut idem est Christi meritum, propter quod Deus peccata remittit; ut idem est verbum evangelii, in quo gratuitam peccatorum remissionem Deus offert, exhibet & adnunciat: ita quoque ex parte nostra unum idemque esse medium, quo in baptismo & post baptismum remissionem peccatorum consequimur, videlicet fidem in Christum, cujus anteambulo contritio, pedissequa vero bona opera. Emphasin dicti prophetici in argumenti nostri ἐργασίᾳ exposuimus. Deus sponsam adulteram cum multis amatoribus fornicatam non ad aliud, quam semel initum, spiritualis conjugii pactum reverti jubet.

Contra argumentum ex perpetua promissionis veritate.

§. CLVII. Argumento a perpetua promissionis veritate ducto, & exemplo Israelitarum in vera pœnitentia exitus ex Ægypto recordantium confirmato Bellarminus hoc obvertit: 1.) *Argumentum illud nihil concludere, quia licet veritas promissionis sit perpetua, tamen conditionata est, non absoluta, alioquin omnes apostatae salvarentur: de illis enim verum est dicere, crediderunt & baptizati sunt: intelligitur itaque conditio, si permanserit in fide & fœdere baptismali, salvus erit: quod si non permanserit, non salvabitur hoc remedio, sed aliud quaerere debet.* Resp. quo sensu promissiones evangelicæ possint dici conditionales, exposuimus in tractatu de evang. §. 42. hoc loco monemus, conditionem illam esse bipartitam: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, hoc est, sive in vera fide & obedientia erga Deum perseveraverit, sive in peccata prolapsus per veram pœnitentiam & fidem ad Deum reversus fuerit, baptismus ad salutem ipsi efficax erit. Regerit Bellarminus, 2.) *eum, qui semel excidit a fœdere baptismi, non posse iterum ad illud redire, cum non redeatur ad fœdus baptismi per solam cogitationem, sed per baptismi iterationem, quae nullo modo liceat: sicut ad fidem redire dicitur, non qui cogitat, se aliquando credidisse, sed qui iterum actu incipit credere.* Resp. sane sola memoria & historica recordatione baptismi sine vera pœnitentia & fide nequaquam reditur ad fœdus baptismi, sed fideli memoria (ut sic loquar) hoc est, tali memoria, quæ & veram pœnitentiam & fidem habet conjunctam, ad fœdus illud pristinum rediri potest. Ut enim fides gratuitam promissionem de remissione peccatorum propter Christum in baptismo sibi oblatam amplectitur, sibique adplicat: ita eadem fides eandem promissionem in verbo evangelii repetitam & institutione sacræ cœnæ confirmatam in vera pœnitentia amplectitur, per quam homo baptizatus denuo in gratiam & fœdus Dei recipitur. Procedunt hæ argutiæ Bellarmini ex ignoratione fidei, gratuitæ justificationis, remissionis peccatorum, pœnitentiæ, virtutis baptismi &c. fidem enim definit per nudam historicam notitiam vel potius ignorantiam; justificationem *secundam* a meritis operum nostrorum deducit; remissionem peccatorum per realem deletionem & exstirpationem describit; a pœnitentiæ partibus fidem excludit, virtutem baptismi ex opere operato valere disputat &c. 3.) *Israelitae non commemorabant exitum de Ægypto, quasi ea commemoratione peccata purgarentur, sed ut commemorato tam insigni beneficio arguerent ipsi suam erga Deum ingratitudinem, & eo modo se ad pœnitentiam provocarent, quod commodum nobis quoque baptismum adferre non negamus.* Resp. commemoratio illa non solum

erat ὁρμητήριον ad pœnitentiam, sed etiam confirmatio fidei. Recordabantur enim fœderis, quod Deus cum patriarchis, populi Israelitici majoribus, inierat, & miraculosa liberatione ex Ægypto confirmaverat; inde fidem suam de misericordia Dei peccata propter Messiam remittentis confirmabant. Siquidem commemorationi fœderis illius & liberationis ex Ægypto includebatur recordatio promissionis de Messia, cum fœderalis promissionis caput primarium fuerit istud: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; cumque eo fine Deus Israelitas ex Ægypto eductos in terram promissionis introduxerit, ut promissio de Messia ex hoc populo nasciturо complementum suum sortiri posset. 4.) *Si vera esset Lutheri sententia, debuissent Judaei potius commemorare circumcisionem, quae erat illis pro baptismo, quam exitum de Ægypto.* Resp. quo spectet commemoratio illius liberationis, modo exposuimus. Quod ad circumcisionem attinet, ejus itidem in vera pœnitentia ac precibus mentionem fecerunt, tum *explicitam*, ut paulo post exemplo Davidis & Jonathanis demonstrabitur, tum *implicitam*, quotiescunque recordabantur fœderis cum patribus initi: illud enim per circumcisionem fuerat obsignatum & confirmatum.

2.) *Fideles Israelitæ ex circumcisione efficaces consolationes duxerunt.*

§. CLVIII. II.) *Secundo* igitur loco pro nostra sententia sic concludimus: Baptismus in nov. test. successit circumcisioni; Col. II. 11. quod ergo circumcisioni tribuitur, id baptismo denegandum non est: non negabit hoc Bellarminus, cum statuat, *Israelitis circumcisionem fuisse pro baptismo, quin & sacramenta nov. test. longe majoris virtutis & efficaciae esse, quam vet. test. sacramenta.* Jam vero fideles Israelitæ ex circumcisione, hoc est, ex fœdere Dei, in quod per circumcisionem recepti fuerant, efficaces consolationes in vet. test. petierunt, ut testantur exempla Jonathæ; 1 Sam. XIV. 6. *Transeamus ad castra illorum incircumciforum*, (nos sumus in fœdere Dei, cujus signum gerimus in carne nostra: illi vero non sunt in hoc fœdere, Deus ergo nobis aderit sua gratia & auxilio) ut & Davidis 1 Sam. XVII. 26. *Quis ille Philistaeus incircumcisus, exercitui Dei viventis maledicens?* Ergo etiam christiani fideles ex baptismo, hoc est, ex fœdere Dei, in quod per baptismum recepti sunt, efficaces consolationes petere possunt. Bellarminus hoc argumentum non attingit. Declarabimus igitur illud verbis Lutheri serm. de S. Antonio tom. II lat. Jen. f. 535. *Generale verbum promissionis contra omne malum, sive peccatum, sive mortem, sive tribulationem quamcumque:* Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, *&c. hoc uno est maxime gaudendum, quia si in tribulatione quacunque hujus promissionis Dei memor fueris, & sic dixeris contra diabolum: Ecce ego baptizatus sum & credo in Christum, addendo mox illud:* Quicunque crediderit & baptizatus fuerit *&c. jam es vere in loco pacis & laetitiae & quietis. Si enim adhaeseris his verbis fortiter, & non dubitaveris ea esse vera, teque vere baptizatum, impossibile est, ut te peccatum, vel mors, vel diabolus superet aut contristet. Sic legimus de sancta quadam virgine, quae ad omnem tentationem, cujuscunque mali, non aliud opposuit, quam suum baptismum dicens brevi verbo ad satanam & ad mala impugnantia sic: baptizata sum, quasi dicat: baptizata sum & credo, ideo nihil facis satan, quia stat contra te invictissimae promissionis verbum:* Qui crediderit *&c. Majoricum martyrem Africanum sub Honorio raptum ad supplicium capitis propter confessionem evangelii, nulla alia re magis confirmavit Dionysia matrona pientissima, quam inculcatione fœderis sanctissimi per baptismum cum sacrosancta Trinitate initi: memento, fili, te in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizatum esse.* Vide plura inferius §. penult. hujus tractatus.

§. CLIX. III.) Exempla fidelium in nov. test. expresse testantur, quod fœderis baptismalis recordatione se consolati fuerint, post-

3.) *Fideles in nov. test. consolationes ex*

baptismo hauserunt. postquam a baptismo in peccata prolapsi & per veram pœnitentiam ad Deum rursus conversi fuerunt. Inde sic concludimus: Si homines pii vere resipiscentes consolationibus ex pacto Dei in baptismo cum ipsis inito se erexerunt, sequitur, non aboleri penitus baptismi fœdus per hominis lapsum. Sed verum est prius, ergo & posterius. *Adsumtum* constat. Corinthii multis & gravibus peccatis contaminati fuerant: apostolus tamen ad baptismum eos iterum revocat; 1 Cor. VI. 11. *Abluti estis*, nimirum in baptismo. 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu, in unum corpus baptizati sumus:* Galatas haud leviter lapsos itidem ex baptismo deducta consolatione apostolus erigit Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Hebr. X. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, adsperſi corda a conscientia mala & abluti corpus aqua munda.* Petrus abnegatione Christi gravissime peccaverat, idem tamen post conversionem de suo baptismo scribit 1 epist. III. 21. *Baptisma nos salvat.* Bellarminus excipit, 1.) *locum* Gal. III. *nihil ad rem facere, cum apostolus ibi non doceat, quomodo justificentur impii lapsi post baptismum, sed quod homines non justificentur circumcisione, aliisque operibus legis, sed per fidem Christi, id quod probat, quia, qui baptizantur, Christum induunt.* Resp. Galatæ non discesserant a confessione Christi, sed fide & operibus simul justificari volebant a pseudo-apostolis seducti: illos in viam revocare satagens apostolus, potenter evincit, non ex lege, sed ex evangelio; non ex operibus, sed ex fide esse justificationem, de quo late egimus in tract. de justif. Quod si esset alia justificationis ratio in baptismo, alia vero post baptismum, quomodo Galatas ad baptismum revocaret apostolus in præclara illa de gratuita justificatione per fidem disputatione? 2.) *Paulum* 1 Cor XII. *tantummodo dicere, nos esse unum corpus, quia in uno Spiritu baptizati sumus, neque quidquam addere de lapsis justificandis post baptismum.* Resp. 1) Corinthii in gravia peccata prolapsi, consolatione ex baptismo deducta, in vera ad Deum conversione ab apostolo eriguntur, utique virtus & efficacia baptismi ipsorum respectu nondum erat plane irrita & abolita. Sed verum prius: ergo & posterius. 3.) *Etsi baptismus promittat salutem per Christum, & quicunque post quemcunque lapsum justificatus per Christum justificetur, non tamen inde sequi, eos justificari per baptismum, qui post baptismum lapsi sunt. Nam latius patet justificari per Christum, quam justificari in baptismo per Christum, cum etiam sacramenta pœnitentiae & eucharistiae & cætera salutem promittant per Christum.* Resp. acceptamus hoc, quod lapsi post baptismum, non minus quam baptizati, non aliter quam per Christum justificari possint & debeant. Jam vero per Christum justificari non est suis meritis & satisfactionibus pro peccatis Deo placere velle, sed fide Christum & ipsius beneficia amplecti, ac gratuitam peccatorum remissionem propter ipsum consequi. De illis vero, qui in operibus justificationem quærunt, graviter pronunciat apostolus Gal. V. 4. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.*

Exceptiones Bellarmini.

§. CLX. IV.) Scriptura de virtute & efficacia baptismi loquitur verbis in *præterito*, *præsenti* & *futuro*, ut ostendat, baptismi efficaciam non esse restringendam ad illud temporis momentum, in quo baptizamur, sed per totam vitam se extendere. 1.) Tit. III. 5. *Salvos nos fecit*, ἔσωσεν ἡμᾶς *per lavacrum regenerationis.* Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* (En tempus *præteritum!*) 2.) 1Petr. III. 21. *Baptismus nos salvat* ἡμᾶς νῦν σώζει (nos sive jam pridem sive dudum baptizatos post lapsum resipiscentes baptismus salvat.) Eph. V. 26. *Christus mundat ecclesiam lavacro aquae in verbo.* (En tempus *præsens!*) 3.) Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* (Quisquis per baptismum in fœdus Dei receptus in vera fide perseveraverit, vel post lapsum per veram pœnitentiam ad Deum conversus fuerit, salvus erit; (En tempus *futurum!*) Huc pertinet

4.) Scriptura de efficacia baptismi loquitur verbis in præterito, præsenti & futuro.

tinet, quod Rom. VI. 3. *in mortem Christi baptizati* dicimur; fundatur igitur baptismi efficacia in morte Christi, jam vero mors Christi non solum praeterita, sed omnia peccata expiavit, 1 Joh. I. 7. *Sanguis Domini nostri Iesu Christi emundat nos ab omni peccato*: utique ergo ex baptismo peti potest consolatio, si in peccata prolapsi per pœnitentiam ad Deum convertimur. Sic baptismus *vocatur lavacrum renovationis*, Tit. III. 5. jam vero renovatio in baptismo incipit, & per totam vitam durat. Inde Basilius in exhort. ad bapt. p. 445. *in baptismo non solum praeteritorum remissionem, sed & futurorum dona proponi* adserit. Augustinus libr. I. de nupt. & concup. c. 26. *In eis, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Cap. 33. *Quod Paulus ait;* mundans eam lavacro aquæ in verbo, *sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur; non solum praeterita peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam, quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut baptismus, quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et paulo ante: *Eadem regeneratione, quae nunc fit per sacrum lavacrum usque in finem, cuncta mala hominis purgantur atque sanantur.* Idem tract. CXXIV. in Joh. circa med. *Credentes in Christum per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum & originalis, videlicet contra quam maxime regeneratio est instituta, & cæterorum, quae male agendo contracta sunt, liberantur a damnatione perpetua.* Unde Alphonsus Salmeronius tom. XIII. p. 487. citatis his Augustini locis diserte concludit, *baptismo non tantum praeterita, sed etiam futura remitti peccata.* Nazianzenus orat. XL. in bapt. pag. 642. *Si te luminis persecutor & tentator* (τὸ φωτὸς διώκτης καὶ πειρασὴς) *post baptismum adortus fuerit, ut certe adorietur, habes, quo eum superes, ne certamen reformides; aquam adversus eum adpone, Spiritum adpone, in quo ignita omnia pravi illius tela exstinguentur. Spiritus quidem est, verum dissolvens montes: aqua quidem est, sed quae ignis exstinguendi vim habet,* πυρὸς σβεστήριον.

§. CLXI. Excipit Bellarminus: I.) *locum Marc. XVI. accipi vel de salute in re, hoc est, de ipsa gloria sempiterna, quae non est effectus, sed finis baptismi, vel de salute in spe, hoc est, de ipsa gratia justificationis, quae est tantum peccatorum praeteritorum, non autem futurorum, quemadmodum qui dicit: Si hoc pharmacum acceperis, curaberis: indicat curationem secuturam post medicinam, sed eam curationem esse morbi contracti, non autem postea contrahendi.* Resp. salus & vita æterna non solum finis est, sed etiam effectus baptismi. Per baptismum enim *induimus Christum;* Gal. III. 27. jam vero *qui habet Christum,* habet vitam æternam. 1 Joh. V. 11. *Vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita in Filio ejus est;* v. 12. *qui habet Filium, habet vitam.* Proinde ut Christus in *futuro* dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* ita Petrus in *praesenti dicit: baptisma nos salvat.* Exempla infantum, qui statim post baptismum moriuntur, expresse testantur, non solum salutem in *spe,* sed etiam salutem in *re* esse non solum finem, sed etiam effectum baptismi. Paulus adserit, *nos baptizari in mortem Christi;* Rom. VI. 3. hoc est, per baptismum nos fieri participes beneficiorum mortis Christi, quæ sunt gratia Dei, remissio peccatorum & vita æterna. Baptismus est *lavacrum regenerationis & renovationis.* Tit. III. 5. Jam vero ubi regeneratio & renovatio, ibi vita æterna.

Exceptiones Bellarmini: 1.) contra locum Marc. XVI.

II.) *Petrum, cum loquitur de tempore praesenti, non comparare baptismum cum peccatis, sed tempus Christi cum tempore Noae hoc sensu: Sicut tempore Noae diluvium*

2.) Contra locum 1 Petr. III.

vium salvos fecit octo homines per arcam, ita nunc tempore Christi salvat baptismus credentes. Resp. comparationem inter arcam Noæ & baptismum institui non negamus, interim hoc urgemus, quod Petrus, in gravissimum peccatum abnegationis prolapsus, ex baptismo suo consolationem petit, ac se ipsum jam olim baptizatum includit, cum de baptismi efficacia disserit: *baptisma* (inquit) *nos salvat.* III.) *Vocabulum* mundans *Eph. V. non referri ad singulos homines, sed ad varios, qui unam constituunt ecclesiam. Christus enim quotidie mundat ecclesiam lavacro aquae, quia quotidie aliqui baptizantur, omnes tamen cum baptizantur, mundantur a peccatis praeteritis, non autem futuris.* Resp. quid interim fiet Augustino, qui diserte ad futura peccata mundationem illam refert? Vidit hoc Bellarminus: ideo aliud quæsivit subterfugium. *Quod si quis* (inquit) *referat ad singulos homines, tum dicendum est, baptismo purgari peccata futura, non immediate, sed mediate, quia videlicet, qui baptizatus est, per gratiam, quam in baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quae postea facit, si eam petat, & praeterea per baptismi characterem jus habet ad sacramentum pœnitentiae, quo peccata etiam mortalia purgantur, quod sacramentum percipere non possunt, qui baptismo carent:* quo refert Bellarminus illud Augustini ep. XXIII. ad Bonif. *Semel acceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit: tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Resp. nequaquam dicimus, per baptismum futura purgari peccata, quocunque se modo baptizati gerant, sed requirimus, ut in vera pœnitentia, fide & novitate vitæ perseverent, vel etiam in peccata infirmitatis prolapsi per veram pœnitentiam resurgant: quo respicit Augustinus, quando peccata actualia graviora post baptismum commissa non regeneratione, sed alia curatione sanari oportere adserit. Sano igitur sensu concedimus, baptismo purgari peccata futura non *immediate*, sed *mediate*, quia videlicet, qui baptizatus est, per gratiam, quam in baptismo accepit, obtinet remissionem peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat, & præterea per veram pœnitentiam redire potest ad fœdus gratiæ, in quod per baptismum olim receptus, & hac ratione etiam mortalium peccatorum remissionem impetrare. Beda libr. I. in Esdr. III. *In hujus perfectione fidei & generaliter omnis ecclesia per baptisma a morte suscitatur peccatorum, & cum post baptisma denuo mortem peccati incurrimus, per eandem necesse est fidem pœnitendo resurgamus.* IV.) *Apostolum* Rom. VI. *non docere, quomodo remittantur peccata post baptismum, sed quomodo caveri debeant*; *dicit enim, per baptismum hominem mori peccato, ut deinceps vivat Deo, proinde hominem semel renatum omni diligentia cavere debere, ne iterum inquinetur.* Resp. duplici modo in mortem Christi baptizari dicimur: *tum* quia per baptismum participes reddimur beneficiorum mortis Christi, quæ non sunt restringenda ad momentum baptismi, sed extendunt se ad totam hominis vitam: *tum* quia per baptismum morimur peccato, ut deinceps vivamus Deo: atque hic renovationis effectus itidem per totam vitam durat. Lutherus tom. II. lat. f. 287. *Nunquam fit baptismus irritus, donec desperans ad salutem redire nolueris: aberrare quidem ad tempus poteris a signo, sed non ideo irritum est signum: ita semel baptizatus es sacramentaliter, sed semper baptizandus fide, semper moriendum, semperque vivendum.*

3.) *Contra locum Eph. V.*

4.) *Contra locum Rom. VI.*

§. CLXII. Atque hæc sunt potiora sententiæ nostræ fundamenta. *Secundaria* constitui possunt alia, utpote: si efficacia baptismi non extendit se ad futurum, sequetur hypocritarum baptismum esse iterandum. Consequens improbatur cap. Nullus autem dist. 4. de consecr. ex Augustino libr. II. contra Parmen. c. 13. Item: si baptismi efficacia non extendit se ad futurum, satius fuerit

Secundaria nostræ sententiæ fundamenta.

rit, ad finem vitæ cum clinicis baptiſmum differre, quam in prima ætate illum ſuſcipere. Quæ de puritate Chriſti, per baptiſmum nobis communicata, & poteſtate clavium, quæ a baptiſmo ſeparari non poſſit, ex Calvino Bellarminus adfert, ea non probant directe & principaliter quæſtionem propoſitam: referenda igitur ſunt ad hunc ſcopum, quod prædicatio pœnitentiæ, adnunciatio evangelii, miniſterium clavium & uſus cœnæ dominicæ non proponant nobis poſt lapſum aliam & novam tabulam, poſt fractam & diſſolutam baptiſmi arcam, ad reconciliationem cum Deo & ad ſalutem, diverſam ab ea, quæ in baptiſmo nobis per promiſſionem Dei oblata, donata & obſignata fuit; ſed tantum ſint media, per quæ vel in gratia baptiſmi confirmamur, vel ad eam poſt lapſum revertimur. Baptiſmus enim eſt perpetuum ſigillum & teſtimonium, nos recipi in communionem & participationem beneficiorum Chriſti & gratiæ Dei ad remiſſionem peccatorum, ſalutem & vitam æternam, ſi promiſſionem fide adprehendamus & teneamus (*).

Argumenta Bellarmini. 1.) Hebr. VI. Impoſſibile eſt eos &c.

§. CLXIII. Videamus argumenta, quæ pro ſtabilienda contraria opinione Bellarminus adfert. I.) *Hebr. VI. 4. Impoſſibile eſt eos, qui ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam; ubi apoſtolus dicit, lapſos poſt baptiſmum non poſſe renovari ad pœnitentiam, quomodo renovantur, qui baptizantur, ut Ambroſius, Chryſoſtomus, & alii exponunt.* Reſp. loquitur apoſtolus de peccato in Spiritum ſanctum, ut omnes loci circumſtantiæ oſtendunt, & clariſſime demonſtratum fuit in tract. de peccatis actualibus §. 109. Qui renovationem ad pœnitentiam de baptiſmo accipiunt, nobiſcum non pugnant; negant enim baptiſmum poſt lapſus repetendum eſſe, id quod & nos negamus; inde vero haudquaquam ſequitur, pœnitentibus non eſſe propoſitam conſolationem in promiſſione gratiæ, quæ in baptiſmo ipſis fuit data & obſignata. Bellarminus hoc urget, quod *apoſtolus non dixerit, impoſſibile eſſe, eos iterum baptizari, ſed impoſſibile, eos iterum renovari ad pœnitentiam ſcilicet baptiſmalem.* Reſp. non in genere de omnibus quocunque modo prolapſis, ſed de illis, qui peccant in Spiritum ſanctum, apoſtolus loquitur; eos ad pœnitentiam renovari poſſe negat, quia ſcilicet medium, per quod Spiritus ſanctus pœnitentiam operatur, proterve repudiant. Perinde uti Chriſtus Matth. XII. 32. peccatum in Spiritum ſanctum *in hoc & futuro ſeculo remitti* negat. De pœnitentia quadam baptiſmali, hoc eſt, diſtincta ab ea, quæ poſt baptiſmum agitur, altum in ſcripturis ſilentium, quæ unam ſolummodo veram pœnitentiam agnoſcunt. Vide tract. de pœnit. §. 16. II.) *Patres peccantibus poſt baptiſmum impoſuerunt graviſſimos labores.* Reſp. non eo fine, ut illis coram Deo promererentur gratiam Dei & remiſſionem peccatorum, ſed ut Eccleſiæ ſatisfacerent, atque ipſo facto oſtenderent, ſe vere & ſerio ob admiſſa peccata dolere: utque reliqui his ſpectaculis ad peccata majori ſtudio vitanda ac declinanda excitarentur. Hieronymus in cap. VI. Matth. *Fateor longe aliam eſſe rationem de criminum pœnitentia & ſatisfactione, de qua eccleſia, quando laeſionem accepit & offenſa eſt, publice ſuum judicium interponit, indicens ſatisfactionem publicam & graviorem, ut innoteſcat omnibus vere pœnitere, qui promto animo*

2.) Patres peccantibus poſt baptiſmum graves labores impoſuerunt.

(*) Urgemus inſuper abſurda, quæ ex adverſariorum ſententia conſequuntur, 1.) ſcripturam non recte loqui de effectu baptiſmi in *futuro*. 2.) Deum in promiſſionibus eſſe inconſtantem, 3.) lapſum non habendum pro baptizato, 4.) baptiſmum eſſe differendum uſque ad mortem. Auguſtinus epiſt. L. ad Boniſ. *Quidquid ab iis, qui poſt acceptum baptiſmum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur, quarumcunque culparum, propter ipſum lavacrum dimittitur.* GERHARDUS.

mo suscipiant, quidquid ecclesia decreverit. Augustinus in enchirid. ad Laurent. c. 65. *Quia plerumque dolor alterius tordis occultus est alteri &c. recte constituuntur ab his, qui ecclesiae praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat etiam satis ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata.* III.) *Nulla aequitas patitur, ut aeque facilem viam habeant ad gratiam Dei, qui peccant ante baptismum, & qui post baptismum, cum illi Deum ignorarent, isti nossent: illi gratiam non haberent, isti haberent.* Resp. remissio peccatorum cum ex mera Dei gratia & Christi satisfactione proficiscatur, non est aestimanda ex peccatorum quantitate vel qualitate: ac Spiritus sanctus non solum ante baptismum, sed etiam post baptismum lapsos ad unicam Christi satisfactionem, in ara crucis propositam, deducit: nuspiam vero talem differentiam statuit, ut remissionem peccatorum in baptismo gratuitam esse dicat, pro illis vero, quae post baptismum committuntur, proprias satisfactiones exigat. Vide tract. de poenit. §. 128. memb. 3. Nec vero baptizatorum poenitentia adeo facilis & levicula, ut Bellarminus somniat: cum non sufficiat nuda & historica baptismi recordatio, sed requiratur insuper peccatorum & iræ Dei illis promeritae vera ac seria agnitio, serius dolor, tremor, pavor &c. quo pertinent omnes descriptiones veræ & seriæ contritionis in scripturis propositæ, quibus psalmi Davidici sunt refertissimi. Et quid? num catechumeni etiam ante baptismum non noverunt Deum? an destituuntur omni gratia? Regerit Bellarminus: *Etsi catechumeni ante baptismum Deum per fidem noverunt, saepe etiam caritate flagrant; tamen haec omnia ad gratiam baptismi pertinent. Nam & catechismi doctrina dispositio ad baptismum est, & gratia illa atque caritas, quae interdum in catechumenis reperitur, ex voto baptismi procedit.* Resp. fingere hoc est & pingere, non autem serio de articulis fidei disserere. Quomodo fides & caritas catechumenorum ex baptismo procedere, vel ad baptismum referri potest, cum illum nondum susceperint? Negat Bellarminus, baptismi efficaciam extendere se in futurum, & hoc loco pronunciat, baptismum illis prodesse, qui eum nondum susceperunt. Fides & reliqua Spiritus sancti dona in catechumenis ex auditu & meditatione verbi oriuntur, quæ postea in baptismo & per baptismum in illis augentur, confirmantur & obsignantur. Qui ergo ante baptismum peccant, cum in lumine fidei peccent, non minus tenerentur pro peccatis suis satisfacere, quam qui post baptismum peccant, si propriæ satisfactiones a Deo exigerentur: ignorantia non excusat, cum sit per peccatum adtracta. 1 Tim. I. 13. Paulus non excusat peccatum suum, sed obstinationi pharisaicæ ignorantiam illam opponit. Justinus in apol. II. p. 73. & Tertullianus lib. de baptis. etiam catechumenis ante baptismum jejunia imposita fuisse referunt: jam vero ex hypothesi Bellarmini jejunium est satisfactorium. Ergo & catechumenis satisfactiones fuissent impositæ. Res eo redit: monstretur vel ex unico scripturæ pronunciato talis differentia inter peccata ante baptismum & post baptismum commissa, quod illorum remissio sit gratiæ beneficium, horum vero condonatio nostrorum operum ac propriarum satisfactionum meritum.

3.) Æquitas non patitur, ut, qui post baptismum peccet, æque facilem viam habeant ad gratiam.

§. CLXIV. Lib. de pœn. cap. 13. aliis Bellarminus utitur fundamentis. I.) *Circumcisio data fuit Judaeis in figuram baptismi. At nusquam praescribitur memoria circumcisionis tanquam remedium peccatorum post circumcisionem perpetratorum, sed sacrificia, expiationes, confessio peccatorum.* Resp. non est necesse, nihilo plus in re significata, quam in signo reperiri. Bellarminus ipse disputat, circumcisionem non profuisse ex opere operato, non contuliisse gratiam, non esse datam, ut justificaret &c. quæ tamen omnia baptismo tribuit. Neque dicimus, nudam baptismi vel circumcisionis memoriam esse remedium peccatorum in baptizatis & circumcisis, sed

Alia Bellarmini fundamenta alibi proposita. 1.) Memoria circumcisionis non fuit remedium peccatorum.

sed fœdus Dei, in baptismo nobiscum initum, ex parte Dei manere ratum ac firmum, nec everti penitus per nostram incredulitatem, redire autem nos ad fœdus illud per veram ac seriam pœnitentiam adserimus. Porro illa pœnitentia lapsorum post baptismum non est nova quædam pactio, sed ad priorem pactionem regressio, ac vera & integra in possessionem amissæ gratiæ & salutis restitutio; id quod declarari potest similitudine adulteri & nautæ, quorum ille salvis & minime iteratis sponsalibus fœdus conjugale violatum instaurare: hic in navim, e qua excidit, iterum recipi potest, navi similiter semper salva & integra. Probavimus autem superius exemplis Davidis ac Jonathanis, quod pii veteres non minus ex circumcisione in vet. test. quam nos ex baptismo in nov. test. efficaces consolationes petierint. Sacrificia vet. test. non profuerunt ex opere operato sine fide, sed fuerunt typi Christi, ut suo loco ostendimus. II.) *Johannes 1 epist. I. loquens de remedio peccatorum, quae baptizati indies committunt, non ait: si baptismum ad memoriam revocaverimus, sed si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Resp. opponuntur ea, quæ sunt sibi invicem subordinata. Contritio enim & fides, cum sint essentiales pœnitentiæ partes, sese invicem non tollunt: humilis confessio peccatorum pertinet ad contritionem; memoria baptismi confirmat fidem in promissionem gratiæ. III.) *Cum in scriptura legamus exempla eorum, qui post baptismum lapsi sunt, ut Simonis, Act. VIII. & Corinthii incestuosi, 1 Cor. VI. nusquam tamen legimus, eos remissos fuisse ad memoriam baptismi.* Resp. est insufficiens enumeratio exemplorum. Ostendimus superius, Galatas, Corinthios, & Petrum post baptismum in peccata prolapsos, consolationem ex baptismo petiisse. IV.) *Ex nostra sententia sequeretur, non eadem, sed quod longe absurdius, majori facilitate ad veniam pervenire eos, qui scienter post fidem & baptismum, quam qui ignoranter in incredulitate peccassent; facilius enim est baptismum olim acceptum ad memoriam revocare, quam re ipsa iterum baptizari.* Resp. hypothesis argumenti est falsa, quasi scilicet statuamus, sola memoria baptismi ad veniam peccatorum perveniri, cum veram ac seriam pœnitentiam in lapsis post baptismum diserte requiramus.

2.) *Johannes 1 epist. I. ad confessionem peccati nos revocat.*

3.) *Exempla lapsorum post baptismum testantur contrarium.*

4.) *Sequetur, minori facilitate lapsos post baptismum ad gratiam pervenire.*

V.) *Consequens fuerit, non debere nisi adultos baptizari, nam alioquin incertissima erit justificatio, quippe quae ab hominum testimonio pendeat, neque enim, qui infantes baptizantur, cum postea adoleverint, baptizatos se fuisse recordantur.* Resp. baptismus confertur publice in cœtu christianorum, quorum testimonium non potest repudiari: eodem fine etiam adhibentur patrini, tanquam testes baptismi: sed & annales ecclesiastici baptizatorum album complectuntur, & ipsum cujusque nomen de baptismo fert testimonium. Accedit obsignatio Spiritus sancti, qui est arrhabo hæreditatis nostræ & συμμαρτυρεῖ spiritui nostro, quod simus filii Dei per fidem.

5.) *Sequetur, adultos solum baptizandos.*

VI.) *Tolletur hac ratione eucharistiae frequentatio, cum ita sufficere possit memoria spiritualis cibi aliquando gustati, quemadmodum memoria sufficit lavacri aliquando percepti: vel si ridiculum est, ita memoriam cibi ad saturitatem prodesse, ut cibus ipse prodest: cur non sit etiam ridiculum, ita memoriam lavacri ad maculas eluendas conferre, ut lotio ipsa confert.* Resp. non dicimus sola baptismi recordatione purgari peccata, sed fidem in vera ac seria pœnitentia amplecti promissionem gratiæ in fœdere baptismi obsignatam, in cujus confirmationem sacrosanctæ eucharistiæ usus a Christo institutus est. Facessant igitur ineptiæ de memoria cibi ad saturitatem ac memoria lavacri ad lotionem sufficiente, Bellarmini ingenio indignæ.

6.) *Tolletur frequentatio eucharistiae.*

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

DE OBIECTO BAPTISMI.

Obiectum baptismi.

§. CLXV. Atque hæc dicta sunt de *causis* baptismi, tum *internis*, *materia* scilicet & *forma*, tum *externis*, *efficiente* scilicet ac *fine* & effectis; restat, ut *de obiecto* hujus sacramenti disseramus, ubi primo omnium dicimus, *homines vivos* esse baptismi objectum, ac proinde quod non est in censu ac numero hominum vivorum, illi baptismus non est conferendus.

Sunt homines vivi.

1) In baptismi institutione tantummodo fit mentio hominum. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos.* Ergo ab hoc institutionis divinæ capite non est discedendum. 2) Johannes baptista & apostoli non nisi vivos homines baptizarunt, ut constat ex evangelistarum & actorum apostolicorum scriptis. 3) Quemadmodum Deus propter homines se in verbo revelavit; ita quoque non nisi propter hominum salutem sacramenta instituit: illis igitur solis administranda erunt, Gen. XVII. 12. circumcisio viventibus adhiberi præcipitur, idem judicium de agno paschali. Exod. XII. 4. 22. 4) Sacra cœna tantum datur viventibus, ex Christi institutione; Matth. XXVI. 26. &c. idem ergo in administratione baptismi observandum. 5) Baptismus mortuis collatus plane inutilis & inefficax, cum quilibet judicetur a Deo, *& referat ea, quæ per corpus in vita egit*, 2 Cor. V. 10. *baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis.* Tit. III. 5. Jam vero soli homines viventes regenerationis & renovationis sunt capaces, non mortui, nec alia inanimata.

Errores circa obiectum baptismi.

1) νεκροβαπτισμὸς.

§. CLXVI. Improbandus igitur 1) baptismus mortuorum. *Cerinthiani*, referente Epiphanio hæres. XXVIII. contra Cerinth. mortuos baptizarunt (*), freti pravo intellectu verborum apostoli 1 Cor. XV. 29. *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, si omnino mortui non resurgunt? cur igitur baptizantur pro mortuis?* Atqui hæc consuetudo baptizandi mortuos apud quosdam in primitiva ecclesia usitata fuit, ut adparet ex concilio Carthag. III. c. 6. Pontificii mortuos & sepulcra adspergunt aqua lustrali. Chrysostomus homil. I. in Act. refert, a quibusdam suo tempore etiam mortuis infusam baptismi aquam, quod ibi reprehendit ac docet, *hoc nihil esse aliud, quam sancta in terram projicere.* Marcionitæ, referente Tertulliano lib. V. (**) contra

(*) Epiphanivs, ad cujus testimonium heic provocat Gerhardvs, non dicit, Cerinthianos mortuos baptizasse, sed, *hæres. XXVIII. §. V. tom. I. oper. p. m.* 114. hoc duntaxat refert, traditum esse a majoribus, nonnullos Cerinthianorum sine baptismo esse mortuos, & pro his alium eundemque vivum, baptismum susceptisse, ne ii ad vitam revocati, neglecti baptismi pœnas luerent. Loquitur proinde Epiphanivs de baptismo vicario pro mortuis, cui nonnulli veterum effatum Paulinum *de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* 1 *Cor. XV.* 19. adcommodarunt. Ast non defuerunt recentiori hocce ævo viri doctissimi, qui Cerinthianos ab hac quoque imputatione liberarent, siquidem omnes scriptores antiqui, si ab Epiphanio discesseris, hac de re altum silent, ipseque Hieronymvs testatur, baptismum Cerinthianorum ab orthodoxis pro legitimo habitum fuisse. Legenda, quæ Thom. Ittigivs in diss. *de hæresiarchis ævi apostol. sect. I. cap. V.* §. 8. & Nicol. le Novrry in *adparat. ad biblioth. max. patr. tom. I. p.* 16. hac de re scripserunt.

(**) Non tantum ex Tertvlliani *loco* supra *excitato*, qui *libr. V. adverss. Marc. cap. X.* exstat, sed & ex *libr. IV. adv. Marc. cap. XI.* itemque ex ejusdem libro *de resurrectione carnis cap. XLVIII.* vulgo desumi solent testimonia, ad comprobandum, Marcionitas consuetudinem tenuisse, vivos loco mortuorum baptizandi. Verum hæc loca, quæ modo adlegavimus, ita sunt comparata, ut vel Marcionis nullam plane faciant mentionem, vel tanta laborent obscuritate, ut exinde haud pateat, quid Tertvllianvs significare voluerit. Reliqui vero scriptores veteres veluti Irenævs atque Epiphanivs, qui in recensendis pravis sententiis atque institutis Marcioni-

contra Marc. habebant vicarium quendam baptismum, qui vivis conferebatur loco mortuorum non baptizatorum, in testimonium articuli de resurrectione mortuorum. Sed nec Cerinthianorum nec Marcionitarum νεκροβαπτισμὸς ex verbis apostoli probari potest, quorum ille pugnat cum institutione & fine baptismi, hic vero cum manifestis scripturæ dictis, *Justus sua fide vivet; impossibile est Deo placere sine fide; lignum, ubi ceciderit, permanebit, &c.* Neque vero dicit apostolus, si mortui non resurgunt, quare baptizantur mortui, id quod specie quadam pro νεκροβαπτισμῷ urgeri posset, sed *quid faciunt illi, qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν super mortuos* (*). 1) Quidam igitur verba apostoli accipiunt de baptismo clinicorum. Catechumeni in præsentissimo mortis periculo constituti, ac pro mortuis magis quam vivis, cum baptizarentur, habiti, propterea quod lecto ita adfixi essent; ut de eorum vita desperaretur, κλινικοὶ παρὰ τὸ κλίνειν adpellati fuerunt, teste Cypriano lib. IV. epist. 7. & Epiphanio contra Cerinth. pag. 54. Hanc sententiam proponit Calvinus, eamque ut simplicissimam adprobat Marloratus. Sed morem illum temporibus apostolorum usitatum fuisse incertum est, & denuo repetimus, apostolum nequaquam dicere, quid faciunt, qui baptizant mortuos, sed qui baptizantur super mortuos. 2) Quidam dicunt, non factum, sed finem facti, hoc est, non ipsam consuetudinem baptizandi mortuos, sed finem & scopum illius baptismi ab apostolo probari, adhibebatur enim in testimonium articuli de resurrectione (**). Sed

Explicatio loci 1 *Cor. XV*, 29. *Qui baptizantur super mortuos.*

cionitarum alias satis copiosi sunt, de baptismo eorum vicario nihil prorsus tradiderunt. Solus Chrysostomus, scriptor seculi quarti, ejusdem fecit mentionem, *homil. XL. in* 1 *ep. ad Corinth. tom. X. oper. p.* 378. edit. Montfavconii, quem Theophylactus aliique sequioris ætatis scriptores sunt secuti. Proinde dubium maximeque incertum est, an vivorum pro mortuis baptismus olim apud Marcionitas viguerit. Vid. Vossivm *disp. XII. de baptismo* §. 2. Thom. Ittigivm in *dissertat. de hæresiarchis ævi apostol. sect. II. cap. VII.* §. 17. *p.* 138. *seqq.* auctoresque a celeb. Walchio *in der Historie der Ketzereyen, part. I. p.* 519. adlegatos.

(*) Non patitur instituti nostri ratio, ut vexatissimum hocce dictum, quod 1 *Cor. XV*, 29. exstat, adductis hanc in rem variis auctorum tum veterum, tum recentiorum expositionibus, jam enucleemus. Conferri possunt, qui hac opera dudum egregie sunt perfuncti, H. Grotivs, Abrah. Calovivs, Frid. Spanhemivs, Jo. Coccejvs, Jo. Cloppenbvrgivs, Gerh. Jo. Vossivs, Jo. Andr. Bosivs, Sebast. Schmidivs, Sam. Strimesivs, Godofr. Olearivs, Jo. Marckivs, Henr. Hammondvs, Jo. Clericvs, Jo. Hardvinvs, Sal. Deylingivs, Christoph. Avgvst. Hevmannvs, itemque scriptores Angli, Joseph. Binghamvs, Wilh. Wall, Edward. Chandlervs, Rich. Ellis, aliique, quibus ex nostris b. Bengelivs jungi meretur, qui in *gnom. nov. test. p.* 684. ad illustrandum huncce locum laudabilem suam retulit industriam. Si quis speciatim diversas hujus effati Paulini expositiones, quarum *septendecim* exstant, legere voluerit, is adeat Henr. Müllervm *in pecul. dissertat.* Rostochii *MDCLXV.* edita, Sam. Bochartvm *tom. II. oper. p.* 1026. Theod. Hasævm *in dissertat. philolog. theolog.* Jo. Christoph. Wolfivm *in curis philol. & crit. tom. III. p.* 539. *seqq.* atque Hevmannvm, quem supra jam laudavimus, in *poëcile tom. III. libr. I. p.* 105. *seqq.*

(**) Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 6. *Non dari potest huic loco* 1 *Cor. XV. quid faciant, aptior expositio, quam si per baptismum intelligamus opera pœnitentiæ & afflictiones, quæ viventes suscipiunt pro animabus defunctorum.* Alphonsus de Castro lib. III. adv. hæres. verbo baptismus hæres. 3. *Theophylactus locum illum exponens ait: Porro qui erant baptismum accepturi, integra pronunciabant fide symbolum, moxque & illud:* Credo mortuos resurrecturos. *Inquit itaque Paulus, qui futuram credunt mortuorum corporum resurrectionem, sub specie hujusmodi sunt baptizati, quidnam sint, cum eis Christus sit occursurus, acturi? Quid præterea resurrectionis gratia prorsus homines baptizantur, hoc est, pro resurrectionis exspectatione, si mortui non resurgunt? Hæc Theophylactus. Juxta quem tantum valet:* pro mor-

Sed hoc itidem videtur coactum, si enim de consuetudine quadam vitiosa apostolus ageret, eandem in Corinthiis omnino improbaret. 3) Quidam de ipso resurrectionis articulo verba apostoli accipiunt hoc sensu, quod argumentum confirmationis hujus articuli petat apostolus ex generali & omnibus probata ac commendata consuetudine ecclesiæ, qua christiani super articulum: *Credo resurrectionem mortuorum*, baptizari consueverunt. Quæ enim hodie in baptis-

mortuis baptizantur, *ac si diceret, pro resurrectionis exspectatione baptizantur. Verum quoniam hæc expositio nimis coacta est, multumque a litera recedens, ideo aliter juxta sententiam Ambrosii respondetur, qui meo judicio multo melius & literæ proximius exponit. Sic enim exponit:* Alioquin quid facient, qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui non resurgunt? Quid & baptizantur pro illis? *Ambrosius. In tantum ratam & stabilem vult ostendere mortuorum resurrectionem, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur. Si quem forte mors prævenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur, unde subjecit:* Quid & baptizantur pro illis? *Exemplo hoc non saltum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.* Quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior &c. *Dicendo:* quid & nos periclitamur? *discrevit personas, ostendens, non catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur. Denique supra dixit:* Ut quid baptizantur pro illis. *Nunquid dixit, & baptizamur pro illis. Huc usque Ambrosius. Ex hujus itaque præclara expositione patet, consuetudinem illam, quam Theophylactus adscribit Marcionitis, ut vivus pro mortuo baptizaretur, tempore Pauli esse jam ab aliquibus introductam, quamvis non adprobatam.* Scaliger in notis ad nov. testam. *Aliud est,* ὑπὲρ νεκρῶν βαπτίζεσθαι *si ita diceretur, aliud* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *ut aliud* ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, *aliud* ἀνάστασις νεκρῶν, *quomodo in articulis fidei pronunciamus. Item in canone fidei dicimus,* πιστεύω νεκρῶν ἀνάστασιν, *quia credimus omnes resurrecturos. Sed qui loquitur de resurrectione patris, matris & sororis, ille dicit,* πιστεύω τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναστήσεσθαι, *nimirum intelligit eos, de quibus tunc tantum sentit, patre, matre, sorore. Adjectio articuli (*τῶν*)* ἐμφατική *est* καὶ ὁριστική, *at absentia articuli est* ἀόριστος. *Et sine articulo omnes* νεκροὶ *comprehenduntur, cum articulo illi & illi tantum* οἱ δεῖνα καὶ οἱ δεῖνα. *Ergo* οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *hoc est,* οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν δεῖνα νεκρῶν, *super quibusdam mortuis. Deinde non dixit apostolus* τί ποιήσομεν ἡμεῖς οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *sed* τί ποιήσουσι. *Non ergo Paulus, neque omnes, sed quidam pro quibusdam mortuis baptizabantur. Si non Paulus, neque omnes, ergo non bene, qui hoc faciebant. Solos igitur, qui hoc faciebant, notat, & de illis paulo post dixit* V. 34. ἀγνωσίαν θεὸν τινες ἔχουσιν. *Et ne alibi quærendi essent, quam in ipsa Corinthiorum ecclesia,* πρὸς ἐντροπὴν, *inquit,* ὑμῖν λέγω. *Ejusmodi igitur fuerit & unde consuetudo ista, vindicamus. Omnes veteres christiani etiam infra ætatem Augustini putabant, animas tam piorum quam impiorum in centro terræ tanquam in quodam conceptaculo exspectare diem judicii, quod candidam Tertullianus eleganter dixit, in candida exspectare diem judicii, ut candidati magistratum ambientes exspectabant suffragia tribuum aut centuriarum, &c. prærogativam tamen dant martyribus, quos uno saltu recta in paradisum deferri volunt &c. Quum igitur ita animati essent de carcere animarum piarum, impiarum, magna incessebat eos homines solicitudo carorum suorum, qui jam defuncti in ea loca penetraverant super suspiriis & anxio desiderio, quo putabant eos conflictari, exspectantes in candida diem judicii, ut Tertullianus loquitur. Ita unusquisque satagebat pro fratre, patre, sorore, defunctis, & annua die offerebat pro illis: & ut ait Tertullianus, adpostulabat aliquod refrigerium in die resurrectionis &c. Putabant igitur annua die orandum aliquod refrigerium suis, quamdiu exspectabant diem judicii in illis speluncis terræ abditissimis, ac pro eodem eorundem refrigerio baptizabantur, idque annua die, calendis scilicet Februarii, ut constat ex Tertulliano lib. IV. contr. Marc. ubi calendis Februarii & baptizari solitos in spem resurrectionis, & munuscula pro caris peti solita dicit, apostolum vero illius insaniæ auctorem, aut adstipulatorem negat. Ex illo igitur more argumentum ducit apostolus. Nam quamvis mos ille improbandus esset, tamen si baptizantur pro mortuis, ut refrigerium habeant in die resurrectionis, quomodo ergo sui oblii a se dissentiunt & resurrectionem negant? Ideo autem calendas Februarii huic baptismo destinarunt, quia putabant, Christum eo die baptismum a Johanne suscepisse.* GERHARDVS.

baptismo usitata est symboli apostolici recitatio, eadem primitivæ ecclesiæ quoque in usu fuit, tum cum baptismus administraretur catechumenis: quasi dicat apostolus: si non est futura mortuorum resurrectio, quare baptizamini in fidem resurrectionis mortuorum? Vide Chrysostomum & Theophylactum in hunc locum; sed & hæc interpretatio videtur quodammodo coacta, cum in verbis apostoli articulus resurrectionis sit conclusio probata, non autem argumentum probans. 4) Quidam apostoli verba accipiunt de iis, qui mortem potius oppetere, quam baptismo carere voluerunt, hoc sensu: si non est resurrectio, quid faciunt illi, qui baptizantur super mortuos, hoc est, qui baptizantur morti jamdum a persecutoribus destinati? 5) Quidam referunt apostolica verba ad consuetudinem Judæis usitatam abluendi corpora defunctorum, quæ ad primitivæ ecclesiæ christianos promanavit, ut patet ex Act. IX. 37. & Eusebio lib. VII. histor. eccles. cap. 21. ut hac ablutione testatum redderent, se credere resurrectionem corporum. 6) Quidam simpliciter ad finem baptismi hunc locum referunt, quod scilicet cum Christo *baptizemur in mortem*, ut resurrectionis ejus participes simus, Rom. VI. 4. & 5. quasi dicat apostolus: si mortui non resurgunt, quare baptizamini, ut vetus homo exstinguatur, & novus exsurgat. Sed in omnibus hisce explicationibus jure aliquid desiderari potest. 7) Amplectimur igitur simplicissimam illam expositionem de ritu baptizandi christianos ad sepulcra mortuorum, qui symbolum fidei fuit & confessionis de resurrectione mortuorum, ac de collectione & consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemque corporis mystici, quin & publica professio de morte pro Christi gloria & articulo resurrectionis obeunda. (*) Hunc autem morem in primitiva ecclesia receptum fuisse (**), testatur epistola ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium lib. IV. hist. eccles. c. 15.

(*) Clemens lib. VI. constitut. cap. 30. *Congregamini in cœmeteriis, legite libros sacros, ac ad mortuorum tumulos psalmodias canite.* Gerh.

(**) Licet valde antiquus sit hic baptizandi ritus super martyrum sepulcris, in symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum; Pauli tamen ætate nondum fuit in usu, sed demum post apostolorum ætatem invaluit. Accedit, quod summa ævo apostolico martyrum fuerit paucitas, nec probabile sit, primos christianos, qui æque ac Judæi sepulcra sua extra urbem habebant, Pauli jam ætate sacra sua omnium conspectui exposuisse. Denique & hoc constat, consuetudinem illam in cœmeteriis baptizandi demum post apostolicam ætatem invaluisse, nec, vivis adhuc apostolis, ex vase aut baptisterio, sed ex fluviis & stagnis, nec nuda adspersione, sed immersione, catechumenos tinctos initiatosque fuisse. Vid. b. Deylingii *observat. sacrar. part. II. p.* 510, 511. Hinc alii maluerunt in eorum adquiescere sententia, qui statuunt, *baptismum vicarium*, illorum, qui fatis sine baptismo functi erant, caussa susceptum, heic innui, quem gentium apostolus heic tantum recensеat, neutiquam vero adprobet, sed contra eos, qui resurrectionem mortuorum isto jam tempore negarunt, in usum suum vertat. Verum, utut hæc sententia sit antiquissima, atque a multis iisque doctissimis viris recentiori quoque hoc ævo adoptata, suis tamen non caret difficultatibus iisque haud levibus. Equis enim sibi persuadeat, Paulum, virum divinitus inspiratum, in re longe gravissima ad ritum ejusmodi vanum, imo maxime superstitiosum respexisse, atque exinde argumentum pro confirmanda mortuorum resurrectione desumsisse? Quis sibi persuadeat, apostolum, qui saluti cœtus christiani summa diligentia nunquam non invigilavit, insignem istum baptismi abusum sine ulla censura prætermisisse, si quidem iste in ecclesiam Corinthiacam suo jam tempore fuisset invectus? Colligimus potius ex apostoli silentio, perversam istam opinionem de utilitate baptismi vicarii in mortuos redundante nec in ecclesia Corinthiaca, nec in aliis christianorum cœtibus tum temporis invaluisse, sed demum post mortem apostolorum a nonnullis adoptatam defensamque fuisse. Majori probabilitate sese commendare videtur expositio b. Bengelii, qui per baptizatos *super mortuis* eos intelligit, „qui baptismum & christianismum suscipiunt „eo tempore, quum mortem ante oculos po„sitam habent, jamque vel ob decrepitam æta„tem, vel ob morbum aut luem, vel per mar„tyrium *ad mortuos* accumulandi, omni fere „fructu hujus vitæ carentes, *devenientes* ad „mortuos, & mortuis quasi *imminentes*, qui „dicere

c. 15. Augustinus lib. XX. de civit. Dei, cap. 9. & Lutherus in explic. hujus loci. Hanc interpretationem sequuntur Bucanus in loco de baptis. pag. 643. Piscator in scholiis & alii.

2) *Baptismus campanarum.* §. CLXVII. II.) Baptismus campanarum in papatu usitatus est(*). Maximilianus I. Romanorum imperator statusque imperii in centum gravaminibus coram legato pontificio in comitiis Norimb. an. 1522. inchoatis, finitis vero an. 1523. gravamine 51. pie & prudenter de campanarum baptismo conqueruntur his verbis: *Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi & nullus alius sacerdos laicis campanas baptizent. Credunt deinde simpliciores, ita adfirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas pellere dæmones & tempestates. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, præcipue vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana veligata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova (quemadmodum & christianis fieri solet) campana induitur, inde ad sumtuosa properatur convivia, quibus præcipue compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur, nec non suffraganei & eorum capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent: inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione, quæ res non solum superstitiosa, sed etiam christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio & mera est exactio: veruntamen episcopi, ut suffraganeos vel vilissimos obærare possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res itaque tam nefanda & illicita merito aboleri debet. Cæterum, si conducere vocatur, ut campanæ consecrentur, (ita enim suffraganei baptizationem adpellant, quoties a prudentioribus de hac re interpellantur) conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis & similibus fieri solet, idque absque pretio & expensa laicorum, ne populus simplex ita seducatur & damno adficiatur, nec non avaritiæ detestandæ præsumtio evitetur.* Hæc cæsar & imperii ordines. De eodem baptismo campanarum sic scribit Wierus lib. I. de præstig. dæm. cap. 9. & ex eo Joh. Wolfius lection. memorab. centen. XVI. anno 1550. pag. 593. *Huc pertinent ludibria, quibus Satanas nostros homines etiam eo adegit, ut nisi*

„dicere possent קברים לי *sepulcra mihi* „præsto sunt, Job. XVII. 1. quo pacto *super* „*mortuis*, hoc loco dicitur, ut si diceretur *su*„*per sepulcro*, uti *Luc. XXIV.* 5. *cum mortuis*, „i. e. in sepulcro. Neque incredibile est, sæ„pe baptismum apud funera administratum fuis„se.„ Tandem nonnullis interjectis, ita pergit laudatissimus vir: „eos (itaque), qui su„per mortuis baptizantur, quasi in articulo „mortis constituit Paulus, & iis neque in fu„turum, negata resurrectione, neque in præ„teritum, quidquam mercedis remanere olten„dit.„ Vid. ejus *gnom. nov. testam. p.* 684, 685.

(*) De quo vid. Martinum de Arles in tract. de superstit. num. 9 & 14. concilium Colon. part. IX. cap. 14. Petrum Messiam Hispalensem lib. XI. div. lectionum cap. 9. Centuriatores cent. X. cap. 6. col. 294. Ansegreus in lib. XI. & Francisc. lib. IV. cap. 47. recitant constitutionem Caroli Magni: *Episcopi glocas non baptizent.* Bellarminus lib. IV. de Roman. pontif. cap. 12. *Hæretici aut rem ipsam vel nomen baptismi campanarum reprehendunt. Si rem, aperte decipiuntur vel mentiuntur, non enim campanæ revera baptizantur, sed solum benedicuntur & dedicantur divino cultui eo modo, quo templa, altaria, calices & alia sacra vasa, ut patet ex pontificali, ubi habetur benedictio campanæ, & nulla fit mentio baptismi.* Sed res ipsa testatur, quod longiorem adparatum, ambitiosiorem pompam, ceremonias plures, majoris momenti præcones, honoratiores ministros ad baptismum campanarum, quam ad infantum baptismum requirant, unde Bellarminus dicto loco fatetur, *nomen baptismi non quidem a pontificibus, sed a vulgo campanarum benedictioni adcommodari, quia vident eas adspergi, eis nomina imponi, ablui, ungi, exorcizari.* GERHARDVS.

nisi sacro baptismo regenerationis lavacro ad Christi solummodo membra pertinente, & exorcismis tantum, ubi e sua sede deturbandus est dæmon, ab illis, qui ejus pellendi singulare donum habent, adplicandis, campanæ & tintinnabula expientur, sacrificenturque sponsoribus & testibus in sacrilegam uberioris auri expiationem undique convocatis, res illas inanimatas mortuasque e turribus a diabolo ablatum iri, simplicibus persuasum sit. Quin imo foveæ & stagna ostenduntur, quæ etiam vidi, si dignus sum, cui credatur, quo ejusmodi non baptizatas consecratasque campanas a dæmone ex turribus proximis invectas esse, adseveranter dicunt, audirique earum sonum nocturna hora duodecima in nativitatis Christi solennibus, vel etiam singulis quatuor anni temporibus, quæ vocant, & eum commori, qui audierit, & si aliquem audire contingeret, is procul dubio a dæmone ob impietatem illuderetur: interim tamen hisce religionis nostræ præstigiis illi detinentur: nec ita pridem eo loco prope abbatiam Knechtestein ductus sum, ubi firmiter adhuc credidi hoc sacrilegium, coram audivi, monstratur fovea, turrisque ostenditur. Hæc Wierus. Cæterum hanc campanarum baptizationem instituisse a Balæo scribitur Johannes XIII. (*), qui magnam campanam ad Joh. Lateranensem de se denominari voluit: ac tribuitur baptizatis campanis singularis quædam virtus & efficacia ad expulsionem omnis diabolici insultus, ad fuganda tonitrua & fulmina, ad salutem defunctarum animarum &c. (**) Item campanæ illæ tam sanctæ sunt, ut, si ecclesia vel populus aliquis

(*) De JOANNE XIII. qui, quum primaria ecclesiæ Lateranensis campana, recens ære fusa, supra campanile esset elevanda, eandem prius solemni ritu consecravit, ac JOANNIS nomine nuncupavit, evolvi potest cardinalis BARONIVS *tom. X. annal. ecclesiast. ad ann. DCCCCLXIII. n.* 13. Nec tamen hic ipse JOANNES, qui OTTONIS M. auctoritate seculo X. in cathedra S. PETRI fuit collocatus, campanarum baptismum primus in ecclesiam invexit. Nam octavo jam seculo aliquem hujus baptismi usum obtinuisse, vel exinde colligere licet, quoniam in capitulari CAROLI M. de anno *DCCLXXXIX. cap. XVIII.* apud BALVZIVM *tom. I. capitul. p.* 244. cautum fuit, *ut clocas non baptizent;* prout in præcedenti nota ipsemet observavit GERHARDVS. Maxime tamen probabile est, ritum huncce superstitiosum tum temporis non fuisse *universalem*, sed duntaxat *particularem*, & præsertim in monasteriis obtinuisse, quoniam alioquin ceu novum institutum prohiberi haud potuisset. Enimvero, ut illustris BOEHMERI verbis heic utamur, non tam facile superstitio eradicari potest, quæ ut plurimum latius serpit & vires pedententim adsumit, ut tandem universam inficiat ecclesiam. Vid. ejusdem *jus ecclesiasticum protestantium tom. III. libr. III. tit. XL. §. XL. p.* 696. *seqq.* ubi & alia lectu haud indigna de hocce argumento adnotantur. Jungi tamen merentur JAC. FRID. LVDOVICI in *dissert. de eo, quod justum est circa campanas, cap. I. §. XIV—XXI. p.* 12. *seqq.* atque CHRISTIANVS THOMASIVS in *notis* ad LANCELOTTI *institut. juris canonici part. I. libr. II. tit. III. p.* 620. *seqq.* Conferenda quoque, quæ JO. FRID. MAYERVS in *museo ministri ecclesiæ, vol. I. p.* 579. *seqq.* GE. HENR. GOEZIVS in *diatribe de baptismo campanarum*, Lubecæ *MDCCXII.* atque JO. AYMON, protonotarius quondam apostolicus apud INNOCENTIVM XI. P. R. qui vero postea a Romana ad reformatam ecclesiam transiit, in libello, cui titulus: *Verwandelung der römischen Religion, p.* 236. hanc in rem scripserunt. Tacemus alios scriptores a JO. ALB. FABRICIO in *bibliograph. antiquar. cap. XI. §. XVII. p.* 529. edit. novæ, excitatos, ex quibus JO. BAPTISTA THIERSIVS eminet.

(**) Ex variis inscriptionibus, quæ in campanis subinde inveniuntur, effectus, qui iisdem tribuuntur, cognosci possunt. Vulgatissima est ex *gloss. extravag. de offic. custod. cap. I.*

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

vel:

Dum trahor, audite! voco vos ad sacra, venite!

Campana Erfurtensis, quæ *gloriosa* vocatur, quia honori gloriosæ virginis Mariæ dedicata est, in parergis ornamentis parte superiore lilia, inferiore folia quercina duobus circulis intersepta præfert, cum hac inscriptione: *Laudo patronos, cano gloriosa, fulgur arcens & dæmones malignos, sacra templis a populo jonanda*

aliquis sub anathemate sit, signum illis dare, magnum sit piaculum, ut a Bonifacio VIII. in cap. *alma mater* §. *Adjicimus* de sentent. in 6. & Gregorio IX. in cap. *ea permittimus*, in decret. de sentent. excommunicat. statutum; ex gratia tamen singulari olim a pontifice indultum fuit, *Ave Maria* tum pulsare; ut docet Johan. Calderinus in tract. de interdictis part. I. n. 97. Ritus in baptizatione illa adhibendos pontificale Romanum (*) describit his verbis: *Inprimis debet campana ipsa ita suspendi & situari, ut commode possit intus & extra tangi, tractari & circuiri: deinde prope ipsam campanam paratur pontifici faldistorium*, (sedes episcopalis) *vas aquæ benedicendæ, adsperforium, vas cum sale, lintea munda ad exstergendam campanam, quando opus erit, vas olei sancti infirmorum, sanctum chrisma, thymiama, thus, myrrha & thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam & dalmaticam albi coloris. His ordinatis, pontifex in sacristia aut alio convenienti loco, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris & mitra simplici, baculum pastoralem manu gestans, venit prope campanam, ubi sedens super faldistorium, ibidem sibi paratum, dicit cum ministris psalmos 6. scilicet 51. 54. 57. 67. 70. & 86. tunc surgit pontifex, & stans cum mitra benedicit sal & aquam &c. post salis & aquæ benedictionem conceptis verbis factam & late ibidem descriptam, ita ovat pontifex: Benedic Domine hanc aquam cœlesti benedictione, & adsistat super eam virtus Spiritus sancti, ut cum hoc vasculum ad invitandos ecclesiæ filios præparatum, in ea fuerit tinctum, ubicunque postmodum sonuerit ejus tinnitus, procul recedat virtus infidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum, & cum clangorem illius audierint filii christianorum, crescat in eis devotionis argumentum, ut festinantes ad piæ matris ecclesiæ gremium cantent ibi in ecclesia sanctorum canticum novum in laudes eorum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, exsultationem organi, deprecantes Dominum cœli pro sceleribus & pro omnibus necessariis suis, quatenus invitare valeant in templo sancto tuo suis obsequiis & precibus multitudinem exercitus angelorum & intercedentibus omnium sanctorum meritis impetrare, quod poposcerint, mereantur, salvator mundi DEUS, qui cum Patre &c. Posthæc pontifex mittat sal in aquam, in modum crucis semel, dicens: Hæc commistio salis & aquæ efficiant salutare sacramentum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quo facto super sal & aquam commixta dicat vers. Dominus vobiscum. Respond. Et cum Spiritu tuo. Deinde orant, ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter adspiciat, benignus illustret, pietatis suæ rore sanctificet DEUS, ut ubicunque adsperfa fuerit per invocationem ejus sancti nominis, infestatio immundi spiritus abjiciatur; terrorque venenosi serpentis procul pellatur. His peractis pontifex accepta mitra incipit lavare campanam cum dicta aqua, & ministri prosequuntur lotionem, lavantes eam totaliter intus & extra, deinde cum linteo mundo exstergunt, pontifice cum mitra sedente & cum aliis ministris dicente psalmum 146. 147. 148. & 149. Quibus finitis surgit pontifex cum mitra & cum pollice dextræ manus facit*

da carmine pulso, vid. Casp. Calvör *in ritual. eccles. cap. VIII.* §. 7. In campana Suidnicensi in Silesia hæc leguntur verba:

Ad res divinas populo pia classica canto,
Fulmina discutio, funera ploro pia.

Plures ejusmodi inscriptiones in Jo. Georg. Bertrami *Lüneburgischen Kirchen-Historie p. 722. seqq.* commemorantur.

(*) Anno 1520. Venet. edit. lib. II. de bened. camp. (Anno 1595. Clementis VIII. pontificis Romani jussu pontificale Roman. restitutum & pulcherrimo charactere & elegantissimis picturis editum est, cum præfixa ejusdem Clementis constitutione pro hujus libri auctoritate & adprobatione. Ac licet in nova hac editione multa sint omissa, quæ contra pontificem facere videbantur, hæc tamen, quæ de campanarum benedictione in priori editione habentur, intacta prætermittuntur. Gerhardus.

Prodiit quoque pontificale Romanum Clementis VIII. jussu restitutum atque editum Romæ fol. ann. 1611. 1615. itemque Parisiis ann. 1664. alibique.

facit ab extra supra campanam de oleo sancto infirmorum signum crucis, quo facto deposita mitra, dicit orationem, ut Deus campanam suo sancto Spiritu sanctificet, ut, si auditur ejus sonitus, in hominibus crescat devotio & omne malum abigatur. Formula orationis hæc est: DEUS, qui per sanctum Mosen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum Levitæ tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, & ad celebranda sacrificia conveniret, quarumque clangore etiam hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium, præsta quæsumus, ut hoc vasculum sanctum tuæ ecclesiæ præparatum, a tuo sancto Spiritu per nostræ humilitatis servitium sanctificetur, ut per illius tactum & sonitum fideles invitentur ad sanctam matrem ecclesiam & ad præmium supernum. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei & amor spiritualis, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, ventorum flamina fiant salubriter ac moderate suspensa, prosternat aëreas tempestates dextra tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum tremiscant, & fugiant ante crucis in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, quod ipse dominus noster JEsus Christus præstare dignetur, &c. Deinde pontifex accepta mitra exstergit cum linteo crucem a se factam. Deinde inchoat, schola prosequente, antiphonam, deinde repetitur antiphona. Interim pontifex cum mitra stans facit cum pollice manus dextræ de oleo sanctorum infirmorum septem cruces exterius super campanam, & de intus cum chrismate quatuor, pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit: Consecretur & sanctificetur Domine signum istud in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Pax tibi. Deinde iterum orat, ut Deus tintinnabulum cœlesti benedictione perfundat, purificet, sanctificet & consecret &c. Tunc sedet pontifex & accepta mitra imponit in thuribulo thymiama, thus & myrrham, si haberi possunt, alioquin quæ ex ipsis habentur: quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur campanæ, ut totum fumum recipiat: deinde pontifex osculatur librum evangeliorum, tum producit super campanam benedictum signum crucis & readsumta mitra discedit. Hi sunt ritus baptizandi campanas, ex qua descriptione facile intelligitur, quid statuendum sit de exceptione Stanislai Hosii, qui campanas a suis non *baptizari*, sed *consecrari* dicit (*). Pertinet huc, quod Alvearium examinis

(*) Eandem exceptionem, præter cardinalem Bellarminvm, quem supra jam confutavit Gerhardvs noster, urgent quoque Jo. Bapt. Casalivs *de vet. sacr. christ. rit. cap. XLIII.* Emanvel Gonzalez Tellez, jureconsultus Hispanus haud incelebris, *ad c.* IO. *X. de privileg. n.* 5. *in f.* Andr. de Savssay *in panoplia sacerdotali, part. II. libr. II. art. XXII.* Edmvndvs Martene *de antiquis ecclesiæ ritibus, tom. II. lib. II. cap. XXI. p.* 368. aliique. Verum, quum ipsi cœtus Romani antistites ultro fateantur, in hac ipsa, quam vocant, campanarum *consecratione* præcipuas, quæ in *baptismo* puerorum adhibentur, observari cærimonias, veluti *lotionem, unctionem* per oleum catechumenorum & *chrisma*, itemque *nominis* impositionem, adhibitis etiam *patrinis*, nullam videmus rationem, quæ impediat, quo minus *baptismi* appellatio actui huic imponatur, licet hic ipse *baptismus* campanarum ab eo, qui parvulis in remissionem peccatorum confertur, omnino distingui debeat. Cæterum, quum, ut modo observavimus, in baptismo campanarum *patrini* adhibeantur, lectoribus nostris, ut speramus, haud erit ingratum, si exemplum ejusmodi litterarum, in quibus patrini ad campanæ baptismum invitantur, hoc adponamus. Est illud desumtum ex Jo. Christoph. Olearii *syntagmate I. rerum Thuringicarum p.* 364. ubi exhibetur epistola ad senatum Tenstadiensem anno *MDXVI.* exarata, hisque verbis concepta:

Denen Ehrsamen, Weisen, Bürgermeistern zu Tenstett, unsern besonders günstigen Förderern. Unsere freundliche Dienste zuvor, Ehrsame, weise Herren. Wir sind Willens, wills GOtt, unsere Glocken auf den Sonntag Exaltationis S. Crucis nächstkommende, nach Ordnung der heiligen christlichen Kirchen, zu weihen

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0218-6

minis pontificii refert, *Hispanos cum Græningam Frisiæ pervenirent, vexilla seu signa sua baptizata chrismate inungi, adjurari, consecrari & benedici curasse, & aliud Barbaram, aliud Catharinam & sic deinceps nominasse.*

3.) *Baptismus infantum nondum in lucem editorum.*

§. CLXVIII. III.) Improbandus baptismus infantum nondum in lucem editorum, uti & eorum, qui ex parte & non ex toto in lucem editi (*): Illi enim cum non sint in hanc vitam nati, non possunt per baptismum renasci, juxta regulam antiquitatis: *Non potest quisquam renasci, antequam sit natus.* Augustinus epist. LVII. ad Dard. Isidorus lib. I. de summ. bono cap. 4. *Qui in maternis uteris sunt, ideo baptizari non possunt, quia, qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci, neque regeneratio dici potest, quam generatio non præcessit.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 6. §. 2. quam adprobat Lutherus tom. XII. Witteberg. p. 292. & in colloq. mensal. p. 173. Ut ergo recte statutum c. Quod in maternis dist. 4. de consecr. *quod in utero matris totaliter existens non sit baptizandus*, ita minus recte disputat Petrus Aureolus lib. IV. sent. dist. 5. q. 1. quod si *pars aliqua principalis extra adpareat, baptizari possit.* Quid vero statuunt, si adpareat pars minus principalis, puta pes vel manus? Aureolus existimat, non esse baptizandam. Landulphus contra statuit, quod sit baptizanda; interim tamen si infans totaliter postea nascatur, iterum baptizandum esse hoc modo: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo.* Cardin. in Clement. fidei de summ. Trinitat. concedit, baptizandum esse infantem, si aliqua ex parte in lucem editus, sed addit, non nisi extrema necessitate id permittendum. *Multiplex est opinio doctorum* (inquit summa Angelica in verbo baptis. membr. 6. q. 3.) *in hac quæstione, sed tu tene opinionem Landulphi, quæ securior est & valde pia, quam tenet Thomas & Richardus.* Hæc illi Andabatæ: nos sequimur glossam in c. si ad matris dist. 4. de consecr. negantem, baptismum administrandum esse, nisi iis, qui perfecte nati, argumento 1. Quod certum c. de posthum. her. instit. ubi requiritur, ut sit totus natus, qui posthumus dicatur. Proinde si mos in ecclesia receptus, ut principale membrum ex naturæ penetralibus exsertum baptizetur, is prægressa auditorum informatione sine scandalo aboleatur.

4) *Baptismus monstrorum.*

§. CLXIX. IV.) Baptismus monstrorum (**), quæ ex concubitu bestiali nata humanam & pecuinam speciem præ se ferunt. Vide Lutherum in coll. mensal. p. 330. Alia vero ratio est monstrosorum partuum, qui speciem

hen und taufen zu lassen; ist unsere gütliche Bitte, wollet auf vermeldte Zeit, um GOttes willen, bey uns, samt andern unsern guten Freunden, erscheinen, und Groß-Pathe mit seyn. Wollet das Lohn von dem allmächtigen GOtt, und dem Patron S. Sixto und der heiligen Jungfrauen S. Julianen nehmen. So wollen wirs willig gern verdienen. Datum Sonntag nach Egidii anno 1516.

Curt und Clauß Vitzthum von Eckstett, sammt den Altar-Leuthen.

Quis non videt, justissimas protestantes habuisse rationes, gravissimum hunc baptismi abusum penitus abrogandi?

(*) Canonistarum de baptizando infante nondum nato sententiam edisserit Zieglervs in *notis* ad Lancelottvm *part. I. libr. II. tit. III. §. VIII. p.* 648. De baptismo vero eorum, qui ex parte, & non ex toto in lucem sunt editi, vid. Nicol. Christoph. Lyncker-vm *diss. de baptismo cap. I. §. 2.* & Zieglervm *loc. cit. p.* 646. *seqq.* Add. Dedekenni *consil. theol. vol. I. libr. II. de baptismo n.* 1. 2. 3. ubi recte negatur, baptismum administrandum esse, nisi in eo, qui totus est natus, quod & variarum ecclesiarum constitutionibus ecclesiasticis est sancitum.

(**) De baptismo infantum monstrosorum legi merentur, quæ, post alios, b. Deylingivs *institut. prudentiæ pastoralis, part. III. cap. III. §. XVIII. p.* 342. *seqq.* edit. secundæ, adnotavit.

ciem humanam retinent, licet membro aliquo destituantur vel abundent (*). Andreas Angelus in lib. de mirabilibus mundi, in historia anni 1597. sic scribit. *In Aprili Bourgeis in Hispaniis inauditum quoddam monstrum protulit mundus, quod ex multorum ad varios scriptis illic & Venetiis certo constat literis. Ibi enim vacca quædam duos vivos & integros omnino homines masculum & fœminam enixa est in lucem, quibus & archiepiscopus aliquandiu sacrum baptisma negabat rei novitate, quid faciendum esset, dubius, cum simile exemplum neque viderit, neque audierit ipse, neque de tali scripserit alio tempore quisquam, sed de hoc legati pontificii facultatem & permissum præstolabatur.* Landulphus lib. IV. sentent. dist. 6. q. 2. ad quæstionem, an & quomodo monstrum baptizandum sit, sic respondet: *Si perpendatur duas habere animas, ut puta duo capita, quatuor pedes, duas spinas in dorso & hujusmodi, tunc baptizetur quilibet per se, & intingatur in loco quilibet per se. Si vero dubitatur, an sint duæ animæ, utputa, quia habet quatuor manus & unum caput vel duas spinas in dorso, tunc credo, quod debeat baptizari principalis absolute, & alius postea sub conditione, scilicet, si non es baptizatus, ego te baptizo &c. Nec baptizet intentione vaga, sed determinando se ad unum.* Prioris responsionis partem probamus, cum constet, gemellos sibi invicem adnatos esse duos distinctos homines, posteriorem vero partem improbamus, cum membra minus principalia redundantia nondum duos homines constituant. Liberum tamen hac de re piis & eruditis permittimus judicium.

5) *Superstitio muliercularum.*

§. CLXX. Repudianda est V.) superstitio muliercularum, quæ corallia, lintea, fascias & id genus alia ex aqua baptismi singularem quandam efficaciam ad sanitatem consequi somniant, cum soli homini regenerando & renovando hoc lavacrum sit institutum. Illa vero vis & efficacia regenerandi non ita latet in aqua baptismali, ut vis refrigerandi in aqua rosacea, vis expellendi in aqua cardui benedicti, vis purgandi in aqua communi &c. Sed Spiritus sanctus regenerationem & renovationem illam operatur, per aquam salutaris hujus effectus organum atque instrumentum. Superstitiosum igitur est, & cum secundo decalogi præcepto pugnat, aquam baptismatis ad alium quendam finem adhibere, quam cui ex instituto divino est destinata: vel eidem aliam efficaciam tribuere, quam quæ ex promissione divina in usu sacramentali eidem competit. Memini in consistorio Coburgensi quendam confessum, quod aquam baptismalem cuidam a se imprægnatæ ad abortum procurandum propinaverit, graves ejus impietatis dedisse pœnas. Superstitioso huic baptisticæ aquæ abusui obviam iri potest per colymbethram, (cujus etiam mentio fit apud Socratem lib. VII. cap. 17.) quæ est aquæ in baptisterio receptaculum, ex quo aqua baptizato superfusa per inferiorem quendam meatum secedit. Detestamur VI.)

6) *Profanatio baptismi quæcunque.*

diabolicam baptismi profanationem, de qua memorat Bodinus lib. II. Dæmonoman. cap. 8. quod *quidam bufones baptizari curent in usum veneficiorum.* De duce Albano referunt, quod equum & capram baptizatam in comitatu habuerit. Sceleratas hasce sanctissimi baptismi profanationes toto pectore detestamur & exsecramur.

Quinam ex adultis baptizandi sint.

§. CLXXI. Homines ergo vivi sunt proprium & adæquatum baptismi

(*) Andr. Osiander in disp. de bapt. Tubingæ anno 1615. quæst. 11. *Monstrosus natus ex hominum concubitu aut non habet veram humanitatem, id est, formam perfecti & rationalis hominis, & baptizari non debet. Aut habet figuram rationalis hominis, si videlicet monstrositas in ignobilioribus partibus corporis hæret, & talis repræsentat vel unius hominis speciem, & sic semel baptizandus, vel geminati hominis. Si hoc exacte deprehendi potest, distinctis vicibus baptizandus videtur, non obstante, quod pedum concretio aut laterum adglutinatio unum individuum repræsentet. Sin vero id deprehendi non potest, uno actu pro individuo uno baptizari potest. Sed hic nemini quidquam præscribimus, meliora proposituris libenter adstipulabimur.* GERHARDUS.

ptismi objectum, non mortui, nec alia inanimata. Sed cum inter homines vivos quidam sint adulti, quidam vero adhuc infantes, ideo de utrisque distincte agemus. Adultos sine discrimine 1) *populi*, 2) *sexus*, & 3) *status* baptizandos esse dicimus, sive sint Judæi, sive gentiles sive masculi, sive fœminæ; sive conjugati, sive cœlibes; sive servi, sive liberi &c. 4) ita tamen, ut in christiana religione prius instituti eandem amplectantur & publice profiteantur. Singula hujus thesios membra demonstrabimus. Ac *primo* quidem, quod sine discrimine populi non solum Judæi, sed etiam gentiles baptizandi sint, id patet 1) *Ex* institutione baptismi Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos*, (Johannes & apostoli in angustis Judææ limitibus hactenus administraverant baptismum, Christus vero jubet hoc loco, ut diruta macerie inter Judæos & gentes apostoli euntes in orbem universum, baptizarent, quotquot ex Judæis vel gentibus verbum evangelii recipiunt.) Monendum tamen hoc loco, etiam ante hanc solennem baptismi promulgationem milites ad baptismum Johannis venisse, quos ex Romanis gentilibus fuisse, admodum verisimile est. Luc. III. 14. 2) *Ex* apostolorum exemplo, qui post Christi adscensionem sine discrimine Judæos & gentes baptizarunt, ut ex Act. II. 8. 10. 16. 18. & ex epistolis Paulinis ad Corinthios & Galat. constat, cumprimis notandus est locus 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive gentiles.* 3) *Ex* sublato discrimine inter Judæos & gentes in novo test. Rom. I. 14. *Græcis & barbaris debitor sum.* X. 12. *Non est distinctio Judæi & Græci.* 1 Cor. I. 24. *Vocatis Judæis ac Græcis prædicamus Christum.* Gal. III. 28. *Hic non est Judæus nec Græcus, quia omnes unum estis in Christo.* Eph. II. 14. *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ solvit &c.* Quo pertinent vaticinia vet. test. de vocatione gentium; si enim gentes pertinent ad Christi regnum, utique a sacramentis christianæ ecclesiæ non possunt excludi: Esaj. XLIX. 22. *Gentes adferent filios suos in ulnis, & filias suas super humeros portabunt* (*).

Quod gentiles etiam baptizandi sint.

§. CLXXII. At, inquis, circumcisio tantum Israëlitico populo olim demandata fuit, Genes. XVII. 7. *Statuam pactum meum tecum & cum semine tuo.* Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. Ergo idem ad Israëlitas tantummodo pertinebit (**). *Resp.* quamvis

Objectio de circumcisione ad Israëlitas tantum pertinente.

(*) Errat igitur Ostorodus, scribens: *Fratrum liberi in infantia baptismo non tincti, ubi ad annos discretionis pervenerint, & fidei rationem reddere potuerint, baptizari debent, quod tamen diutius observandum non est, quam usque dum cœtus Photinianorum factus numerosior.* Instit. cap. 39. §. 8. p. 363. Sensus est, quod baptismus non spectet æqualiter ad omnium seculorum homines. Contra 1) sub nomine *omnes gentes* comprehenduntur, non solum qui tunc vivebant, sed etiam qui victuri sunt usque ad consummationem seculi. 2) Ut vigore mandati divini docere oportet omnes gentes, ita etiam baptizare. 3) Eadem Dei voluntas ad homines horum temporum, quæ fuit tempore legationis apostolicæ, tum quoad salutem, tum quoad media. 4) Eadem est utrinque hominum necessitas, cui Deus aut non prospexit, aut non alio quam baptismo prospexit. Hunnius. de bapt. Gerhardus.

(**) *Baptismus aquæ datus non est, ut inter gentes vulgetur & usurpetur ab apostolis*, Schmalcius contra disp. X. Franz. p. 309. Resp. 1) Datum esse aquæ baptismum fatentur, agnoscant ergo a Christo institutum, ea vero institutio obligat omnes homines. 2) Reddant limitationis suæ rationem, quod gentibus non sit datus. 3) Verba Christi sunt sole clariora: *Docete omnes gentes, baptizantes eas.* 4) Apostoli gentibus baptismum contulerunt, qua in parte aut fidem Christo non probarunt, aut mandatum etiam ad gentes se extendit. 5) Ratione finis, propter quem baptismus institutus, eadem gentilium & Judæorum ratio, eadem baptismi necessitas. 6) Ex opinione Photinianorum: *Baptismus est ritus professionis eorum, qui ad fidem christia-*

vis *principaliter* ac primario cum Abrahamo & ipsius posteri fœdus illud statuerit Deus, gentiles tamen non fuerunt absolute & simpliciter ab eo excluſi, cum jubeantur etiam vernæ in domo Abrahæ circumcidi, Gen. XVII. 12. qui non erant ex Abrahæ semine oriundi. Inde postea in institutione agni paschalis tale præceptum datur: Exod. XII. 48. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc vite celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* ℣. 49. *Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.* Id ipsum probant exempla eorum, qui ex gentilitate ad verum Deum Israëlis converſi circumcisione susceptæ fœderi gratiæ sunt inserti. Quod si nec in vet. testam. gentiles a circumcisione fuerunt excluſi, quanto minus a baptismo in nov. testam. erunt excludendi, soluto jam *medio pariete maceriæ* sive interſepto illo, quod Judæos a gentilibus in vet. test. secernebat, Eph. II. 14. ac impletis vaticiniis de universali omnium gentium ad Christi regnum vocatione: unde apostolus Rom. IX. 6. 7. 8. efficaciter probat, *non omnes, qui ex Israel sunt, esse Israelitas, nec qui semen Abrahæ sunt secundum carnem, esse omnes filios, sed qui filii sunt promissionis, æstimandos esse in semine.* Judæos *propter incredulitatem defractos esse*, Rom. XI. 20. gentiles autem, cum natura oleastri essent, illis insertos *& socios radicis ac pinguedinis olivæ factos esse.* ℣. 17.

Quod fœmellæ baptizandæ.

§. CLXXIII. *Secundum* membrum theseos erat, adultos sine discrimine sexus baptizandos esse: id demonstratur itidem 1) *ex* Christi instituto, is namque citra ullum sexus discrimen *omnes gentes* baptizare jubet. Matth. XXVIII. 19. 2) *Ex* Johannis baptistæ & apostolorum exemplo, qui masculos & fœmellas baptizarunt. Matth. III. 5. *Exibat ad Johannem Hierosolyma & omnis Judæa & omnis regio circa Jordanem*, id est, omnis populus, ut exponitur Luc. III. 7. VII. 29. Sic Act. II. 41. *Tria millia animarum baptizantur.* Act. VIII. 12. notanter dicitur Samariæ *viros ac mulieres* esse baptizatas. Act. XVI. 15. *Lydia purpurarum venditrix & domus ejus baptizatur.* ℣. 33. *Custos carceris & omnis ejus domus.* Act. XVIII. 8. *Crispus cum omni domo sua & multi Corinthiorum.* 1 Cor. I. 16. *Stephanæ familia.* 3) *Ex* disserto Pauli pronunciato. Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* ℣. 28. *Hic non est Judæus, nec Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, nec fœmina; omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.* 4) *Ex* generali ecclesiæ vocabulo. Cum enim Christus *ecclesiam suam* lavacro aquæ in verbo purgare dicatur, Ephes. V. 26. & vero fœmellæ itidem sint membra ecclesiæ & *cohæredes gratiæ*, 1 Petr. III. 7. ecquis a baptismo eas excludere fuerit ausus? Eph. IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Qui unum invocant Dominum & unam profitentur fidem, unum etiam habeant baptisma. 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Huc pertinet, quod fœminæ non minus ac viri salutari hoc lavacro indigeant, cum itidem sint in peccatis conceptæ ac natæ, *caro de carne*, Joh. III. 5. quodque essentialia baptismi requisita in illis locum habeant &c. Detestanda ergo monachi illius & sacrificuli Misenensis protervia, de quo Georgius Fabricius Chemnicensis scribit, quod odio & contemtu sexus fœminei, quotiescunque fœmellam aliquam sacris undis esset abluturus, dicere consueverit, statim a baptismo in profluentem conjiciendam, *getauft und ersäuft*, sed ipsum, de ponte Albis cum forte prospiceret, delapsum justo Dei judicio submersum fuisse, anno 1505. Alexander Alensis disputat, *baptismum Johannis non convenisse mulieribus, ne scilicet in concursu populi nudarentur*, quasi vero Lydia coram apostolis se denudarit. Act. XVI. 15.

Sacrificuli Misenensis dictum: Getauft und ersäuft.

§. CLXXIV.

nam accesserunt sive ex Judaismo sive ex gentilismo. Quæ definitio si vera est, utique credendum, voluisse instituentem, ut etiam gentibus baptismus administraretur. GERHARDUS.

Objectio de circumcisione ad masculos tantum pertinente.

§. CLXXIV. At, inquis, *circumcisio in veteri testamento tantummodo pro masculis fuit instituta.* Genes. XVII. 10. Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. Resp. 1) In circumcisionis institutione diserta & expressa fit mentio masculorum, quo ipso fœmellæ excluduntur: sed in baptismi institutione omnes gentes baptizari jubentur. 2) Divus apostolus Gal. III. 28. diserte testatur in nov. testam. respectu baptismi sublatum esse masculorum ac fœmellarum discrimen. 3) Essentialia circumcisionis requisita non habuerunt locum in fœmellis; alia vero ratio essentialium baptismi requisitorum, quæ in ipsis omnino locum habent. 4) Quamvis fœmellæ in carne sua non susciperent circumcisionem, non tamen erant exclusæ a Dei fœdere; sed quia ex semine circumcisorum natæ, fide promissionem fœderalem sibi adplicabant, pro circumcisis habebantur, qua de re superius in tract. de circumc. plura diximus.

Quod conjugati & cœlibes baptizandi sint.

§. CLXXV. *Tertium* membrum theseos erat, adultos sine discrimine status esse baptizandos, sive sint conjugati, sive cœlibes; sive servi, sive liberi. Probatur id ex iisdem fundamentis, quibus demonstratum fuit, sine discrimine populi & sexus baptismum omnibus conferendum esse; cumprimis vero id patet ex disertis apostoli pronunciatis. 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi.* Gal III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* ℣. 28. *Hic non est Judæus, nec Græcus; non est servus, nec liber; non est masculus, nec fœmina.* Col. III. 11. (respectu regenerationis & renovationis in nov. test.) *non est masculus & fœmina, gentilis & Judæus; circumcisio & præputium; barbarus & Scytha; servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus.* Sic quando integræ familiæ in actis apostolicis baptizatæ dicuntur, in illis servos & liberos, conjugatos & cœlibes fuisse constat. Opponenda hæc sunt Marcioni & ipsius adsectis, qui conjugatos ad baptismum neutiquam admittendos esse censebant, sed virgines duntaxat, viduas, cœlibes, aut divortio a viris separatas, quique matrimonio, ejusque fructui renunciassent. Centur. Magdeb. 2. cap. de hæret.

Quod ex adultis illi solum baptizandi sint, qui religionem christianam amplectuntur.

§. CLXXVI. *Quartum* membrum theseos erat, adultos in christiana religione instituendos, eandemque amplecti & profiteri debere, antequam ad baptismum admittantur. Id demonstramus 1) *ex* serie verborum institutionis. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos*, ubi Christus primo jubet docere, postea demum baptizare. Marc. XVI. 15. *Ite in orbem universum, & prædicate evangelium omni creaturæ.* ℣. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* 2) *Ex* Johannis baptistæ & apostolorum exemplo, illi enim auditores suos primo docuerunt, postea eosdem baptizarunt. Matth. III. 1. Luc. III. 3. *In diebus illis venit Johannes baptista prædicans in deserto Judææ, tunc exibat ad ipsum Hierosolyma & omnis Judæa &c. Et baptizabantur ab eo in Jordane.* Act. II. 38. Petrus prius pœnitentiam prædicat, postea demum eos, qui recipiunt sermonem ejus, baptizat. *Quotquot receperunt sermonem ejus, baptizati sunt.* ℣. 41. Ergo a contrario sensu, qui sermonem ejus non receperunt, sed illi contradixerunt, non sunt baptizati. Conjunge Act. VIII. 12. 13. 38. IX. 17. X. 44. XVI. 14. 15. 32. XVIII. 8. ubi perpetua praxis apostolorum ostendit, institutionem baptismo adultorum præmittendam esse. 3) *Ex* typo circumcisionis. Cum enim non solum Isaac, sed & reliqui domestici Abrahæ circumcisi fuerint, dubium nullum, quin de hoc ritu sanctus patriarcha eosdem prius informarit, alias circumcisionem, cum tanta dolorum acerbitate conjunctam, nunquam suscepissent. Gen. XVIII. 19. *Scio quod præceptturus sit Abraham filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini*

mini, & faciant judicium & justitiam. Sic de ritu agni paschalis liberi a parentibus erudiri jubentur; Exod. XII. 26. *Cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio?* v. 27. *Dicetis eis, victima transitus Domini est &c.* 4) *Ex* ipsa necessitate. Cum enim baptismus sit nova novi testamenti ceremonia, utique necessarium fuit, ut Johannes baptista & apostoli auditores suos de divina ejusdem institutione, usu & efficacia prius informarent. 5) *Ex* natura sacramentorum, quæ sunt sigilla divinarum promissionum. Ut enim tabulæ fœderis & literæ contractuum prius conscribuntur, postea demum sigilla adpenduntur: sic de divinis promissis informandi prius auditores, antequam usu sacramentorum eadem in illis obsignentur. 6) *Ex* analogia verbi. Quemadmodum verbum Dei non est prædicandum illis, qui furenter & violenter illud repudiant, Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus.* Matth. X. 14. *Si quis non receperit vos, nec audierit sermonem vestrum, exite ab illa civitate.* Act. XIII. 46. *Quia repellitis verbum &c. ecce convertimur ad gentes:* ita multo minus invitis obtrudenda sacramenta.

Objectiones contrariæ. 1) *Quod Johannes prius baptizasse quam prædicasse dicitur. Marc. 1.*

§. CLXXVII. Hisce opponi posset I.) quod Marc. I. 4. de Johanne exstat: *Fuit in deserto Johannes baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ergo prius baptizavit, postea demum pœnitentiam prædicavit. *Resp.* 1.) Res ipsa ostendit, prædicationem baptismo a Johanne fuisse præmissam. Ecquis enim novam illam & hactenus insolitam baptismi ceremoniam, sine prægressa sufficiente informatione, fuisset amplexus? 2.) Dicimus ergo, evangelistam Marcum in his verbis non respexisse ordinem, quasi Johannes primum baptizaverit, ac postea demum prædicarit, sed totum ministerium Johannis describere voluisse. 3.) Marcus teste Hieronymo, epitomen confecit evangelii a Matthæo scripti. Jam vero Matthæus in descriptione ministerii Johannis cap. III. diserte testatur, Johannem prius prædicasse & postea baptizasse. 4.) Lucas expresse profitetur, se velle historiam nov. testam. ἀνατάξεσθαι, καὶ ἀκριβῶς ἀνωθεν καθεξῆς γράφειν ordinare & diligenter a principio ex ordine scribere I. 1. & 3. Is vero itidem testatur, Johannem prius prædicasse, postea demum baptismum administrasse. III. 3. 7. 12.

2) *Quod omnibus sine conditione baptismus competat.*

§. CLXXVIII. II) Quod 1 Tim. II. 4. *Deus velle* dicitur, *ut omnes homines salvi fiant.* Ergo absque ulla conditione omnibus medium salutis, videlicet baptismus, erit proponendum. *Resp.* Deus quidem vult, & quidem serio vult, omnes homines salvos fieri; interim tamen non absolute citra ullum respectum & ordinem mediorum hoc vult, sed hoc ordine & modo, ut verbum audiant, fidem ex eo concipiant, ad ipsum convertantur, & baptismum suscipiant, inde in textu apostolico additur: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Ad hanc veritatis agnitionem per verbum & sacramenta efficaciter operante Spiritu sancto eos vult perducere; si qui vero hoc salutare DEI *consilium* repudiant, Luc. VII. 30. *Spiritui sancto resistunt*, Act. VII. 51. ac *semet ipsos vita æterna indignos judicant*, XIII. 46. illos invitos & repugnantes non vult salvare, sed potius hos contemtores verbi & sacramentorum sua gratia & bonis cœlestibus privare. Atque ut neminem invitum vult salvare; ita quoque nemini invito verbum & sacramenta vult obtrudi, sed potius prohibet *sanctum dare canibus.* Matth. VII. 6. Ut non placent Deo coacta servitia; ita quoque non placet ipsi coactus sacramentorum usus. Si qui ergo verbum repudiant, illis etiam baptismus non est conferendus invitis.

Q. circa adultorum baptismum. Quare Christus a Johanne baptismum susceperit?

§. CLXXIX. Antequam a baptismo adultorum ad baptismum infantum transeamus, excutienda est quæstio: *Quare Christus a Johanne baptismum susceperit?* baptismus est *lavacrum rege-*

Causæ principales sunt duæ. 1) Vt nostrum baptismum sanctificaret.

regenerationis & renovationis, Tit. III. 5. sed Christus cum sit *sanctum illud* ex Maria natum, Luc. I. 36. imo *sanctus sanctorum*; Dan. IX. 24. nec regeneratione, nec renovatione indigebat. Baptismo purgantur peccata, sed Christus cum sit *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus*, Hebr. VII. 26. nulla peccatorum purgatione indigebat: quare igitur baptizari voluit? *Resp.* causæ *principales* sunt duæ: *secundariæ* vero complures. *Una* principalis ac primaria causa exponitur ab ipso Christo in historia baptismi, hisce verbis: *Sic decet nos implere omnem justitiam*, in quæ pulcerrime ita commentatur Chemnitius c. XVII. harm. evang. pag. 12. Quando Christo mediatori tribuitur impletio justitiæ, sensus hic est: Pater misit Filium in mundum, ut fieret nobis *justitia*; 1 Cor. I. 30. idque hoc modo, ut *factus sub lege* fieret victima pro nobis & *de peccato damnaret peccatum*, *utque ita justitia legis impleretur in nobis*; Rom. VIII. 3. utque daret *ministerium reconciliationis*, *ut ita nos efficeremur justitia Dei in ipso*. 2 Cor. V. 21. Fuit ergo officium mediatoris Christi, omnia illa, quæ ad consequendam illam justitiam, qua coram Deo ad vitam æternam justificamur, pertinent, implere, ut ita ipse in solidum esset justitia nostra. Implevit autem hanc justitiam, *primo* quando victima pro nobis factus peccata nostra sustulit, & perfectissima obedientia legi pro nobis satisfecit: *secundo* autem, ut justitia illa nostra fiat & nobis adplicetur, opus est mediis seu organis, per quæ justitia illa, obedientia & sanguine Christi adquisita, nobis distribuatur, & efficacia Spiritus sancti nobis adplicetur, quod Paulus 2 Cor. V. 18. vocat *ministerium reconciliationis*. Christus igitur illa etiam media sive organa voluit sanctificare, quæ & ipsa pertinent ad justitiam fidei, ut sciremus Deum per illa velle efficacem esse, ut sint *potentia Dei ad justitiam omni credenti*. Rom. I. 16. Sensus igitur verborum Christi hic est. Ad officium ministerii mei pertinet; illius justitiæ, qua credentes gratis coram Deo ad vitam æternam sanctificandi sunt, non partem aliquam, sed omnia, quæ ad illam pertinent, implere; ministerium vero evangelii sive reconciliationis, quod jam in me cœlitus dedicabitur & confirmabitur, & ipsum lavacrum aquæ in verbo, sunt media seu organa, per quæ justitia illa distribuitur & adplicatur. Ergo ut non partem aliquam, sed omnem justitiam impleam, Dei voluntas & ordo est, ut baptizer, atque ita ministerium verbi & sacramentorum sanctificem. Ita Lutherus interpretatur hæc verba Christi, ut illis ostendatur, quod Christus voluerit baptizari, non propter illam causam, quæ in reliquis usum baptismi necessarium reddit; sed ut sanctificaret illum, ut sit medium seu organum adplicationis justitiæ fidei. Et postea pag. 15. Noster baptismus non habet solam aquam & nudum verbum sine Christo, sed sicut in hac historia pulcerrime depingitur, Christus ipse descendit in baptismum cum suo corpore, atque ita illa, quæ in corpore carnis suæ promeruit & adquisivit, quasi deposuit in baptismo, ita ut per illud medium distribuantur & adplicentur. Hæc Chemnitius. Quo pertinent dicta veterum. Chrysostomus in III. Matth. *Baptizari dignatus est*, *non ut peccata deponeret*, *qui peccatum solus non fecerat*, *sed ut aquas baptismi solus sanctificaret ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ baptismi peccata credentium purgare potuissent*, *nisi tactu dominici corporis fuissent sanctificatæ*: *Ille ergo baptizatus est*, *ut nos a peccatis lavaremur*. Augustinus tract. V. in Johan. *Christus suo baptismo nostro auctoritatem dedit*. Lib. II. qq. evang. q. 6. *Non in baptismo Domini ipsi Domino peccata dimissa sunt*, *sed ipsa ibi remissio peccatorum omnium*, *quæ misericordia ejus & potestate donata est hominibus*, *per illum baptismum Domini consecrata atque signata est*. Theodoretus q. I. in Josuam: *Sicut sacerdotibus gestantibus arcam*, *Jordanem primum ingressis cum Jesu duce & prophetа populus omnis transiit: ita plane ubi Johannes incipit baptizare*, *& Jesus salvator sanctificavit natu-*

naturam aquarum, populus pius per sacrosanctum baptisma regnum cœlorum introiit (*). Maximus homil. VII. de baptis. Christi: *Baptizatur Jesus non sibi, sed nobis. Baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum.* Bernhardus homil. de passione Domini col. 1589. *Baptizatus non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, ut per eas nos sanctificares.* Vide Ambrosium & Bedam in III. Lucæ. Verba Bedæ sic habent: *Baptizatus est Dominus, non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas, quæ ablutæ per carnem ejus, peccati utique nesciam, baptismi jus induerent, & quod tam innumera sub lege baptismata non poterant, contra prævaricationis malum vim regenerativæ sanctificationis concipervent. Dum corporis humilitate undas Jordanis subiit Dominus, divinitatis suæ potentia cœli nobis januas pandit: dumque caro innoxia frigentibus tingitur aquis, opposita quondam noxius romphæa restinguitur ignea.*

2) *Ut nostra peccata abluerent.*

§. CLXXX. *Altera* principalis causa, quare Christus baptizatus fuerit, exponitur a Johanne baptista. Joh. I. 29. *Cum enim videret Jesum ad se venientem, dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Docet igitur, quod Filius Dei nostro loco & nostrûm omnium personam ut mediator sustinens, ut agnus onustus peccatis totius mundi accedat ad baptismum, projecturus peccata illa *sibi imposita* Esa. LIII. 6. in Jordanem, imo *in profundum maris.* Mich. VII. 19. Nazianzenus orat. XXXIX. in s. lumina pag. 623. *Christus baptizatur, πάντα τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ἐν ἐνθέσει τῷ ὕδατι.* Ambrosius lib. I. de sacramentis cap. V. tom. IV. p. 430. *Quare Christus descendit* (in Jordanem ad baptismum) *nisi ut caro ista mundaretur, caro, quam suscepit de nostra conditione? Non enim abolitio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit, sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii* (**). Hilarius can. II. in Matth. *Christus sanctificavit hominem & adsumtione & lavacro.* Lactantius lib. IV. div. instit. cap. XV. *Christus tinctus a Johanne in Jordane flumine, ut lavacro spirituali peccata, non sua, quæ utique non habebat, sed carnis, quam gerebat, aboleret.* Theophylactus in III. Matth. *Baptizatus fuit, ut nos ablueret.* Ecclesia in die Epiphaniæ canit, Christum ideo baptizari voluisse, ut *lavaret nostra crimina in Jordane.* Huc pertinet observatio eruditorum, quod Christus die duodecima mensis noni, id est, in ipsa expiationis celebritate baptizatus fuerit. Sicut summus sacerdos quotannis semel in festo expiationis ingressus est in sanctum sanctorum; Levit.

(*) Cyprianus de bapt. Christi: *Veniebat Christus ad baptismum, non egens lavacro, in quo peccatum non erat, sed ut sacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla personarum acceptio commendaret, quoniam remissio peccatorum sive per baptismum, sive per alia sacramenta daretur, proprie est Spiritus sancti & ipsi solius hujus efficientiæ privilegium manet.* Nicephorus lib. I. hist. eccl. cap. 18. *Christus subiturus baptismum ad Jordanem progressus est, fortasse quidem ut contactu suo undam sacraret & benediceret, revera autem simul & baptistam ipsum divinum attingentem verticem sanctificaret, & aquam fide subituris Spiritum sanctum communicaret: fidemque faceret, mandatum a Deo esse baptismi Johannis ministerium dudum ad justitiam id admittentibus & recipientibus datum.* Gerhardus.

(**) Idem in III. Luc. *Baptizatus est, ut purificans se pro nobis, qui purificatione non egebat, uno momento in uno corpore fraudem vetusti erroris aboleret, gratiam regni cœlestis effunderet, unusque mersus lavaret omnes.* Sedulius lib. II. de Christo:

In se cuncta lavat nostræ contagia vitæ,
Ipse nihil quod perdat habens, sanctoque liquentes
Corpore mundavit latices, lymphasque beavit
Gargitis, & propriis sanavit flumina membris.

Damascenus lib. IV. orthod. fid. cap. 10. *Tinctus est Christus, ut capita draconum in aqua contereret, ut peccatum obrueret, ac totum veterem hominem Adamum in aqua sepeliret.*

Levit. XVI. 32. ita quoque Christus hoc ipso expiationis die sacro baptismatis fonte lotus & Spiritus sancti oleo unctus, voce item Patris cœlitus delata gloria & majestate divina tanquam vestibus sacerdotalibus indutus, ingressus est in sanctum sanctorum; offerens se atque obligans æterno Patri ad peccatorum expiationem perficiendam. Eodem quoque die accepto baptismate a Spiritu sancto in desertum ductus est, omnium hominum peccata simul & semel sibi imponi passus, atque ita adimplevit figuram alterius illius capri, qui iniquitates populi in desertum portavit. Reusnerus in isag. chronolog. anno Christi 30.

Causæ secundariæ baptismi Christi.

§. CLXXXI. *Secundariæ* causæ possunt enumerari complures, utpote I.) Quod Christus ostendere voluerit se mergi in mortem propter peccata nostra, & nos quoque immergendos esse in mortem & sanguinem illius, ac cum eo sepeliendos, cumque ipso & per ipsum ex diluvio & procellis aquarum multarum, id est, peccatorum & pœnarum, præsertim calamitatum hujus vitæ acerbissimarum nobis emergendum esse, & ad vitæ novitatem ac gloriæ hæreditatem adspirandum. Matth. XX. 22. *Potestis baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* Luc. XII. 50. *Baptismo me oportet baptizari, & quam anxius sum, donec perficiatur?* II.) Quemadmodum Christus susceptа in corpore suo circumcisione ostendit, se esse caput ecclesiæ veteris testamenti, ita quoque baptismo suscepto ostendit, se esse caput ecclesiæ nov. test. & proinde utriusque populi salvatorem & Messiam. Ephes. II. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum.* v. 15. *Ut duos conderet in semet ipso in unum novum hominem.* III.) Voluit Christus exemplum humilitatis & reverentiæ erga divinas ordinationes nobis exhibere, præsertim vero baptismum Johannis hominibus tum viventibus & usum sacramentorum suo exemplo commendare. Augustinus lib. II. contra liter. Petil. cap. 101. *Christus non ideo venit baptizari, ut ejus abluveretur iniquitas, sed ut nobis humilitatis præberetur auctoritas.* Idem repetit tract. IV. & XIII. in Johan. in enchirid. cap. 49. (*) IV.) Baptizari voluit Christus, ut publico totius sacrosanctæ Trinitatis testimonio ordinatus, renunciatus & confirmatus in baptismo, non modo inchoaret ministerium nov. test. sed *totam sibi a toto confessu sacrosanctæ Trinitatis demandatam quasi provinciam œconomiæ secundum carnem rite administraret & absolveret*, ut loquitur Justinus de verit. relig. christ. V.) Quemadmodum summus sacerdos olim primum abluebatur aquis in labro æneo, ad ostium tabernaculi collocato, & postea indutus veste sacerdotali sistebatur in conspectu Domini; Exod XXXVIII. & XL. ita summus sacerdos nov. test. baptismo prius suscepto ministerium suum adgredi voluit. Ad inaugurationem summi sacerdotis accedebat etiam clangor tubarum & caput ejus oleo perfundebatur. Exod XXIX. 5. & seqq. Sic in baptismo Christi buccinæ instar fuit vox cœlitus delata; oleum fuit Spiritus sanctus super Christum descendens. Psal. XLV. 8. *Unxit te Deus oleo lætitiæ.* Et vox Patris cœlestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est*, optime conferri potest cum inscriptione, quæ laminæ sacerdotis vertici impositæ insculpta erat: *Sanctitas Domini, ut Dominus placetur ipsis.* Exod. XXVIII. 36. Quemadmodum *Josua in aqua Jordanis exaltari cœpit*; Jos. III. 7. ita Christus cœlestis Josua majestate & gloria cœlesti in aquis Jordanis magnificari cœpit, &c. Possunt hæc latius deduci.

§. CLXXXII.

(*) Idem epist. LVII. *baptizatus est, ut nostræ regenerationis sacramentum sua humilitate altius commendaret.* Alcuinus lib. II. in Joh. *Oportebat, ut baptizaretur Dominus, ne aliquis magna licet præditus gratia vel potestate contemneret baptizari.* Arator lib. II.

— — — Formam facit omnibus ad se
Currere fonte pio, sacram ne deserat undam
Ulterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum diluit amnem
Per famulum mergente Deo. — — — &c.
GERHARDUS.

§. CLXXXII. De adultorum baptismo etiam hæc quæruntur. I.) *An baptizandi sint amentes & furiosi?* Thomas p. III. q. 68. art. 12. & Bonaventura lib. IV. dist. 3. q. 1. distinctione respondent. Alii enim amentes & furiosi sunt *nati*, in quibus inde a nativitate nullus unquam adparuit usus rationis: alii sunt facti, qui cum antea *ratione* prædити fuissent, furiosi & amentes *evaserunt*. Priores, quod eorum eadem, quæ infantium ratio est, baptizandos judicant: posteriores vero tum demum baptizandos statuunt, si tum, quando ratione erant integra, voluntas in ipsis adparuit, baptismum suscipiendi: sin minus, non item, nisi forsan illius furoris luculenta sint intervalla, ut cum ad mentem redeunt, baptizari & instituiqueant. Idem statuitur c. Majores dist. 4. de consecrat. II.) *Num vero inviti baptizandi?* Quidam ex Scholasticis adfirmant. At qui invitus baptismum suscipit, gravissime peccat, jam vero in ipsa peccati actione nemo baptizandus. Aureolus lib. IV. sent. dist. 4. q. 1. addit, *consensum esse duplicem*, *verum* vel *interpretativum*, ac posteriorem hunc sufficere. Quid vero si minis ac pœnis coactus quis consentiat? respondet Bonaventura lib. IV. sent. dist. 4. artic. 2. q. 1. quod baptizandus sit & quod baptismi effectum suscipiat, cum voluntas coacta etiam sit voluntas, sed contrarium recte statuit Landulphus dist. ead. q. 1. cum Deo non placeant *coacta obsequia*. III.) *De Judæis* in specie quæritur, *an vi compellendi sint ad baptismum?* Scotus lib. IV. sent. dist. 4. statuit, quod per dominos suos compelli possint, pro quo facit textus in c. de Judæis dist. 45. &c. Majores de bapt. ubi commendatur ille rex, qui coëgit infideles baptizari. Sed est alius textus c. sicut Judæi de Judæis, qui prohibet compulsionem. Eos sic conciliant interpretes, ut priorem exponant de compulsione indirecta hoc sensu, quod Judæi oneribus civilibus cogendi & in servitutem redigendi sint, ut in eis oriatur voluntas se convertendi & baptismum suscipiendi. Judicamus ad verbi auditum, non autem ad baptismi susceptionem, Judæos cogendos esse, cum excommunicatis & illis, qui sunt extra ecclesiam, patet aditus ad verbi auditum, nequaquam vero ad sacramentorum usum, antequam hi nomen suum dent Christo, & ecclesiæ fidem amplectantur, illi vero Deo & ecclesiæ reconcilientur. IV.) *Dormienti etiam confervi posse baptismum*, statuit Emanuel a Sa in aphorismis, aphor. X. sed Thomas part. III. q. 68. art. 12. statuit contrarium. *Baptismus* (inquit) *non consuevit dari dormientibus*, & 1. 2. q. 113. artic. 1. negat per somnum consequi quemquam gratiam justificantem, per baptismum exterius adhibitum (*).

Aliæ quæstiones de baptismo adultorum.

1) *An amentes & furiosi baptizandi?*

2) *Num inviti baptizandi.*

3) *An Judæi vi compellendi sint ad baptismum?*

4) *An dormienti baptismus conferendus.*

§. CLXXXIII. Ab adultorum baptismo transimus ad baptismum *infantum*, quem vocant *pædobaptismum*. Ubi *primo* demonstrandum erit τὸ ὅτι, quod scilicet infantes baptizandi sint, *secundo* τὸ ποῖον, qui & quales infantes ad baptismum admittendi. Quod ad *priorem* quæstionem attinet, notum est, pædobaptismum superiori seculo oppugnari cœptum ab *Anabaptistis* (**), qui propter repu-

Pædobaptismus a quibus oppugnatus sit.

(*) Quoad infantes, nil prorsus refert, sive dormiant, sive non. Quoad adultos vero in iis & voluntas susceptionis baptismi & professio fidei requiritur, quorum neutrum in dormientes cadere potest. GERHARDVS.

(**) *Anabaptistæ* quidem communiter vocari solent ab iteratione baptismi in iis, qui semel tincti sunt. Desumta est hæc denominatio a voce græca ἀναβαπτίζειν, *rebaptizare*, siquidem ἀνὰ in compositione apud Græcos etiam significat *rursus*. Adpellantur quoque a nonnullis *Catabaptistæ* a καταβαπτισμω, *oppugnatione baptismi*, infantum scilicet, licet hocce nomine generalius designentur omnes baptismi contemtores, qui

repudiatum baptismum in infantili ætate susceptum, eundemque ætate jam adulta repetitum, eo nomine adpellantur, præsertim cum in hoc errore omnes conveniant, licet in aliis quam plurimis doctrinæ capitibus dissideant. Desierunt illi tandem invidiosa erroris istius infamia coacti

qui ejusdem in ecclesia christiana usum, qualis nunc est, vel plane nullum, vel indifferentem statuunt.

Exorta est hæc Anabaptistarum secta haud diu post feliciter inchoatam a b. LVTHERO sacrorum emendationem, primasque jam anno *MDXXII.* in Saxonia turbas dedit. Præcipui ejus auctores erant THOMAS MÜNZERVS, NICOL. STORCH, MARCVS STÜBNERVS, MARTIN. CELLARIVS, PFEIFFERVS quidam, exmonachus Præmonstratensis, aliique homines fanatici, divinas adparitiones ac visiones inepte jactantes.

Et ad MÜNZERVM quidem quod attinet, erat is aliquandiu concionator Alstettensis, sed ejectus mature propter motus fanaticos, Anabaptistarum partibus sese adsociavit, eorum demque ducem egit, unde & secta ista MÜNZERIANA dicta est. Primum quidem in terris Saxonicis res suas habuit MÜNZERVS, atque ibidem errorum suorum sparsit semina. Edidit quoque tum temporis varia scripta, interque ea tractatum germanico sermone conscriptum, hacque insignitum inscriptione: *Protestation und Entbietung*, quo in baptismum parvulorum magna stili acerbitate invectus est, eundemque *ein vielhisches Affenspiel*, adpellare haud dubitavit. Relicta deinceps Saxonia, magnam Germaniæ partem cum sociis suis peragravit, passimque adsecias invenit haud paucos. Tandem, reversus in Saxoniam, Mühlhusæ sedem suam fixit, ubi, a plebe adjutus, principatus potestatem ad se rapuit, atque, validissimo ex credula plebe, maxime agresti, coacto exercitu, anno *MDXXV.* ipsis principibus bellum intulit, magistratus omnes jam abolendos, solumque Christum in posterum regnaturum esse denuncians. Verum facili labore a Saxone, aliisque principibus copiæ istæ rebelles prope Franckenhusam fuerunt fusæ; ipse vero MÜNZERVS captus extremoque adfectus est supplicio. Uberiorem factionis hujus anabaptisticæ historiam suppeditant JOACH. CAMERARIVS, in *vita Melanchthonis p.* 44. *seqq.* edit. Lipsi. *MDLXVI.* JO. SLEIDANVS in *commentar. de statu relig. & reipubl. libr. V. p.* 108. *seqq.* LVCAS OSIANDER in *hist. ecclesiast. cent. XVI. libr. I. cap. XXXIX. p.* 106. *seqq.* & vel maxime SECKENDORFIVS in *histor. Lutheranismi, lib. I. sect. XLVIII. §.* 119. *sect. LXI. §.* 176. *p.* 304. & *libr. II. sect. IV. §.* 4. Scriptoribus hisce, præter alios, jungi meretur b. WEISMANNVS noster in *introd. in memorabilia ecclesiastica historiæ sacr. novitest. tom. I. p.* 1638. *seqq.* edit. novæ.

Nec prætermittendi heic sunt Anabaptistæ, ut vocantur, *Monasterienses*, quos nonnulli a *Münzerianis* distinguunt. Hi ex Batavia venientes, falsaque opinione de nova Christi in his terris civitate condenda occœcati, hominibus credulis persuadebant, beatam hanc ac cœlestem Hierosolymam *Monasterii* erigendam esse. Princeps factionis hujus fanaticæ auctor erat JOANNES LEIDENSIS, qui quam primum cum adsecis suis urbem hancce ingressus erat, baptismum infantum impugnare, eosque, qui jam olim fuerant tincti, rebaptizare ausus est. Tandem, ubi multos erroris sui atque impietatis socios nactus erat, amoto magistratu, ipsum urbis imperium, adsumto regis titulo, in se suscepit, civibusque novas leges, placitis sectæ suæ congruas præscripsit, in dissentientes vero crudeliter sæviit. Verum oppido tristis ac miserabilis fabulæ hujus fuit exitus. Urbe enim ab antistite Monasteriensi, eodemque domino, post longam obsidionem ann. *MDXXVI.* expugnata, ingens turbulentæ hujus factionis multitudo trucidata, ipseque rex atroci, prout meruerat, supplicio adfectus est. Plura de hac Anabaptistarum secta non addimus, sed lectores nostros ad eos ablegamus scriptores, qui ejusdem historiam copiosius enarrarunt, SLEIDANVM præcipue, *loc. cit. libr. X. p.* 248. OSIANDRVM *loc. cit. cent. XVI. libr. II. cap. XXXI. seqq. p.* 234. *seqq.* & ANTONIVM CORVINVM, qui Wittebergæ *MDXXXVI.* edidit *narrationem de miserabili Monasterienſium Anabaptistarum excidio*, quæ sæpius deinceps typis repetita in lucem publicam exiit, SCHARDIIque *scriptoribus rerum germanic. tom. II. p.* 314. inserta est. Alios hac de re auctores suppeditat CASP. SAGITTARIVS *introduct. in histor. ecclesiast. tom. I. p.* 537. & 835. Addi tamen meretur E. M. P. (h. e. ERNESTI MARTINI PLARRII) *specimen historiæ Anabaptistarum* ann. *MDCCI.* editum, *cap. X. XI. XII.* ubi & alii commemorantur scriptores heic consulendi.

coacti iterare baptismum, quod in apologia sua publice testati sunt Waldenses; remansit tamen sic nomen primitivum, ut, qui errore isto maxime repudiato in reliquis consentirent, Anabaptistarum adpellatione notarentur. Mylius in Augustana confess. artic. IX. part. 2. Porro adparet ex sermon. XIV. Augustini de verb. apost. jam olim pædobaptismum fuisse a quibusdam oppugnatum, cujus erroris etiam meminit Bernhardus sermon. LXVI. in can. & epist. CCXL. Cochlæus in actis Lutheri & Bellarminus lib. I. de bapt. cap. 8. Principem hujus hæreseos ex orco revocatæ statuunt Balthasarem Pacimontanum, Viennæ postea crematum, qui anno 1527. pædobaptismum oppugnare cœperit, (quem errorem *ex Lutheri scriptis ipsum collegisse* Cochlæus & Bellarminus mentiuntur, cum publicis scriptis Lutherus eundem oppugnaverit. Vide epistolam Lutheri ad duos pastores de anabaptismo tom. IV. Jenens. german. fol. 407. fac. 2.) sed Philippus Melanchthon in comm. epist. ad Coloss. testatur, a Carolstadio primum in his regionibus baptismum infantum improbatum esse, unde *Anabaptistarum pater* ab Erasmo, Albero & aliis statuitur. Sleidanus libr. III. comm. ann. 1522. scribit, Carolstadium laudasse Anabaptistarum sententiam. Nec abeunt a veritatis tramite, qui in propagatione hujus erroris non postremas Zwinglio tribuunt, cum in lib. de baptism. conclus. XVIII. scribat: *melius esse, ut infantes tum primum baptizentur, cum adulti fuerint, & pueros primum docendos, ac ita demum baptizandos:* unde Pacimontanus in libello Mulspurgi in Pannonia edito se syngraphum Zwinglii habere testatus est, qua infantum baptismum dissuasit, quod Eccius contra Zwinglii confess. recitat: inde etiam quidam Anabaptistarum adjuravit Zwinglium in disp. tertia Tigurina anno 1525. ut sibi veritatem diceret, *sitne pædobaptismus ex Deo, nec ne?* Menno Simonis (*) in fundam. fol. 55. nugatur, *ne minimum quidem jota in scripturis in-*

(*) De Mennone Simonis, cujus supra meminit Gerhardus, paucis notamus, eundem gente fuisse Frisium, atque, relicto, quod antea inter pontificios gesserat, munere sacro, ad *Anabaptistas* transiisse, doctorisque inter eos officium gessisse, quin sectæ hujus ad nostram usque ætatem florentis parentem haud immerito dici posse. Unde & ab eodem *Mennonitæ*, vulgo *das Taufgesinde*, hodienum in Belgio adpellantur. Habemus vitam hujus Mennonis ab ipso auctore conscriptam, & ab Hermanno Schyn in *historiæ Mennonitarum pleniori deductione cap. V.* exhibitam. Quod vero ad doctrinam eorum attinet, ea omnium optime ex eorum confessionibus hauriri potest, de quibus hic ipse Schyn *loc. cit. cap. III. & IV.* inspici meretur. Conferenda *historia Mennonitarum* a Joach. Christiano Jehringio edita, quæ ex belgica lingua in germanicam translata hac insignita inscriptione prodiit: *gründliche Historie von denen Begebenheiten, Streitigkeiten und Trennungen, so unter den Taufgesinneten oder Mennonisten, von ihrem Ursprung an, bis aufs Jahr 1615. vorgegangen.* Certum equidem est, Mennonem ejusdemque sectatores somniis ac deliriis fanaticis priorum Anabaptistarum nuncium mississe, doctrinamque suam theologicam reddidisse politiorem. Verum placita reliquorum Anabaptistarum, tum de pædobaptismo, tum de quibusdam aliis religionis christianæ capitibus, non abjecerunt, sed in hunc usque diem retinuerunt. Ipse Herm. Schyn, supra a nobis excitatus, qui causam hujus sectæ recentiori hoc ævo propugnandam in se suscepit, ea, quibus Mennonitæ se ab omnibus aliis christianorum cœtibus distinguunt, ad quatuor hæc capita revocat: 1) de baptismo; 2) de officio magistratus politici; 3) de juramentis, & denique 4) de gerendo bello, seu vindicta privata.

Quod speciatim ad *baptismum*, de quo unice heic sermo nobis est, attinet, *Mennonitæ* in eo cum *prioribus Anabaptistis* prorsus consentiunt, quod parvulorum baptismum damnant, obtendentes, eundem esse inversionem ordinis divinitus instituti, esse abusum sacramenti insignem, idolum abominandum, signum externum sine re significata, atque adeo ritum inanissimum. Evolvat, qui cogitata horum fanaticorum penitius nosse voluerit, ipsius Mennonis, a quo hæc secta nomen accepit, librum *fundamenti*, sive *de fundamento religionis christianæ*, ex quo Gerhardus nonnulla loca supra recitavit. Conferri etiam possunt *acta colloquiorum* cum Anabaptistis institutorum,

inveniri posse, quo pædobaptismata defendantur, ideo statuit f. 40. *baptismum infantum esse*

rum, *Embdani* & *Franckenthalensis*, *art. XII. sess. XXXII. f.* 566. itemque *confessio* eorum publica, FAVKELIO opposita, *fol.* 263. 278. Jungendi denique scriptores Belgæ, Mennonitarum partibus addicti, qui in confutando pædobaptismo studium suum operamque collocarunt. Principem inter eos locum obtinet ANTON. VAN DALE in *historia baptismorum, tum judaicorum, tum christianorum &c. dissertationi* ejus *super Aristea de LXX. interpretibus*, Amstelodami *MDCCV.* editæ subnexa; quam vero in peculiari dissertatione *de pædobaptismo* Jenæ *MDCCVII.* sub præsidio b. BVDDEI defensa confutavit PHILIPP. GODOFR. HARDER, Augustanus. Huic adlatus poni meretur ANGELVS ARNOLDI A DOOREGEEST, vir haud indoctus verbique divini quondam præco in celebri pago *de Ryp*, qui ann. *MDCXCII.* suam *catechesin* secundum Mennonitarum confessionem edidit, in cujus *cap. XV.* copiose probare adnisus est, ad subjecta baptismi infantes neutiquam spectare. Nec prætermittendus est HERMANN. SCHYN, quem sæpius jam adlegavimus. Erat is artis medendi apud Amstelodamenses magister, verbique divini in ecclesia sub signo solis minister, ediditque *historiam Mennonitarum*, supra jam a nobis excitatam, in cujus *cap. III.* & *IV.* sententiam Mennonitarum de baptismo adstruere, argumentaque pro pædobaptismo militantia refellere adlaboravit.

Jam vero ubi de *Anabaptistis* itemque *Mennonitis* nonnulla heic disserimus, non possumus non hac ipsa occasione *Baptistarum* quoque heic injicere mentionem. Longe probabilissimum est, eos ab *Anabaptistis* Germanis ac Batavis suam ducere originem, atque eadem olim adoptasse dogmata, quæ *Mennonitas* a reliquis christianorum cœtibus distinguunt. Verum hodie in multis rebus a Mennonitis differunt, nihilque fere cum iis commune habent, si ab hoc uno discesseris, quod pædobaptismum prorsus rejiciunt, nec nisi adultos sacro fonte tingendos, quin totos in aquam immergendos esse, statuunt. Malunt isti *Baptistarum*, quam *Anabaptistarum* nomine designari, inque Anglia cumprimis, itemque in nonnullis Americæ provinciis, quæ Britannorum parent imperio, hodienum commorantur. Legenda, quæ de iis adnotarunt b. cancellarius MOSHEMIVS in *institut. hist. eccles. p.* 805. nec non ven. CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIVS in *compendio histor. ecclesiast. recentissimæ p.* 230. ubi & præcipui auctores, qui de hac secta studiose egerunt, enarrantur.

Cæterum id quoque notandum heic venit, non solos *Anabaptistas*, quos justo ordine heic recensuimus, sed alios quoque tum antiquiori, tum recentiori ævo baptismum parvulorum vel prorsus rejecisse, vel saltim de ejusdem origine minus recte sensisse.

Ex antiquioribus quidem temporibus commemorandus nobis hic inprimis est WALAFRIDVS STRABO, seculo IX. clarus, qui baptismum infantum in ecclesia antiquiore in usu fuisse, disertis verbis negavit. In libro enim *de rebus ecclesiast. cap. XXVI.* sequentem in modum scripsit: *Notandum deinde, primis temporibus illis solummodo baptismi gratiam dari solitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire & intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum: quid confitendum atque credendum: quid postremo in renatis in Christo esset servandum.* Hujus vestigia seculo XI. secuti sunt alii, qui baptismum parvulorum plane improbarunt, BRVNO cumprimis, Andegavensis episcopus, ejusdemque archi-diaconus BERENGARIVS, si quidem GVITMVNDO, episcopo Aversano, atque DVRANDO fides habenda. Idem seculo subsequenti *XII* fecerunt *Petrobrusiani*, a doctore suo, PETRO BRVSIO, ecclesiæ presbytero, ita nuncupati, interque alia statuentes, homines non ante rationis usum baptismo tingi debere, teste PETRO Cluniacensi, qui & *abbas venerabilis* dictus est, ac binas conscripsit epistolas, in quibus errorem hunc refert atque refellit. *Waldenses* etiam, qui eodem seculo magnam sibi celebritatem pepererunt, a pædobaptismo alienos fuisse, historiographi ecclesiastici dubitare nos non sinunt. Idem & de *Wiclefitis*, a Jo. WICLEFO, natione Anglo, seculo XIV. claro, ita nuncupatis, pronunciandum esse, ostendit LIMBORCHIVS in *historia inquisitionis*.

Nec seculo reformationis defuerunt, qui pædobaptismo divinam originem usumque apostolicum prorsus denegarunt. Ex iis, qui hoc fecerunt, primo loco nominandi heic veniunt Jo. LVDOV. VIVES itemque DESIDERIVS ERASMVS, quorum ille in *adnot. in Augustini libr. I. de civitate Dei cap. XXVII.* pronun-

esse idololatricum f. 50. & seqq. esse ex dracone & bestia, nec aliud quam ceremoniam Antichristi. Lucas Sternbergerus pædobaptismum adpellat *satanicam institutionem.* Lutherus

nunciare haud dubitavit, *olim neminem admotum fuisse sacro baptisterio, nisi adulta jam ætate, & quum idem ipse & sciret, quid sibi mystica illa aqua vellet, & se illa ablui peteret, nec semel peteret;* hic vero in *epistola*, quam cum aliis edidit PAVLVS MERVLA, an. *MDCVII.* in eandem ingressus est sententiam. Hos postea subsecuti sunt non tantum *Anabaptistæ*, de quibus supra abunde diximus, sed & SOCINI sectatores. Licet enim hi pædobaptismum haud penitus reprobaverint, eundem tamen necessarium, aut in scripturis fundatum esse pernegarunt, quin eundem subinde profano ausu irridere haud dubitarunt. Ita enim scribit SMALCIVS *libr. contr. Franz. p.* 310. *Etiamsi tandem Christus præcepisset aqua baptizare, nimis tamen puerile esset, puerorum baptismum Christo adscribere.* Itemque *p.* 321. *Infantes recens natos discipulos Christi fieri, tam est credibile, quam psittacos ac reliquas aves.* Atque SLICHTINGIVS libr. *de trinitate contra Meisnerum f.* 847. ait: *Error est* (pædobaptismus) *isque sat gravis, præsertim, si infantum baptismus ad salutem necessarius esse statuatur.* Disputat quoque contra pædobaptismum WOLZOGENIVS in *adnotat. ad loc. Matth. XXVIII.* 19. *tom. I. oper. f.* 448. ac tandem hæc subjicit verba: *Hinc perspicuum est, baptismum solum, absque prævia prædicatione evangelii, per quam fides prædicatur, non esse sufficiens medium, ut quis fiat Christi discipulus, & ecclesiæ ipsius membrum: atque adeo pædobaptismum esse rem nullius momenti.* Exstat quoque ipsius FAVSTI SOCINI disputatio *de baptismo aquæ*, Racov. *MDCXIII.* typis exscripta, qua aliis persuadere adnititur, baptismi usum nobis divinitus præscriptum haud esse, sed ab apostolis libere usurpatum, neque ad infantes extendendum. Ut de ministris Transsylvanis, SOCINI partibus addictis, qui, ut supra observavit GERHARDVS, magna argumentorum copia contra baptismum parvulorum insurrexerunt, in rerum præsentia taceamus.

Socinianis haud immerito ad latus ponimus JAC. ARMINII discipulos, qui in Belgio *Remonstrantium* nomine veniunt. Quem admodum enim ii generatim de sacramentis haud magnifice sentiunt, ita speciatim de baptismo docent, eundem minus esse necessarium, nec in divinis litteris præceptum, præsertim quod ad parvulos attinet. Ita sentit HVGO GROTIVS tum in *discussione apologetici Rivetiani, oper. tom. IV. p.* 698. tum in *epistola ad Gallos p.* 418. Adstipulatur eidem SIMON EPISCOPIVS, qui *oper. tom. II. f.* 438. suam hac de re mentem ita exponit: *Qui infantes statuunt baptizandos esse ex vi præcepti alicujus, aut quia semen fidei in ipsis est, ii videant, quo modo se tueantur. Nobis illud incertum; hoc vero ineptum videtur.* STEPHANVS QUOQUE CVRCELLÆVS pædobaptismum *sine Christi mandato* esse introductum, neque ante seculum III. in christianorum cœtibus usurpatum, diserte verbis docet in dissertat. *de peccato originis, contra Maresi.* § 56. *oper. f.* 912. eorum vero sententiam, qui per baptismum fidem in infantibus recens natis produci statuunt, ut absurdam exsibilat, tandemque eousque progreditur, ut hominem absque fide salvari posse, audacter pronunciet. Vid. ejusdem *institut. relig. christ. libr. VII. cap. VIII. oper. f.* 408. Uberius tamen clariusque Arminianorum de hoc argumento sententiam edisserit PHIL. LIMBORCHIVS *libr. V. theolog. christianæ cap. LXVIII.* ubi non solum virtutem, sed & necessitatem pædobaptismi multis rationibus in medium adductis convellere adnititur. Rectiora tamen hac de re tradit ADRIANVS A CATTENBVRGH, illius in cathedra theologica successor, qui in *spicilegio theol. christian.* PHIL. A LIMBORCH *cap. LXV. f.* 1059. complura pro usu pædobaptismi in medium adducit argumenta, objectionesque dissentientium confutat.

Nec omittendi hic sunt QVAKERI, quorum familia, æque ac illa *Arminianorum* seu *Remonstrantium*, ex reformatæ ecclesiæ sinu, infelici matris fato, superiori seculo prodiit. Constat, eos, qui huic sectæ sunt addicti, res externas, veluti umbras, in negotio religionis simpliciter repudiare, adeoque nec novos cives suos sacro fonte tingere. Baptismo itaque in totum, tum quoad infantes, tum quoad adultos, e medio sublato, sola *interna*, ut vocant, *ablutione*, quæ fit per semen spirituale, immediate intrinsecus suscitatum, sunt contenti, docentque, baptismum illum *externum* cum baptismo Joannis cessasse penitusque evanuisse. Hancce sententiam ROBERTVS BARCLAJVS, prin-

therus epist. de anabaptist. tom. IV. Jen. germ. f. 420. ex anabaptisticis convitiis contra baptismum recensetet hæc verba: *Die Taufe ist ein Hundsbad, und die Täufer sind falsche und bübische Badknechte.* Transylvani ministri, qui anno 1567. duos libros contra Trinitatem ediderunt, in calce eorum librorum 36. argumenta contra baptismum parvulorum formant, quæ nunquam solide refellere possunt, qui ex Calvini discipulis hasce cum Anabaptistis communes tenent hypotheses: 1) *Infantes nasci sanctos a fidelibus parentibus.* 2) *Non cadere in infantes fidem.* Vide colloq. Franckenthal. art. XII. actione 31. pag. 631. & seqq. Quid enim respondebunt syllogismo huic anabaptistico: Omne sacramentum sine fide utentis est inanis ceremonia. Pædobaptismus est sacramentum sine fide utentis. Ergo pædobaptismus est inanis ceremonia. Utramque præmissarum concedit Calvinianus (*), nec in forma sive dispositione vitium potest ostendere: quomodo igitur resistet conclusioni? ita Mentzerus colligit in collat. priore doctrinæ Calv. cum Aug. confess. art. 9. circa finem.

Bellarminus Ludovico Vivi & Erasmo tribuit, quod oblique pædobaptismum oppugnent.

§. CLXXXIV. Præter hos hæreticos duo auctores oblique pædobaptismum oppugnare videntur Bellarmino l. d. *Erasmus enim in præfatione paraphraseos in Matth. docuit, homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse, an habeant ratum, quod ipsorum nomine in baptismo promissum est; & si ratum non habeant, esse liberos dimittendos.* Ludovicus Vives annot. in cap. 27. lib. I. de civ. Dei dicit, *olim nemuem consuevisse baptizari nisi adulta ætate, & qui per se petevet baptismum, & intelligeret, quid sit baptizari.* *Resp.* Erasmus in præfatione illa diserte profitetur, se plurimum dissentire ab iis, qui laicos & illiteratos in totum putant submovendos a lectione sacrorum voluminum; improbat sententiam eorum, qui piaculum arbitrantur, si sacri libri vertantur in linguam gallicam aut britannicam: vellicat eos, qui sub Christi prætextu regnum mundanum tenent: sacerdotibus magna ex parte imputandum adserit, quod tam multos habeamus christianos adeo rudes, ut non multo plus teneant sapientiæ christianæ, quam ii, qui sunt a christiana religione alieniissimi: detestatur eos, qui populum ineptis, nonnunquam & obscœnis jocis in feriis paschalibus ad cachinnos concitant: conqueritur, nos titulo, consuetudinibus, ceremoniis, christianos esse magis, quam ex animo &c. Hoc ulcus tangi Bellarminus ægre tulit, ideo anabaptisticæ hæreseos maculam Erasmo adspergere voluit, a qua tamen alienus est, ut ex ipsis verbis liquet, quæ sic habent: *Illud mihi videtur non mediocriter conducturum, si pueri baptizati, cum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur hujusmodi concionibus adesse, in quibus illis dilucide declaretur, quid in se contineat professio baptismi: deinde diligenter privatim examinentur a probis viris, satisne teneant ac memi-*

princeps inter Quakeros atque omnium eruditissimus, in *thesibus* suis *theologicis*, latine ac belgice Amstelodami *MDCLXXV.* editis, *thes. XII.* itemque in *theologiæ vere christianæ apologia*, primum anglice scripta, postea latine reddita, §. *III. seqq.* conquisitis undique rationibus stabilire adlaboravit. Licet vero, ut modo adnotavimus, Quakeri infantes non baptizent, illud tamen consuetudine inter eos receptum est, ut natos ex se liberos ad cœtuum suorum præsides deferant, eorumque nomina albo cuidam inscribi curent; observante Frid. Ernest. Meisio in dem *Entwurf der Quaker Kirchen Ordnung und Gebræuche*, qui liber Lipsiæ *MDCCXV.* 8. in lucem publicam prodiit.

(*) Calvinus lib. IV. instit. c. 15. sect. 15. *Ex hoc* (baptismi) *sacramento quemadmodum ex omnibus aliis nihil adsequimur, nisi quantum fide accipimus, si fides desit, erit in testimonium ingratitudinis nostræ, quo rei coram Deo peragamur; quia promissioni illic datæ incredduli fuerimus.* David. Pæus in comment. epist. Rom. p. 400. *Sacramenta non nisi conversione & fide fieri debent, secus sigilla justitiæ esse cessant. Quid enim non habentibus fidem & justitiam signarent?* Gerhardus.

meminerint ea, quæ docuit sacerdos? Si comperiantur satis tenere, intervogentur, ratumne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo? Si respondeant se ratum habere, tum publice renovetur ea professio simul congregatis æqualibus, idque cæremonus gravibus, aptis, castis, seriis ac magnificis, quæque deceant eam professionem, qua nulla potest esse sanctior &c. Ita fiet, ut adolescentes intelligant, quid principi suo præstare debeant, & quibus studiis eniti ad veram pietatem: & interim majoribus etiam succurret, quot modis a votis suis exorbitarint &c. Verum hic geminus exsistet scrupulus, primum quod videatur iterari baptismus, id quod fas non est: deinde quod periculum sit, ne quidam audita professione non adprobent, quod gestum est per vicarios: prior ille facile discutitur, si hæc sic gerantur, ut nihil aliud sint, quam instauratio ac repræsentatio quædam pristini baptismi &c. Posterioris difficilior est solutio: sed omnia tentanda sunt, ne quis resiliat a prima fide, quod si non potest obtineri, fortassis expediet illum non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat, nec ad aliam interim vocari pœnam, nisi ut ab eucharistia sumenda, reliquisque sacramentis arceatur, cæterum nec a sacris, nec a conciombus excludatur &c. Hæc omnia Erasmus, quæ nullam præbent anabaptistici erroris suspicionem (*). Quod Ludovicum Vivem attinet, is

(*) Licet duumviri isti Erasmvs ac Lvd. Vives, baptismum parvulorum haud penitus rejecerint, atque hoc respectu a suspicione erroris Anabaptistici jure meritoque absolvantur; in eo tamen a recto veritatis tramite deviarunt, atque ad Anabaptistarum errorem veluti viam straverunt, quod negarunt, pædobaptismum divinam habere originem, ævoque apostolorum nec non temporibus eorum ætati proximis in usu fuisse, prout in præcedenti nota jam observavimus. Idem pronunciandum de Hvgone Grotio, *Arminianorum, seu Remonstrantium* partibus addicto, de quo itidem supra jam nonnulla diximus. Nec hi soli sententiam hanc amplexi sunt; sed etiam alii eidem adsuplulari haud dubitarunt. Ita Clavdivs Salmasivs *libr. de transsubstantiatione*, quem sub nomine Simplicii Verini edidit, *p.* 495 disertis verbis pronunciat: *primis duobus seculis nemo baptismum accipiebat, nisi qui in fide instructus & doctrina Christi imbutus testari posset, se credere, propter illa verba: qui crediderit & baptizatus fuerit. Ergo prius erat credere.* Ita & Pavlvs Colomesivs, postquam verba Christi: ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται *Marc. XVI.* 16. recitasset, illustrationis caussa hæc subjungit verba: *hinc non immerito colligas, solos adultos baptismi esse capaces.* Vid. ejus *observat. sacr. p.* 130. *seqq.* Hisce addendi omnino sunt Godofr. Arnoldvs, Petr. Poiretvs, & Gvil. Whistonvs, scriptor Anglus. Arnoldvs quidem in enarratione rituum ecclesiasticorum seculi post Christum natum tertii suam de origine & usu pædobaptismi per duo priora secula sententiam hisce verbis edisserit: *Man gab das Abendmahl denen kleinen Kindern, welches ohne Zweifel mit ihrer Taufe zugleich erdacht ward.* Vid. ejusdem *Kirchen- und Kezer-Historie, part. I. libr. III. cap. V. §.* 15. Confutarunt vero eundem duumviri doctissimi Ernest Salom. Cyprianvs, theologus quondam Gothanus, in *historia pædobaptismi, MDCCV.* edita, atque Jo. Frid. Mayervs, theologus olim Gryphiswaldensis in *dissertat. de pædobaptismo apostolor. temporibus coævo MDCCVIII.* habita. Poiretvs vero in *œconom. div. libr. IV. cap. V.* ex baptismo nudam facere videtur cærimoniam, ipsumque pædobaptismum recentiorem sapere originem, haud obscure docet, etsi aperte id adfirmare nolit. Vid. ejus *œconom. divin. libr. IV. cap. V.* Denique quod ad Whistonvm attinet, is, ut in aliis maximi momenti articulis, ita & in doctrina de pædobaptismo suum a recepta inter christianos doctrina dissensum publice testatus est in peculiari libello, hac insignito inscriptione: *primitive Infant Baptism revived*, qui Londini an. *MDCCXII.* in lucem publicam prodiit. In eo enim partim ex oraculis scripturæ sacræ, partim vero ex scriptoribus ecclesiasticis comprobare voluit, per infantes christiani baptismi capaces, non ejusmodi homines intelligendos esse, qui paucorum dierum ac mensium ætatem habeant; sed qui catecheticæ institutionis ante baptismum sint capaces, atque ad Cypriani præcipue ætatem consuetudinem baptizandi parvulos, in christianorum cœtu stabilitam, referendam esse censet.

In Germania nostra ii maxime, qui secessionem ab ecclesia nostra evangelica, separatasque sibi

is habet ea, quæ Bellarminus ipsi tribuit, videlicet *olim neminem admotum fuisse sacro baptisterio, nisi adulta jam aetate, & cum idem ipse & sciret, quid peteret, quid sibi mystica illa aqua vellet, & se illa ablui peteret*: sed addit, *audire se in quibusdam Italiae urbibus morem veterem magna ex parte adhuc conservari*, quæ verba Bellarminus omisit, quo consilio, non est obscurum: an vera Ludovicus Vives retulerit, Bellarmino, utpote Italo, probe constitit.

Bellarminus pædobaptismum ex scripturis propugnans sibi ipsi contradicit.

§. CLXXXV. Notandum hoc loco, quod Bellarminus lib. I. de bapt. cap. 8. tria argumenta ex scripturis pro confirmatione pædobaptismi proferat, quorum *primum* ex figura circumcisionis, *secundum* ex duobus locis evangelii simul junctis. Joh. III. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Marc. X. *Sinite parvulos ad me venire; tertium* ex praxi apostolorum integras familias baptizantium colligi adserit. Eccius in enchirid. cap. 30. quatuor ex scripturis adfert argumenta pro pædobaptismo. Eundem ex scripturis demonstrare nititur Franc. Suarez, tom. IV. in Thomam fol. 255. Addatur Costerus in augm. euchirid. p. 74. Gregorius de Valent. libr. de bapt. cap. 1. §. 3. urget argumentum ex cap. V. Ephes. Qui potest esse membrum ecclesiæ, potest esse particeps baptismi. Jam vero parvulos pertinere ad corpus Christi probat ex cap. II. Joel. Catechismus Trid. part. II. tract. de bapt. deducit pædobaptismum ex figura circumcisionis. Quin imo ipse pontifex, quem ab omni erroris periculo immunem adserunt, Innocentius III. c. majores libr. 3. decretal. tit. 42. ex sacris literis baptismum parvulorum confirmare nititur; cur ergo (malum) & Bellarminus & alii scripturæ imperfectionem ex hoc capite probare satagunt, quod pædobaptismus ex ea demonstrari nequeat? Bellarminus libr. IV. de verbo Dei cap. 4. *Baptisma infantum contra Anabaptistas ex scripturis Lutherani probare non possunt, Catholici non solent* (*).

§. CLXXXVI.

sibi communiones fecere, *Separatistarum* nomine vulgo insigniti, baptismum infantum penitus proscribendum esse censuerunt. Vid. de iis ven. I. G. WALCHII *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangelisch lutherischen Kirche, part. I. p. 881. seqq.*

Speciatim JO. CONR. DIPPELIUS, famosissimus nostri seculi fanaticus, heic nobis est commemorandus. Is enim sub ficto CHRISTIANI DEMOCRITI nomine varia edidit scripta, interque illa libellum, cui titulus: *die wahre Wassertaufe der Christen*, ubi pædobaptismum non solum scripturæ sacræ ignotum, sed & eidem contrarium esse, evincere conatus est. Refutarunt vero eundem JO. CHRIST. SCHAPERUS, superintendens quondam Gustrovensis & FRANCISC. ALBERT. ÆPINUS, academiæ Rostochiensis quondam theologus; ille quidem in peculiari dissertatione sub præsidio b. FECHTII ann. *MDCCXIV.* habita, quæ inscribitur: *de necessitate baptismi sacrosancti, contra fanaticos recentiores*; hic vero in *manalogia fanatica, cap. X. thes. VII. pag. 395. seqq.*

Spectat huc quoque AUCTOR ille *der unschuldigen Wahrheiten*, pædobaptismo maxime inimicus atque infensus. Vid. præter alia loca *parte X. p. 981. seqq.* ubi infantum baptismum penitus reiicit, lectoribusque persuadere adnititur, quod ille in cœtibus christianorum seculo post Christum natum secundo tempore TERTULLIANI adhiberi cœperit.

Nec prætermittendus heic est JO. MICH. VON LOËN, qui in libro satis noto ann. *MDCCL.* edito, cui index: *die einzige wahre Religion, part. II. §. IX-XI.* receptam ecclesiæ nostræ de pædobaptismo doctrinam impugnavit, refutatus eapropter a ven. IO. IAC. PLITTIO in commentatione, *daß die Kinder-Taufe in der heiligen Schrifft befohlen und in der ersten christlichen Kirche üblich gewesen*, Casellis *MDCCLII.* luci publicæ exposita.

Ut alios scriptores, pædobaptismo inimicos, in rerum præsentia taceamus.

(*) Acta colloquii Ratisbon. p. 133. fac. b. Monachii excusa: *pædobaptismus non potest ex scripturis demonstrari.* GERHARDUS.

Argumenta pro pædobaptismo. 1.) Ex universali Christi mandato: Baptizate omnes gentes.

§. CLXXXVI. Dicimus ergo, baptismum parvulorum sequentibus confirmari argumentis (*): I.) Ex *universali mandato* Christi in baptismi institutione. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos.* Particula universalis *omnes* manifeste probat, citra discrimen populi, sexus ac ætatis (**) baptismum conferendum esse, ideoque cum parentes nomen suum dant Christo, etiam liberos eorum baptizandos & Christo inserendos esse, quod confirmat praxis apostolorum, *integras familias baptizantium* (***). Act. XVI. & a Judæis alias baptizarentur. „ Quemadmodum si in terras, a barbaris quæ colun„ tur, mittatur ex nostris doctor quispiam, „ ipsique iniungatur: abi & converte hos po„ pulos, eosque in doctrina christiana insti„ tue & baptiza, is aliter hoc mandatum ex„ plicare haud possit, quam ita, ut, quamvis „ infantes heic non nominentur, eos tamen „ pro more recepto sine ullo dubio a se etiam „ baptizandos esse existimet „. Prout recte observat b. cancell. PFAFFIUS in *origin. iuris eccleſiaſt. p. 79.* edit. novæ. Patet ex his, baptismum christianorum ex celebri proselytorum baptismo, apud Judæos olim usitato, plurimum illustrari posse, doctrinamque nostram de pædobaptismo exinde novum accipere robur.

Sunt vero præterea in præcepto baptizandi generali *Matth. XXVIII. 19, 20.* si tantisper abstrahamus a baptismo proselytorum Judæorum, alia, ex quibus pariter colligere licet, intentionem servatoris fuisse, ipsos quoque infantes esse baptizandos. Baptizari enim iubentur παντα τα εθνη, *omnes gentes*, verbis profecto latissimis, quibus nullum vel sexus, vel ætatis discrimen designatur. Eandem generalitatem habet πασα κτισις. Hæc quippe loquendi formula *omnes* denotat *homines*, siquidem κτισις κατ' εξοχην de hominibus usurpatur, licet in loco hoc modo adlegato diserta baptismi mentio haud iniiciatur. Iam vero is, qui præcipit, *omnes gentes*, sive *omnes homines* baptizari, is etiam præcipit, baptizari infantes.

Nec abs re est, quod servator Christus ad eos sermonem suum heic direxit, quibus satis superque notum erat, ipsos etiam infantes, mediante *circumcisione*, in fœdus divinum hucusque fuisse receptos. Inde enim facile colligere poterant, non solos adultos, sed & eorum liberos vocabulo *gentium* & *creaturæ* comprehendi. Unde recte observarunt theologi orthodoxi, si hoc a mente servatoris fuisset alienum, debuisse parvulos nominatim distincteque excipi potius, quam speciali mentione includi.

(*) Fundamenta nostra pædobaptismi breviter hæc sunt 1.) *a* communi peccati contagio & hinc orta baptismi necessitate Joh. III. 5. confer 1 Cor. XV. 50. 2.) *a* Dei universali & benevola voluntate 1 Tim. II. 4. 2 Petri III. 9. Matth. XVIII. 14. 3.) *a* vocatione parvulorum, Matth. XIX. 14. Marc. X. 15. quos Lucas vocat τα βρεφη cap. XVIII. 15. conf. Marc. X. 16. 4.) *a* consociatione infantum cum ecclesia Eph. V. 26. 5.) *a* divinis promissionibus Gen. XVII. 7. Rom. IX 8. Act. II. 38. 39. 6.) *a* generali mandato Christi Matth. XXVIII. 19. 7.) *ab* amplitudine sacramentorum, quæ sunt bona totius ecclesiæ. 8.) *a* fine & effectu baptismi, quorum infantes participes fieri debent. 9.) *ab* omnis impedimenti absentia, a.) ex parte Dei, Matth. XVIII. 14. b.) ex parte ministri, c.) ex parte sacramenti, d.) ex parte suscipientis. Luc. I. 41. 10.) *a* circumcisione, baptismi typo Col. II. 11. Hebr. IX. 11. conf. 1 Cor. X. 2. Exod. XII. 37. 1 Petr. III. 21. 11.) *a* vaticinio Esaiæ XLIX. 22. 12.) *ab* exemplo apostolorum Act. XVI. 15. 33. XVIII. 8. 1 Cor. I. 16. 13.) *a* testimoniis veterum & praxi ecclesiæ. GERHARDUS.

(**) Qui cum CARPZOVIO, SPENERO, WITSIO, DANZIO aliisque originem baptismi christianorum, *materialiter*, ut in scholis loquuntur, spectati, ex baptismo proselytorum apud Judæos olim usitato derivant, hoc quoque inter alia observant, Judæos omnes infantes expositos, vel in bello captos olim baptizasse. Constat sane hoc tum ex codice talmudico, tum ex MAIMONIDE aliisque rituum ebraicorum scriptoribus, prout luculenter commonstrarunt IO. LIGHTFOOTUS, *horis ebr. & talmud.* ad *Matth. III. 6. tom. II. oper. p. 266.* CAMP. VITRINGA *observat. sacrar. libr. II. cap. VI. p. 306.* aliique. Hoc si supponamus, sponte consequitur, apostolos mandatum servatoris de baptizandis *omnibus* gentibus, quod exstat *Matth. XXVIII. 19, 20.* aliter exponere haud potuisse, quam hac ratione, ut *omnes homines*, adeoque & *infantes*, sub hac universalitate comprehenderent, utpote qui

(***) Fatendum equidem est, ex exemplis illis, quæ supra adduxit GERHARDUS, nullum argu

Exceptio Anabaptistarum.

XVI. 15. 31. 33. XVIII. 8. 1 Cor. I. 16. Excipiunt Anabaptistæ: *Mandatum esse, ut prius doceamus, postea baptizemus: prius ergo infantes docendos esse, quam baptizandos.* Resp. Ablegat Christus discipulos suos ad gentes, quibus nihil quidquam de baptismo constabat; utique ergo institutio & informatio præmitti debebat: sed quando parentes de baptismo recte instituti eundem susceperunt, etiam liberos eorum baptizandos esse, exemplum apostolorum manifeste probat (*); ac proinde distinguendum est inter ecclesiam *constitutam* & *constituendam*, uti & inter *adultos* ac *infantes*. In ecclesia *constituenda* adulti prius docendi, quam baptizandi; sed in ecclesia jamdudum *constituta* infantes christianorum prius baptizandi, quam docendi. Declarari hoc potest ex sacramento circumcisionis, quæ fuit figura baptismi. Cum Gen. XVII. 10. omnes familiæ suæ masculos Abrahamus vi mandati divini circumcideret, adultos dubio procul de hac ceremonia prius instituit, sed cum Isaac ipsi nasceretur, non exspectat annos discretionis in ipso, sed octavo statim die eundem circumcidit Gen. XXI. 4. Adde quod in græco textu habeatur vocabulum μαθητεύσατε, *discipulos facite* (**), id quod fit non solum prædicatione verbi in adultis, sed etiam administratione baptismi, qui est sacramentum initiationis & primus in ecclesiam introitus in infantibus; unde hæc duo media in verbis Christi postea exprimuntur. *Discipulos facite*, vel ecclesiam mihi colligite, primo *baptizantes*, secundo *docentes servare*, *quae ego*

argumentum, quod certitudinem secum vehat, pro pædobaptismo desumi posse, cum dubium sit atque incertum, num in familiis istis, quæ ab apostolis baptizatæ dicuntur, exstiterint quoque infantes; dari enim familias infantibus destitutas, nemo est, qui ignoret. Unde & theologi nostri ea sunt modestia, ut argumentum hoc *probabile* duntaxat dicant, non *demonstrativum*. Exstitisse tamen in istis familiis, præter adultos, parvulos quoque, maiori probabilitate a nobis adfirmari, quam a dissentientibus negari potest. Recte id monuit Camp. Vitringa, cuius verba heic adscribemus. Ita vero ille: *Quod si quis dicat, positum esse in incerto, num familiæ, quæ memoratæ sunt in apostolorum actis, infantes habuerint; sufficerit regerere, phrasin, qua scriptores sacri in hoc negotio utuntur, nos eo ducere, ut probabiliter præsumere debeamus, in familiis illis minorennes non defuisse. Probabilius enim est, familiam bene constitutam infantes habere, vel minorennes; quam non habere. Ut adeo, si ad solam historiam sacræ scripturæ in hoc negotio recurramus, nos longe probabilius inde baptismum adstruamus, quam adversarii eum negant.* Vid. eiusdem *observat. sacrar. libr. II. cap. VI. §. VI. p. 366.* Addimus & hoc, antiquissimos cœtus christiani doctores, quando de baptismo parvulorum verba faciunt, ad traditionem apostolicam subinde provocare, atque haud obscure innuere, ævo apostolico neminem fuisse inter orthodoxos, qui eundem in dubium revocaverit.

(*) Augustinus epist. LXXXIX. ad Hilar. *Tanto magis pro infantibus nos loqui debemus, quanto minus pro se loqui possunt.* Gerhardus.

(**) Quod hic genuinus huius vocis sit significatus, ex collatione locorum novi testam. *Matth. XIII. 52. XXVII. 57. Ioan. IV. 1. Act. XIV. 21.* comprobari potest luculenter. Hinc & b. Bengelius in sua, quam adornavit, novi testamenti versione germanica, verba servatoris *Matth. XXVIII. 19.* ita reddidit: *Gehet hin und machet zu Jüngern alle Nationen.* Idem ex ecclesiæ Roinanæ sociis Rich. Simonius, ex nostris vero Zeltnerus, Pfaffius, Heumannus aliique senserunt. Proinde το μαθητευειν amplius quid heic innuit, quam το *docere*, præsertim cum verba: διδασκοντες αυτες, quæ *versu 20.* leguntur, ab illo μαθητευειν, quod *vers. 19.* occurrit, clare satis distinguantur, tanquam *species* a suo *genere*. Scilicet το μαθητευειν seu *in discipulum initiare*, ut generale, duo sub se comprehendit officia ac media specialia, quæ huc spectant, nempe το βαπτιζειν & το διδασκειν, quorum illud ad *infantes*, hoc vero ad *adultiores* magis est adcommodatum Quum itaque, prout ex dictis intelligitur, verbum μαθητευειν, non tantum *adultos*, sed & *parvulos* respiciat, veritati doctrinæ de pædobaptismo novum hac ratione robur accedit. Legenda, quæ uberius hanc in rem differit b. Jo. Winckelerus in *demonstratione solida pædobaptismi*, germanico sermone edita, *p. 73.* nec non in eiusdem *defensione pag. 18.*

praecepi vobis. Sic declaratur verbum μαθητεύσατε Joh. IV. 1. *Pharisaei audiverunt Christum plures discipulos facere & baptizare, quam Iohannem.* Hac de re latius agemus in harmonia evangelica.

§ CLXXXVII. II.) Ex peccati originalis contagio, in quo & cum quo infantes nascuntur. Quicunque in peccatis concepti & nati sunt, illis aut æternum pereundum aut regeneratione ad salutem opus est. Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire regnum cœlorum.* v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est.* Jam vero infantes in peccatis nati & concepti sunt, ut patet ex Psalm. CI. 7. Job. XIV. 4. Rom. V. 12. Eph. II. 3. Ergo illis aut æternum pereundum, aut regeneratione ad salutem erit opus. Jam vero Deus non vult perire parvulos, ut postea late demonstrabimus, atque diserte illud exstat Matth. XVIII. 14. *Non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus de pusillis istis.* Ergo regeneratione indigebunt ad salutem. Jam vero nullum datur aliud ordinarium medium regenerationis, quam verbum & baptismi sacramentum; per verbum non potest agi cum infantibus, sed tantummodo cum adultis, qui pervenerunt ad annos discretionis: restat igitur, ut per baptismum regenerentur, a peccati originalis contagio mundentur, & salutis æternæ participes reddantur. Observanda vero hoc loco emphasis verborum Christi Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Primo* in genere pronunciat, *nisi quis renatus fuerit &c.* Ergo infantes etiam complectitur, eosque regeneratione indigere testatur: *secundo* medium regenerationis exprimit, videlicet *aquam* baptismi, per quam Spiritus sanctus ad regenerationem est efficax: *tertio* addit manifestam rationem, quia *quod natum est ex carne, caro est.* Jam vero infantes sunt caro de carne, ergo si in regnum cœlorum introire debeant, ex aqua & Spiritu eos renasci oportebit. Nemo ingreditur regnum cœlorum, nisi renascatur ex aqua & Spiritu. Jam vero ad *infantes pertinet regnum cœlorum.* Matth. XIX. 14. Ergo oportet eos renasci ex aqua & Spiritu. Excipiunt Anabaptistæ: 1.) *baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis: jam vero infantes non indigere regeneratione & renovatione, cum non habeant originale peccatum.* Resp. hypothesis est falsissima, ut in tract. de peccato origin. latissime ostendimus. 2.) *Christum Ioh. III. de adultis tantum loqui; agit enim cum Nicodemo jam adulto.* Resp. Christus in genere de omnibus hominibus post lapsum loquitur, eosque ad unum omnes regeneratione indigere testatur, id quod non solum ex tenore verborum: *Nisi quis renatus fuerit &c.* sed etiam ex subjuncta ratione, *quod natum est de carne, caro est,* adprime conspicuum. Inde & ideo omnes homines regeneratione indigent, quia nascuntur caro de carne, *jam vero caro & sanguis non haereditabunt regnum Dei.* 1 Cor XV. 50. Non in adulta demum ætate caro de carne nascimur, sed ex maternis visceribus egressi, quin imo in utero materno concepti, in peccatis concipimur ac nascimur; Psalm. LI. 7. qua igitur specie infantes ab hoc Christi pronunciato excludi possunt? 3.) *Conjungi aquam cum Spiritu, sicut Marc. XVI. 16. fides conjungitur cum baptismo. Jam vero infantes Spiritu obtusi sunt & credere non possunt.* Resp. infantibus fidem omnino denegandam esse, hypothesis est falsa, ut suo loco demonstrabitur. Spiritus cum aqua in verbis Christi ideo conjungitur, quia vis regenerandi non est ab aqua, sed a Spiritu sancto, per aquam baptismi efficaciter operante. Esse autem infantes operationis huius capaces, docet exemplum Johannis baptistæ, qui in utero materno repletus fuit Spiritu sancto. Luc. I. 41.

2.) *Ex peccati originalis contagio.*

Exceptiones Anabaptistarum.

§. CLXXXVIII. III.) Ex liberali misericordissimi Dei promisso, qui non solum infantes sibi offerri jubet, sed eosdem sese recepturum promisit Gen. XVII. 7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* (nimirum si illud semen tuum per initiationis sacramen-

3.) *Ex liberali misericordissimi Dei promisso.*

mentum, quod in vet. teſt. fuit circumciſio, in nov. autem baptiſmus, mihi offeratur: unde ſtatim additur v. 10. *Hoc autem fœdus meum, circumcidetur in vobis omne maſculinum*) Matth. XVIII. 14. *Non eſt voluntas Patris veſtri cæleſtis, ut pereat unus de puſillis iſtis.* (ἓις τῶν μικρῶν τουτων) Matth. XIX. 13. *Tunc oblati ſunt ei parvuli τὰ παιδια, ut manus eis imponeret & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos.* v. 14. *Jeſus vero ait eis: Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim eſt regnum cœlorum.* v. 15. *Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde.* Marc. X. 14. Luc. XVIII. 16. Hæc hiſtoria repetitur & additur: *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei ut parvulus, non intrabit in illud.* Luc. XVIII. 15. vocantur τὰ βρέφη tenelli *infantuli*, ac Marc. X. 13. vocabulum προσφέρειν de illis uſurpatur, quin & v. 16. Chriſtus dicitur eos ἐναγκαλισάμενος in ulnas ſublatos fuiſſe complexum. Inde ſic concludimus: *quos Chriſtus ſibi vult adduci, illi non ſunt a baptiſmo arcendi. Jam vero infantes tenellos Chriſtus ſibi jubet adduci. Ergo non ſunt a baptiſmo arcendi.* Sicut a circumciſione non fuerunt olim in vet. teſt. excluſi, ne a gratia Dei & ſalute æterna excluderentur; Gen. XVII. 14. ita quoque a baptiſmo in nov. teſt. non ſunt excludendi, ne itidem a Dei gratia & ſalute æterna excludantur. Joh. III. 5. Sic Act. II. 38. dicit Petrus: *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque veſtrum in nomen Jeſu.* v. 39. *Vobis enim & filiis veſtris facta eſt promiſſio, & omnibus, qui longe ſunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus veſter.* Ad quos pertinet promiſſio fœderis, illi etiam per baptiſmum in fœdus Dei recipiendi ſunt. Jam vero promiſſio fœderis pertinet non ſolum ad adultos credentes, ſed etiam ad ipſorum liberos. Ergo liberi fidelium ſunt baptizandi. Obſervandum etiam, in genere mentionem fieri liberorum ſine ulla ætatis diſcretione, perinde ut in circumciſionis inſtitutione mentio fit ſeminis, qua adpellatione infantes adhuc tenellos comprehendi manifeſtum eſt; ergo ut illi olim per circumciſionem in fœdus Dei fuerunt recepti, ita & hodie per baptiſmum in illud ſunt recipiendi. Excipiunt Anabaptiſtæ: *Exceptiones Anabaptiſtarum.* 1.) *Chriſtum in perſonis parvulorum benedixiſſe parvulis innocentia & humilitate, non autem ætate, neque enim dicit, horum eſt regnum cœlorum, ſed talium.* Reſp. quamvis Chriſtus in illis parvulis humilitatem & innocentiam nobis commendare voluerit, tamen ſimul indicavit, infantilem ætatem non eſſe alienam a regno Dei, jubet enim nos converti & ſimiles effici parvulis, Matth. XVIII. 14. quod quomodo haberet locum, niſi etiam parvulis pateret aditus ad regnum coelorum? Ita quoque diſerte dicit Marc. X. 14. *Sinite parvulos ad me venire*, ubi hiſtorice loquitur de illis, quos multi offerebant, quibus etiam benedicit; ergo addita ratio, *talium enim eſt regnum cœlorum*, etiam veris parvulis convenire debet. Adde, quod Anabaptiſtæ ipſi non excludant parvulos ſimpliciter ex regno cœlorum, licet ſine fide & baptiſmo eos ſalvari adſerant. 2.) *Parvulos Chriſto adlatos fuiſſe grandiuſculos uſum rationis habentes, cum a Chriſto dicantur advocati & in medio ſtatuti*, Matth. XVIII. 2. *cumque jubeantur ipſis permittere, ut veniant ad Chriſtum.* Marc. X. 14. *Jam vero non veniunt, niſi grandiores.* Reſp. Lucas eos vocat τὰ βρέφη cap. XVIII. 15. quod vocabulum perpetuo *infantem* adhuc *tenellum* & plerumque adhuc lactentem ſignificat. Sic Luc. I. 41. & 44. infans in utero adhuc concluſus vocatur βρέφος. Luc. II. 12. & 16. infans in cunis adhuc vagiens dicitur βρέφος. Act. VII. 19. infantes Iſraelitici vixdum in lucem editi vocantur βρέφη. 1 Petr. II. 2. ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη (*). Adde, quod evangeliſtæ

Gg 3 teſten-

(*) Cum locis novi teſtamenti, ſupra a GERHARDO recitatis, conferri poſſunt nonnulla vet. teſtam. loca, veluti 1 *Macab. I. 64.* ubi βρέφη adpellantur infantes de collo ſuſpenſi, nec diu ante circumciſi; itemque 2 *Maccab. VI. 10.* ÆLIANUS quoque *variar. hiſtor. II. 7.* & *XIII. 1.* vocem hanc de infantibus tenellis uſurpat. Conf. GERH. Io. VOSSIUM *diſput. XIII. de bapt. §. 8. tom. VI. oper. pag. 304.*

testentur, hosce infantes ad Christum *in ulnis adlatos esse* προσέφερον δὲ αὐτῷ, καὶ τὰ βρέφη, Syriace: מְקָרְבִין, *fecerunt ei adpropinquare*, eosdemque in ulnis a Christo susceptos ἐναγκαλισάμενος αὐτὰς. Syriaca paraphrasis sic habet: וְשַׁקְרֵל אִנּוּן עַל דְּרָעוֹהִי, *& sustulit eos in ulnas suas.* Ergo vox *venire* accipitur largo modo, pro eo, quod est accedere, adduci & adpropinquare. 3.) *Parvulos illos octavo die circumcisos, & fœderi divino insertos fuisse, ab illis igitur ad parvulos non baptizatos argumentum nequaquam procedere.* Resp. id ipsum nostram potius confirmat sententiam. *Si* enim *infantes per circumcisionem olim fœderi divino fuerunt inserti, utique & hodie nostri infantes per baptismum Christo debent inseri* (*), vi divinæ hujus promissionis & mandati, quod infantes sibi oblatos promte recipere velit. Lutherus in epist. de Anabapt. tom. IV. Jen. germ. fol. 414. urget hoc, quod inter hos pueros procul dubio etiam fuerint fœmellæ non circumcisæ. 4.) *Aliud superesse medium, per quod infantes Christo offerri possint, scilicet preces.* Respond. inclusio unius non est exclusio alterius. Non negamus, infantes in utero adhuc conclusos precibus Christo offerendos & commendandos esse, quas preces etiam clementer exaudit, & infantes illos, qui vel in utero materno, vel jamdum in lucem editi sine baptismo moriuntur, in gratiam recipit; interim tamen ordinarium illud medium, per quod infantes Christo adducendi, est & manet baptismus.

§. CLXXXIX. IV.) Ex aditu ad baptismi beneficia etiam infantibus patente & obvio. Quicunque aditum habent ad baptismi beneficia, illi a baptismo non sunt arcendi. Infantes habent aditum ad baptismi beneficia. Ergo a baptismo non sunt arcendi. *Adsumtum* ex enumeratione beneficiorum baptismi consp icuum. Baptismus est *lavacrum regenerationis & renovationis*, Tit. III. 5. jam vero, qui in hunc mundum nascuntur, *ex aqua & Spiritu* regenerari possunt, Joh. III. 5. Per baptismum fides excitatur; jam vero infantes fidei sunt capaces, ut postea demonstrabimus. Per baptismum contingit remissio peccatorum, receptio in fœdus gratiæ, υἱοθεσία & salus æterna; jam vero ad communionem illorum beneficiorum Christus infantes vocat, dum eos sibi adduci jubet, ac talium esse regnum cœlorum pronunciat. Parvuli participes sunt peccati ab Adamo in mundum introducti, cur ergo non possent fieri participes beneficii Christi? an plus posset culpa, quam gratia? contrarium docet apostolus Rom. V. 20. Hoc argumentum quidam sic formant: Si non deberent infantes baptizari, aut impedimentum esset ex parte Dei, aut ex parte ministri, aut ex parte sacramenti, aut ex parte suscipientis; sed non est impedimentum ex parte Dei; nulla enim exstat prohibitio divina, quod infantes non debeant baptizari, quin potius testatur *Christus, non esse voluntatem Patris cælestis, ut pereat unus de parvulis istis*, Matth. XVIII. 14. Nec est impedimentum ex parte *ministri*, is enim æque potest aquam in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti super infantem adfundere, quam super adultum. Nec est impedimentum ex parte *sacramenti*, cum omnia baptismi essentialia in infantibus habeant locum; nec est impedimentum ex parte *suscipientis*: cum enim infantes actuali impœnitentia & incredulitate oblatam in baptismo gratiam non repudient, ad

neficia infantibus obvio.

4.) Ex aditu ad baptismi beneficia etiam infantibus patente & obvio.

(*) Veritatem propositionis *majoris* in hocce ratiocinio infra §. CXC. uberius comprobat GERHARDUS. Attendendum præcipue heic est ad analogiam utriusque sacramenti, non quidem in omnibus, sed tamen in principalioribus conditionibus, ad confirmationem fœderis gratiæ relatis, inque novo testamento relatis. Scilicet utrumque sacramentum spectari debet tanquam signum fœderis, symbolum initiationis, medium regenerationis ac tessera professionis, qua Judæi olim a gentilibus, ac hodie Christi cultores ab infidelibus distinguuntur. Reliqua, quæ adferri solent, discrimina alterius plane sunt generis, quæ ipsam sacramenti essentiam haud ingrediuntur, nec finem ejus attingunt.

ad baptismum utique sunt admittendi. Excipiunt Anabaptistæ: *baptismum non prodesse, nec quenquam beneficiorum Christi participem fieri absque pœnitentia. Jam vero infantes pœnitere nesciunt.* Resp. quo modo Spiritus sanctus fidem operatur in infantibus, eo etiam modo pœnitentiam in illis excitat; jam vero Spiritus sanctus modo nobis incomprehensibili fidem in infantibus excitat, ut postea demonstrabitur. Ergo & pœnitentiam. Bellarminus respondet, *pœnitentiam tantummodo propter actualia peccata, non autem propter originale requiri, cum non recte pœnitentiam agat quis ejus peccati, quod ipse non commisit, & quod in ejus potestate non fuit.* Sed hæc responsio nititur falsa hypothesi, quod scilicet nullum sit coram Deo vere & proprie dictum peccatum, quod non sit voluntarium, hoc est, deliberata voluntate commissum. Propheta regius ad originalis peccati considerationem in pœnitentia sua descendit, Psalm. LI 7. atque occultorum peccatorum veniam sibi concedi petit, Psalm. XIX. 13.

Exceptio Anabaptistarum.

§ CXC. V.) Ex generali ecclesiæ termino. Cum enim Christus ecclesiam suam *lavacro aquae in verbo mundare dicatur*; Eph. V. 26. & vero infantes itidem sint ecclesiæ membra; utique a baptismo non erunt excludendi. Quod infantes ecclesiæ membra dicimus, id de libero ad ecclesiam aditu intelligimus, quem dicimus ipsis patere vi divinæ promissionis, Gen. XVII. 7. *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui.* Ex loco Eph. V. sic concludimus: quoscunque Christus dilexit, & pro quibus se ipsum in mortem tradidit, eos lavacro aquæ in verbo, hoc est, baptismo vult mundare, ut beneficiorum mortis suæ reddantur participes. Jam vero Christus non solum adultos, sed etiam infantes dilexit, ac pro iis se ipsum in mortem tradidit. Ergo & hos baptismo vult mundare. Item, parvulos Deus vult fieri salvos, ut constat ex Matth. XVIII. 14. Jam vero extra ecclesiam non est salus, ut habet pervulgatum axioma ex symbolo apostolico deductum: *Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, & vitam æternam.* Ergo infantes recipiendi sunt in ecclesiam. Jam vero non nisi per baptismum in ecclesiam recipi possunt, modo scilicet ordinario, unde baptismus vocatur primus ad ecclesiam introitus, ac prima porta gratiæ. Act. II. 41. *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & adpositae sunt in die illa animae circiter tria millia*: ex quo adparet, quod baptizari sit populo Dei, sive ecclesiæ adponi. Ergo infantes etiam sunt baptizandi. Excipiunt Anabaptistæ, *non omnes infantes esse membra ecclesiae, cum multi ex illis sint reprobi, abstinendum igitur a baptismo infantum, ne sacramentum per nostram ignorantiam profanetur.* Resp. hoc argumentum procedit in schola Bezæ, & complicum ipsius, qui statuunt, infantes quosdam absoluto Dei decreto rejectos non regenerari, etiamsi millies baptizentur. Sed cum hoc errore nobis nihil est commercii, qui infantes etiam reprobos, hoc est, eos, qui progressu ætatis a gratia excidunt, & æternum pereunt, atque hoc modo se reprobos esse ipso actu ostendunt, vere per baptismum regenerari dicimus.

5.) Ex generali ecclesiæ termino.

Exceptio Anabaptistarum.

§. CXCI. VI.) Ex circumcisionis typo Gen. XVII. 12. jubet Deus, ut pueri Israelitici octavo statim a nativitate die circumcidantur: jam vero baptismus in nov. test. successit in locum circumcisionis Col. II. 11. ergo ut infantes vet. test. per circumcisionem in fœdus Dei sunt recepti, ita quoque infantes nov. test. per baptismum fœderi divino erunt inserendi (*). Huc pertinet transitus Israelitarum per mare rubrum, quem typum bapti-

6.) Ex circumcisionis typo.

(*) A *pari* itaque eadem est necessitas baptismi, quæ olim fuit circumcisionis. At circumcisio olim debuit administrari infantibus, ex præcepto Dei. Ergo & pædobaptismus. Nec sane gratia Dei imminuta est atque restricta in novo testamento, sed potius ampliata.

baptismi fuisse docet apostolus 1 Cor. X. 2. jam vero in illo comitatu fuerunt complures infantes. Exod. XII. 37. Ergo ut typo respondeat antitypum, infantes etiam erunt baptizandi. Cumprimis vero huc referendum vaticinium Esaiæ cap. XLIX. 22. *Gentes adferent filios suos in ulnis, & filias suas super humeros portabunt.* Bellarminus dicit, *hoc argumentum ab Anabaptistis facile eludi posse, cum a nobis proponitur, cum baptismum esse velimus concionem, quod de circumcisione dici non possit.* Resp. per concionem sive *verbum concionale*, (ut Bellarminus loquitur lib. I. de sacram. c. 19.) non potest agi cum infantibus, per baptismum cum illis agi posse dicimus, quomodo igitur ex nostra sententia baptismus nihil aliud est, quam concio? imo vero est salutare sacramentum ad regenerationem & salutem non solum adultis, sed infantibus etiam efficax. Nos eandem efficaciam circumcisioni & baptismo ad regenerationem tribuimus; pontificii autem omnem efficaciam spiritualem circumcisioni denegant. Ergo hoc argumentum a circumcisione petitum, facilius eludi potest ab Anabaptistis, cum a pontificiis, quam cum a nobis ipsis proponitur. Sed non opus est dubiis conjecturis, qua exceptionis via elabi conentur Anabaptistæ, cum ex publicis ipsorum scriptis constet, his subterfugiis ipsos uti, 1.) *de circumcisione infantum exstare expressum mandatum, non autem de baptismo eorundem;* 2.) *masculos solummodo circumcisos fuisse, consequens igitur fore, etiam hos solum baptizandos;* 3.) *Circumcisionem octavo aetatis die susceptam, ergo & baptismum ad illum temporis articulum restringendum.* Hæc sunt, quæ argumento nostro opponunt, in quibus dissolvendis utiliorem operam navasset Bellarminus, quam dum novas exceptiones fingit. *Respondemus* autem a.) quamvis totidem verbis ac syllabis in scripturis non contineatur hæc propositio, infantes esse baptizandos, eam tamen evidenter & aperte ex scripturis colligi posse. b.) Circumcisionis essentialia non habuisse locum in fœmellis, baptismi autem substantialia in omnibus hominibus locum habere. c.) Administrationem circumcisionis ad octavum diem peculiari divino mandato adstrictam fuisse, nimirum propter periculum vitæ tenellis infantibus ex dolore circumcisionis metuendum: sed tale periculum quoddam in baptismi usu non occurrere; ideo merito, quam potest fieri primum, ad baptismum adferuntur. Interim collatio inter circumcisionem & baptismum perstat immota, quod quemadmodum infantes vet. test. per circumcisionem in fœdus Dei fuerunt recepti; ita quoque infantes nov. test. per baptismum in fœdus Dei sint recipiendi, ut regenerationis ad vitam æternam fiant participes. Una eademque causa efficiens principalis circumcisionis & baptismi, una eademque utriusque sacramenti necessitas, eadem vis & efficacia. Ergo ut a circumcisione non fuerunt infantes excluſi, ita nec a baptismo excludendi sunt; alias gratia Dei in nov. test. restrictior & angustior esset, quam fuit in veteri (*).

Exceptiones Anabaptistarum.

§ CXCII. Nec destituitur pædobaptismus testimoniis veterum. Dionysius lib. eccles. hierarch. cap. ult. *Ab apostolis traditum*, adserit, *ut infantes baptizentur* (**), Justi-

Testimonia veterum pro pædobaptismo.

(*) Ex typis vet. test. In arca Noæ non tantum fuerunt servati adulti, sed etiam infantes. Per mare rubrum transierunt non tantum adulti, sed etiam infantes. GERHARDUS.

(**) Librum hunc *de hierarchia ecclesiastica*, quem supra adlegavit GERHARDUS, uti & reliqua, quæ sub DIONYSII AREOPAGITÆ nomine circumferuntur, scripta spuria esse atque ab homine quodam fanatico, qui seculo quarto vel quinto hujus DIONYSII personam ac nomen sibi adscivit, conficta, JO. DALLÆUS, JAC. USSERIUS, JO. PEARSONIUS aliique luculenter demonstrarunt, consentientibus hodie omnibus fere eruditis. Proinde ex testimonio, quod iste pseudo-Dionysius nobis exhibet, comprobari haud potest, infantes in ecclesia apostolica fuisse baptizatos.

Idem dicendum de illo testimonio, quod ex *consti-*

Justinus in qq. ad orth. q. 56. (*) pædobaptismi meminit. Irenæus lib. II. c. 39. dicit, *salvari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, juvenes & senes* (**). Apud Origenem exstat locus egregius lib. V. in cap. VI. Rom. tom. 2. p. 543. *Ecclesia traditionem ab apostolis suscepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam & Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur* (***) Cyprianus in epist. ad Fidum lib. III. epist. 8. *Universi judicavimus*, (in concilio 66. episcoporum) *nulli hominum nato misericordiam & Dei gratiam denegandam &c. Nam Deus ut personam*

constitutionum apostolicarum libr. VI. cap. XV. tom. I. patr. apostol. Cotelerii *p. 347.* nonnulli desumunt. Nam *constitutiones* istas ab apostolis profectas haud esse, a viris eruditissimis, Dallæo cumprimis, quem modo laudavimus, itemque Andr. Riveto, Thom. Ittigio aliisque dudum abunde fuit comprobatum.

(*) Testimonia Justini *martyris*, quæ ex *quæstionum CXLVI responsionibus ad orthodoxos* desumuntur, eam ob rationem probandi robore prorsus destituuntur, quia *responsiones* istæ longe junioris sunt scriptoris, sive Justini *Siculi*, qui demum exeunte seculo V. floruit, sive alterius cujuscunque. Vid. Jo. Alb. Fabricium *libr. V. biblioth. Græc. cap. I. p. 58.* Non desunt tamen alia loca, in genuinis Justini *martyris* scriptis obvia, quæ de pædobaptismo ejusque antiquitate clare satis testantur. Ita enim *apolog. I. pro christian.* §. *18. p. 27.* edit. Grabii scribit: *Permulti sexus utriusque & sexaginta & septuaginta nati annos, οι εκ παιδων εμαθητευθησαν τω χριστω, qui a pueris disciplinam Christi sunt adfectati*, sive Christi discipuli facti sunt, *in incorrupta perseverant virginitate.* Jam vero homines illi, de quibus heic loquitur Justinus, in ipsa infantia discipuli Christi fieri haud potuissent, nisi mediante baptismo. Accedit, quod ipse servator, quando apostolos omnes gentes baptizare jussit, μαθητευσατε illud cum βαπτιζοντες conjunxerit. Idem Justinus in *dialogo cum Tryphone Judæo p. 261. oper.* baptismum cum circumcisione comparat, eundemque in locum circumcisionis successisse fatetur. Quo ipso haud obscure innuit, infantes quoque baptismi fieri posse ac debere participes; quem ad modum iidem in veteri testamento ad circumcisionem fuerunt admissi. Conf. Joseph. Binghamum in *origin. sive antiquit. ecclesiast. vol. IV. p. 196. seqq.* nec non Gerh. Jo. Vossium *disput. XIV. de baptism. tom. IV. oper. p. 306.*

(**) Ut mens Irenæi rectius intelligatur, integrum locum, qui *libr. II. adv. hæres. cap. XXXIX. p. 160.* edit. Grabii exstat, heic adscribemus. Ita vero Irenæus *loc. cit.* de Christo disserit: *omnes venit per se ipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes & seniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem: simul & exemplum illis pietatis effectus, & justitiæ & subjectionis.* Quum itaque, prout ex dictis patet, Irenæus renascentiæ in Deum expressam heic faciat mentionem, atque istam infantibus quoque tribuat, nullum plane est dubium, quin phrasi hac apostolica baptismum intelligat; præsertim cum in aliis quoque locis regenerationem in Deum disertis verbis baptismum nuncupet, observante celeberr. Walchio in erudita dissertatione *de historia pædobaptismi quatuor priorum seculorum*, quæ ejusdem *miscellaneis sacris libr. III.* inserta est, §. *V. p. 493, 494.* ubi & auctorem *der unschuldigen Wahrheiten*, qui *part. IX. p. 872. seqq.* hocce Irenæi testimonium labefactare conatus est, solide confutavit.

(***) Præter locum hunc, qui apud Origenem *libr. V. explanat. epist. ad Roman. cap. V.* & quidem *part. II. oper. latin. p. 427.* legitur, alium quoque deprehendimus, qui in *commentar.* ejus *in Levitic. cap. XII. & XIII. oper. lat. part. I. p. 116.* exstat. Ibi enim non solum commemorat, infantes sacro fonte purgandos esse, sed & rationem, cur id fieri debeat, edisserit: *Addi etiam, inquit, & illud potest, ut requiratur, quid causæ sit, quum baptisma ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari? quum utique, si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.* Idem tradit *homil. XIV. in Lucam, part. II. oper. lat. p. 265.* aliisque in locis.

sonam non accipit, sic nec aetatem, cum se omnibus ad cæleſtis gratiae conſtitutionem aequalitate librata praebeat patrem. Et ſub finem epiſtolæ: *Haec fuit in concilio noſtra ſententia, a baptiſmo atque a gratia Dei, qui omnibus miſericors & benignus & pius eſt, neminem per nos prohiberi debere. Quod cum circa univerſos obſervandum ſit ac retinendum, tum magis circa infantes ipſos, & recens natos obſervandum putamus, qui hoc ipſo de ope noſtra & miſericordia divina plus merentur, quod in primo ſtatim nativitatis ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* Hæc verba Cypriani adlegat Auguſtinus lib. III. de pecc. merit. & remiſs. c. 5. Ambroſius lib. II. de Abrah. c. 11. *Chriſtus jubet omnes gentes baptizare, ergo hic non ſenex proſelytus, non infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia, & ideo omnis aetas ſacramento idonea.* Idem etiam lib. IV. de bapt. contra Donat. c. 623. & 24. libr. X. de Gen. ad lit. cap. 23. lib. I. de orig. animæ ad Hieron. cap. 5. & 18. lib. II. contra Pelag. & Cœleſt. de peccat. orig. cap. 40. lib. II. de nupt. & concup. cap. 3. atque alibi paſſim pædobaptiſmi meminit; libr. I. de peccator. mer. & remiſſion. cap. 26. dicit, *Pelagianos non fuiſſe auſos negare baptiſmum parvulorum, quod viderent, nimis aperte cum tota eccleſia pugnandum fuiſſe, ſi eum negarent.* Vide etiam Hieronymum lib. III. contra Pelag. Cyrillum libr. VIII. in Levit. cap. VIII. Gregorium Nazianzenum orat. XL. de bapt. num. 16. p. 648. coll. num. XXVII. p. 658. Baſilium in exhort. ad bapt. Ambroſium lib. II. de vocat. gent. cap. 8. &c. (*) Quin & ſynodorum decretis confirmatus eſt pædobaptiſmus, ut in concilio Carthaginenſi anno 407. (**), Milevitano anno 420. (***), Gerundenſi anno 470. (*), Bracarenſi 112. (**). Hæc omnia complectitur Jacob. Pamelius in notis ad Cypriani epiſt. 8. lib. III.

(*) Plura patrum de infantum baptiſmo teſtimonia exhibet ven. WALCHIUS in *diſſert.* jam laudata *de hiſtoria pædobaptiſmi.*

(**) Concilium illud Carthaginenſe, in quo præcipue de baptiſmo parvulorum agebatur, non erat illud, quod anno *CCCCVII.* fuit habitum, ut ſupra dicitur; ſed Carthaginenſe quartum, quod jam ſeculo tertio, nimirum anno *CCLIII.* adeoque tempore CYPRIANI, fuit celebratum. In hujus enim canone ſecundo doctrina illius temporis de pædobaptiſmo hac ratione fuit declarata: *quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit: in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema ſit.* Occaſionem huic canoni dedit FIDUS, epiſcopus, qui in litteris ad patres hujus concilii exaratis, ſententiam ſuam de infantibus haud ante octavum diem, ex quo in lucem fuerint editi, pro tempore circumciſioni divinitus præſcripto, baptizandis declaraverat. Vid. GERH. JO. VOSSIUM *diſp. XIV. de baptiſmo, tom. VI. oper. p. 307.* & FRANC. FEUARDENTIUM *not. ad Irenæum libr. II. cap. XXXIX. p. 161.* edit. GRABII. Add. ven. WALCHIUM *loc. cit.* §. *XI. p. 504.*

(***) In concilio Milevitano II. anno *CCCCXVI.* habito, cui ipſemet interfuit AUGUSTINUS, *canone 2.* ſancitum eſt: „ Quicunque parvulos „ recentes ab uteris matrum baptizandos ne„ gat, aut dicit, in remiſſionem quidem pec„ catorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam „ trahere originalis peccati, quod regeneratio„ nis lavacro expietur, anathema ſit. „ Vid. *acta conciliorum* ex edit. HARDUINI, *tom. I. fol. 1217.*

(*) Concilium Gerundenſe minus recte refertur ad annum *CCCCLXX.* Pertinet enim ad ſeculum ſextum, ſiquidem ann. *DXVII.* fuit celebratum. *Canon. 5.* hujus concilii hiſce conceptus eſt verbis: „ De parvulis, qui nuper „ materno utero editi ſunt, placuit conſtitui, „ ut ſi infirmi, ut adſolet, fuerint, & lac ma„ ternum non adpetant, etiam eadem die, „ qua nati ſunt (ſi oblati fuerint) baptizentur. Vid. HARDUINI *acta concil.* modo adlegata, *tom. II. f. 1044.*

(**) Rurſus heic deprehendimus errorem in numeris commiſſum. Licet enim complura olim celebrata fuerint concilia Bracarenſia, nullum tamen eorum ad ſeculum ſecundum referri poteſt. Pertinet huc potius illud concilium Bracarenſe, quod nonnulli ſecundum adpellant, anno *DLXXII.* habitum, cujus *canon. 7.* ita ſeſe habet: „ Placeat, ut unusquisque epiſcopus

lib. III. *baptismum parvulorum* (inquit) *agnoscunt* Cyrillus Hierosolymitanus, *catech. myst. 1.* Gregorius Nazianzenus *orat. 3. in S. lavac.* Chrysostomus *ad Neoph. hom. III. in Gen. in Psalm. XII.* Ambrosius *in Lucam. Eundem* Augustinus *ab universa ecclesia observatum fuisse testatur frequenter, praesertim autem epist. XXVIII. lib. III. de peccat. merit. & remiss. cap. 7, 8, 9. ubi totam fere hanc citat epistolam, quomodo etiam lib. IV. contra duas epistolas Pelag. cap. 8. lib. II. contra Julian. cap. 3. Confirmat eundem baptismum hac sententia Cypriani & collegarum*, Hieronymus *sub finem lib. III. dial. contra Pelag. imo concilium Milevitanum can. 2. anathemate eum damnat, qui negat baptizandos parvulos recentes ab uteris matrum. Ante vero* Cyprianum *ejusdem mentionem disertis verbis reperire est apud* Origenem *in Levit. homil. VIII. in Luc. & in Rom. VI.* Tertullianum *lib. de anima* (*). Irenæum *lib. II. c. 39.* Justinum

„ pus per ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, „ qui infantes suos ad baptismum offerunt, „ si quid voluntarie pro suo offerunt voto, „ suscipiatur ab eis „. Vid. HARDUINUM *loc. cit. tom. III. p. 387.*

(*) Locus TERTULLIANI, ad quem heic respicitur, exstat libr. *de anima cap. XXIX. & XL.* ubi TERTULLIANUS exponit, qua ratione, secundum effatum apostoli, *filii fidelium sancti* sint, aitque „ eos sanctos adpellari, tam „ ex seminis prærogativa, quam ex institutio„ nis disciplina, quasi designatos sanctitatis, „ ac per hoc etiam *salutis*, juxta Domini de„ finitionem: nisi quis renatus fuerit &c. Ita, „ *inquit*, omnis anima eousque in Adam cen„ setur, donec in Christo recenseatur; tamdiu „ immunda, quam diu recenseatur „. Censet igitur TERTULLIANUS, parvulos capaces esse salutis, ac proinde etiam baptismi.

Equidem in libro *de baptismo cap. XVIII. p. 264.* edit. NICOL. RIGALTII, TERTULLIANUS contradicere videtur baptismo parvulorum, inque ea stare sententia, perceptionem hujus sacramenti ad ætatem adultam differendam esse. Ita enim *loc. cit.* scribit: *pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior; præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, sponsores etiam periculo ingeri? quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem dominus: nolite illos prohibere, ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt: veniant, dum discunt: dum, quo veniant, docentur: fiant christiani, cum in Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem; quam viduis per vacationem, donec aut nubant; aut continentia corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem: fides integra secura est de salute.* Ex hocce loco ii, qui pædobaptismo adversantur, luculentum contra divinam ejus auctoritatem desumi argumentum posse, non solum ipsimet firmiter credunt, sed aliis quoque persuadere adnituntur. Sufficiat ex iis, qui hoc fecerunt, heic nominasse ANTON. VAN DALE in *historia baptismorum*, quæ ejusdem *dissert. super Aristea* addita est, *p. 376.* HERM. SCHYN in *histor. christianor. qui inter protestantes Mennonitæ adpellantur, cap. III. part. I. p. 60. seqq.* atque auctorem *der unschuldigen Wahrheiten, part. X. pag. 897.*

Verum, si TERTULLIANI verba curatius expendantur, statim cuivis, extra partium studium constituto, patebit, eum non simpliciter omnem improbasse pædobaptismum, sed hoc duntaxat statuisse, cunctationem in baptismo, præcipue circa parvulos, uti ipsius verba sonant, utiliorem esse. Loquitur proinde tantum de gradu utilitatis, non vero de eo, quod necessarium est. Recte quoque monuerunt viri quidam docti, TERTULLIANUM in illis duntaxat differre voluisse baptismum, quorum vita in nullo versetur periculo. Addimus & hoc, eundem, ubi cunctationem baptismi infantum commendat, eo ipso haud obscure innuere, usum baptizandi infantes suo jam tempore in cœtibus christianorum receptum fuisse. Ut jam illud haud urgeamus, ipsum TERTULLIANUM ab orthodoxis ad Montanistas se se contulisse, nec ab erroribus prorsus fuisse immunem, quales & in hoc ipso loco, de quo heic disputamus, deprehenduntur, prout uberius ostendit ven. WALCHIUS in *hist. pædobaptismi*, quæ ejusdem *miscellaneis sacris* inserta legitur, *p. 495, seqq.*

martyr. q. 56. Clementem Rom. *libr. VI. &* Dionysium Areopag. *cap. ult. eccl. hier. qui* Dionysius *in traditionem apostolorum eum refert, ad quam eundem referunt* Origenes *in c. VI. Rom.* Augustinus *libr. X. de Genes. ad lit. c. 23. c. libr. IV. de bapt. contra Donat. c. 24.* Hæc Pamelius.

Argumenta Anabaptistarum.

§. CXCIII. Argumenta Anabaptistarum pleraque omnia nituntur falsis hypothesibus, utpote quod infantes careant originali peccato; quod infantes non sint capaces fidei, quod infantes non possint induere novum hominem, quod baptismi & eucharistiæ sit eadem ratio, ideo vel ad utrumque sacramentum infantes admittendos; vel ab utroque arcendos; quorum omnium solida refutatio ad alium locum pertinet. Videamus potiora ipsorum fundamenta. I.) *In sacris litteris nullibi invenitur pædobaptismus, & nullum de eo mandatum vel exemplum habemus. Ergo merito est rejiciendus.* Resp. 1.) diximus superius, quamvis totidem verbis & syllabis hæc propositio: infantes sunt baptizandi, non exstet in scripturis, eam tamen firmissima & evidentissima consequentiæ regula ex illis posse deduci; præsertim si adcurate & oculo, quod dicitur, irretorto hæ tres hypotheses observentur, *primo* quod infantes sint in peccatis concepti & nati, adeoque natura filii iræ; *secundo* quod Deus non velit illos perire, sed potius sibi offerri ac salvari; *tertio* quod non detur ordinarie aliud regenerationis medium, quam baptismus. Hæc tria si ex sacris literis firmiter demonstrentur, id quod in proclivi admodum est, immediate ex eo infantum baptismus sequitur. 2.) Fœminas baptizandas iisdemque eucharistiam dandam, non potest ostendi totidem verbis & κατὰ τὸ ῥητὸν in scripturis contineri. Interim tamen ex illo generali præcepto: *baptizate omnes gentes, & bibite ex hoc omnes*, deduci potest. Eadem est pædobaptismi ratio, qui deduci potest ex iisdem verbis: *baptizate omnes gentes.* 3.) Quod Christus non dederit apostolis peculiare aliquod & expressum mandatum baptizandi infantes, factum ex eo, quod apostolis notum, infantes per circumcisionem in fœdus Dei in vet. testam. fuisse receptos, idem ergo esse judicium de baptismo in nov. testam. cum gratia Dei non sit strictior, arctior & angustior in novo, quam in vet. testamento. 4.) Bellarminus respondet, argumentum hoc anabaptisticum, adversus nos magnas habere vires, cum principio illo passim utamur, quod non sit aliquis articulus fidei, qui non contineatur in scripturis. *Resp.* non solum ea amplectimur, quæ disertis & expressis verbis in scripturis exstant, sed etiam quæ justa concludendi ratione ex illis deducuntur, jam vero ipse Bellarminus in hoc capite 9. fatetur; satis aperte & evidenter pædobaptismum ex scripturis deduci posse, resp. ad 1. & 8. argumentum; id vero nobis contra Anabaptistas sufficit.

1.) Nullum habetur mandatum vel exemplum pædobaptismi.

§. CXCIV. II.) *Christus trigesimo demum ætatis anno baptizatus est*, Matth. III. 16. Luc. III. 22. *jam vero omnis Christi actio est nostra institutio;* Matth. XI. 29. XVI. 24. *ergo & noster baptismus ad annos discretionis differendus.* Resp. 1.) Si Christus usu baptismi sui certum tempus baptizandi præscribere voluisset, consequens fuerit, non nisi trigesimo ætatis anno baptismum suscipiendum esse, id vero ne ipsi quidem Anabaptistæ observant, sed in primis statim discretionis annis homines baptizant. Quidam tamen Anabaptistarum magistri contendunt, non nisi 30. ætatis anno, propter hoc exemplum Christi, baptismum suscipi debere, de quo prius inter se transigant. Vide Calvinum libr. IV. instit. cap. 6. §. 29. 2.) Ideo Christus in infantili ætate baptizari noluit, quia baptismus tunc nondum erat institutus, siquidem Iohannes baptista anno Christi 29. primum baptismum administravit. 3.) Quinimo in ipsa infantia Christus est circumcisus, jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. Ergo ut Christus in infantili ætate circumcisus;

2.) Christus trigesimo demum ætatis anno baptizatus est.

ita quoque baptismus infantibus administrandus. 4.) Magna est dissimilitudo baptismi a Christo & aliis susceptí, quam exponit Nazianzenus orat. in baptismum, quæ est XL. *Christus non opus habuit baptismo pro sua persona, cum fuerit innocens, impollutus, & a peccatoribus segregatus, suo autem baptismo nostrum consecrare & sanctificare voluit: sed nos in ipsa infantia baptismo indigemus, cum in peccatis nati & concepti simus.* Christus baptismum sine ullo periculo differre potuit, mortis & vitæ suæ potestatem habens plenissimam; Joh. X. 18. nos autem sine periculo salutis præsentissimo differre eundem non possumus, cum ignoremus, quid die crastino futurum sit. Jac. IV. 14. Christus tum demum baptizari voluit, cum inchoaret ministerium, propter causas paulo post exponendas: sed hoc tempore ministerium nov. test. jamdudum inchoatum, & gentes ad ejus communionem vocatæ. 5.) Baptizari voluit Christus anno ætatis trigesimo, tum propter typum Josephi anno ætatis trigesimo constituti principis Ægyptii, Gen. XLI. 46. & sacerdotum leviticorum, qui etsi anno ætatis 25. recipiebantur in collegium sacerdotum, tamen ante annum ætatis 30. non admittebantur ad usum & exercitium ministerii; Num. IV. 3. Deut. IV. &c. tum propter crescentem in se gratiam Patris & sapientiam cum ætatis augmento; tum denique ut suo exemplo moneret, illis, qui ad ἀκμὴν ætatis pervenerunt, ministerium committendum esse. Nazianzenus in orat. in S. lumina, quæ est XXXIX. circa finem: *Christus baptizatus est, cum initium edendorum signorum fecisset, quae res nobis documento esse debet κηρύσσειν ἐν τελειότητι καὶ τῆς πνευματικῆς, καὶ τῆς σωματικῆς ἡλικίας concionandi provinciam non ante suscipi debere, quam ad spiritualis & corporeae aetatis perfectionem ventum fuerit;* ita vertit Billius. 6.) Omnia quidem facta Christi ad doctrinam nobis proposita sunt, non tamen ad imitationem sine ullo discrimine, cum quædam facta sint heroica & singularia, ac in quibusdam destituamur causis, propter quas hoc vel illud agendum Christus suscipere voluit. 7.) Apostoli baptizarunt integras familias. Eccui autem verisimile est, omnes in illis annum ætatis 30. attigisse?

§. CXCV. III.) *Fœdus iniri debet inter eos, qui habent scientiam, conscientiam & intelligentiam. Jam vero infantes non intelligunt capita fœderis, quod in baptismo Deus nobiscum init.* 3.) *Infantes non intelligunt capita fœderis baptistici.*

Resp. 1.) Circumcisio utique erat Dei fœdus, Gen. XVII. 10. atqui infantes die 8. circumcidebantur, quos tamen hoc argumentum a Dei fœdere excluderet. 2.) Fœdera, inter homines inita, conditionem illam requirunt, ut parti utrique de capitibus eorum expresse constet; sed Deus etiam cum irrationalibus creaturis fœdus suum erigit; Gen. IX. 10. quanto magis cum infantibus adhuc tenellis fœdus inire poterit, licet usu rationis destituantur. 3.) Mylius in Augustana confessione artic. IX. pag. 158. sic respondet: *Stipulatio, quae fit in baptismo, non tam pendet ex humana, quam ex divina auctoritate, neque ab homine magis, quam a Deo ipso proficiscitur. Deus enim est potissimum, qui illic stipulatur, se baptizato esse propitium. Hic quamvis ab infante aperta vicissim non praestetur stipulatio, quia tamen pacta jure ipso sunt reciproca, & Deo in populum suum constat jus liquidissimum, satis est, esse tacitam pro tempore stipulationem, quae temporis progressu vigorem etiam externum manifestae stipulationis adquirit.* 4.) Quin imo cum inter homines quandoque talia incantur fœdera, in quibus infantum loco parentes spondent, & in capita fœderis compromittunt: quanto magis cum infantibus Deus poterit inire fœdus, quorum os & advocatus Christus diserte inquit: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum;* Matth. XIX. 14. Marc. X. 14. Lucæ XVIII. 16. id ipsum ex ore Christi de fide infantium repetunt patrini, sponsores ex eo adpellati.

§. CXCVI. IV.) *Sacramenta non prosunt absque fide. Jam vero infantes non credunt.* Ergo. 4.) *Infantes non credunt.*

Resp. 1.) Infantes non adferunt

secum fidem ex utero materno ad baptismum, interim tamen per ipsum baptismi sacramentum Deus fidem operatur in cordibus ipsorum, ut superius ostendimus. 2.) Siquidem baptismus est *lavacrum regenerationis*, Tit. III. 5. jam vero regeneratio sine fide non habet locum. Per baptismum *mundat Christus ecclesiam*, Eph. V. 26. jam vero *fide purificantur corda*. Act. XV. 9. Per baptismum datur remissio peccatorum, iustitia & vita æterna; hæc vero non habent locum sine fide. 3.) Invertimus igitur argumentum: infantes non habent fidem, scilicet naturæ corruptæ respectu, quia propter carnalem ex parentibus generationem sunt caro. Ergo sunt baptizandi, ut fidem & salutem consequantur. 4.) Repetimus collationem verbi visibilis & audibilis. *Verbum non prodest, nisi misceatur fide eorum, qui id audiunt;* Hebr. IV. 2. nihilo tamen minus verbi prædicatio est efficax medium, per quod Deus vult operari fidem in cordibus hominum, Joh. XVII. 20. Rom. X. 17. eorum puta, qui non resistunt Spiritui sancto. Act. VII. 51. Sic etiam sacramentum baptismi cum non prodest sine fide, interim tamen est efficax medium, per quod Deus fidem, regenerationem & salutem in cordibus infantum ex gratia operatur. Lutherus in epist. de anabaptismo tom. IV. Jen. germ. fol. 413. *Idem Christus in baptismo & apud baptismum praesens est, imo ipse baptizat, ad Johannem in utero matris concluſum veniebat. Idem est, qui in baptismo per os ministri loquitur, sicut per os matris ibi loquebatur.* 5.) Cum quidam infantes Christo offerrent, apostoli eodem modo colligebant; infantes illi non habent fidem, nec docendo cum illis quidquam agi aut profici potest, ergo arcendi sunt a Christo, donec adolescant, ac doceri possint. Sed Christus discipulos propterea increpat, & juramento confirmat, velle se pueros recipere in regnum cœlorum &c. Reliqua argumenta anabaptistica facilem habent explicationem ex superioribus

§. CXCVII. Sic Servetus in libr. IV. de regeneratione (*) hæc profert argumenta: I.) *Christi symbola sive sacramenta sunt perfecta; ergo non nisi perfectos ad sui perfruitionem admittunt. Jam vero infantes sunt imperfecti.* Resp. Sacramenta dicuntur perfecta, non ratione *objecti* sive hominis utentis, sed partim ratione causæ *efficientis*, partim ratione causæ *finalis* & effectus. Invertimus igitur argumentum: quia infantes sunt imperfecti; ergo baptizandi. II.) *Christi symbola instituta sunt ad commemorationem: infantes id praestare non possunt.* Resp. de eucharistia peculiariter id asserit apostolus, 1 Cor. XI. 26. ad quam infantes non admittimus. Baptismus est lavacrum regenerationis, Tit. III. 5. qua cum indigeant infantes, a baptismo non sunt excludendi. III.) *Spiritualibus quadrant spiritualia;* 1 Cor. II. 13. *baptismus est spiritualis; infantes carnales.* Resp. dictum apostoli agit de intelligentia mysteriorum divinorum, quæ non cadit in homines carnales & profanos. Infantes quia sunt caro de carne ac proinde carnales, ideo indigent regeneratione ex aqua & Spiritu, ut introeant in regnum cœlorum Ioh. III. 5. IV.) *Per regenerationem deos fieri nos constat, illi vero habendi pro diis, ad quos verbum Dei factum est.* Resp. si in majore propositione intelligitur ὑιοθεσία, dicimus eam in infantes cadere, ac proinde ut ejus participes fiant, baptizandos esse. V.) *Infantes non possunt censeri inter novos homines, quia non gignuntur per verbum Dei, quod audire nequeunt.* Resp. non solum verbum, sed & baptismus est regenerationis medium.

Farrago argumentorum anabaptisticorum.

(*) Hocce *de regeneratione* opusculum, quod famosus ille unitarius MICHAEL SERVETUS, medicus hispanus, Villæ novæ in Arragonia natus, una cum aliis perversi ingenii atque animi monumentis, ad posteros transmisit, insertum est eiusdem libro hodie rarissimo, qui inscribitur: *christianismi restitutio* &c. Prodiit hocce volumen, varia huius auctoris scripta coniunctim exhibens, ann. *MDLIII.* 8. Nonnulla eius argumenta, quibus parvulorum baptismum acriter impugnavit, præter GERHARDUM, recensuit atque confutavit IO. CALVINUS *libr. IV. institut. relig. christian. cap. XVI. num.* 31.

um. VI.) *In vet. teſt. non fuit fas, oves & capras ſtatim atque ex utero egreſſae erant, in ſacrificium offerre, ubi per allegoriam notati infantes.* Reſp. theologia allegorica non eſt argumentativa. Quid, quod primogenita omnia ſimul ac vulvam aperuerunt, Deo fuerunt conſecranda? Exod. XIII. 12. Et quare peregrinas quærunt allegorias omiſſo circumciſionis typo? VII.) *Triſmegiſtus & ſibyllae teſtantur, quod ſacrae ablutiones non conveniant niſi adultis.* Reſp. ſacræ literæ ſunt unicum & proprium theologiæ principium, ex quo argumenta apodictica in quæſtionibus theologicis peti poſſunt (*).

§. CXCVIII. Cum demonſtratum fuerit hactenus, infantes baptizandos eſſe, quæritur ulterius, quinam infantes baptizandi ſint? Reſpondemus Chriſtianorum infantibus patere aditum ad baptiſmum. Intelligimus autem hoc nomine I.) illos, qui ex chriſtianis parentibus ſunt nati, hoc eſt, quorum parentes fidem chriſtianam profitentur, amplectuntur verbum, ac ſacramentis utuntur, licet vera & ſalvifica fide aliquando deſtituantur, nec ſint in numero electorum; Gen. XVII. 7. pollicetur Deus, ſe fore *Deum Abrahae ac ſeminis ejus.* Vi hujus promiſſionis circumcidit Abraham non ſolum Iſmaelem tredecim annos natum, v. 25. ſed etiam Iſaacum octavo ætatis die Gen. XXI. 4. Quare cum nos chriſtiani in nov. teſt. non amplius *alieni* ſimus *a teſtamentis promiſſionis*, Eph. II. 12. *ſed propinqui facti.* v. 13. etiam ad nos pertinet hæc promiſſio, ac proinde vi illius promiſſionis liberi noſtri non ſolum adulti, ſed etiam infantes, ad baptiſmum, qui in locum circumciſionis ſucceſſit, Col. II. 11. admittendi ſunt. Act. II. 38. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti*, v. 39. *vobis enim & filiis veſtris facta eſt promiſſio.* Ex eo, quod Judæis & ipſorum liberis promiſſio facta, concludit Petrus, quod utrique baptiſmum ſuſcipere debeant. Ergo cum chriſtiani in nov. teſt. ejusdem promiſſionis participes ſint facti, conſequens eſt, etiam liberos ipſorum baptizari & poſſe & debere. Act. III. 25. *Vos eſtis filii prophetarum & fœderis, quod iniit Deus cum patribus veſtris* (**). 1 Cor. V. 12. *Quid ad me attinet etiam de his, qui foris ſunt*

Chriſtianorum infantibus patere aditum ad baptiſmum. Quinam hoc nomine intelligantur. 1.) Qui ex chriſtianis parentibus ſunt nati.

(*) Qui uberiorem graviſſimi huius argumenti diſcuſſionem legere voluerit, adeat auctores, qui de eodem data opera ſunt commentati, calamumque contra Anabaptiſtas aliosque pædobaptiſmi adverſarios ſtrinxerunt. Inter iſtos præcipuum quendam locum occupat GUIL. WALLIUS, qui *hiſtoriam baptiſmi infantum*, Anglico ſermone conſcriptam, Londini ann. *MDCCV.* luci expoſuit publicæ, quæ deinceps ſæpius in Anglia fuit recuſa. Dignam eandem iudicavit IO. LUDOV. SCHLOSSERUS, quam ex Anglica lingua in latinam converteret, variisque adnotationibus, quin, & vindiciis ornaret. Prodiit hæc interpretatio latina Bremæ *MDCCXLVIII. 4.* Commendari quoque meretur IO. WINCKLERI libellus: *gründlicher Beweiß der Kinder-Taufe*, Hamburgi *MDCXCI. 12.* typis exſcriptus. Exaratus is fuit a. b. auctore in gratiam nonnullorum, qui tum temporis, relicta Mennonitarum ſecta, ad noſtræ eccleſiæ ſacra tranſierant; cumque ex Mennonitarum familia ſcriptor quidam ſe huic libello oppoſuiſſet, defenſionem eius in ſe ſuſcepit laudatiſſimus WINCKLERUS, ediditque: *Vertheidigung ſeines gründlichen Beweis der Kinder-Taufe*, Hamburg. *MDCXCVI. 8.* Vid. *acta erudit. Lipſ. MDCXCVII. p. 35.* Duumviris hiſce iungi meretur b. CHRISTOPH. EBERH. WEISMANNUS, in diſſertatione lectu digniſſima, hac inſignita inſcriptione: *iuſta & tuta gradatio probationis doctrinæ de pædobaptiſmi veritate & innocentia.* Tubing. *MDCCXXXV.* Prætermittimus alios ſcriptores huc pertinentes, quorum indicem dederunt I. A. FABRICIUS in *bibliograph. antiq. cap. XI. §. XXV.* C. M. PFAFFIUS in *origin. iuris eccleſiaſt. pag. 78.* edit. novæ, itemque in *introduct. in hiſt. theol. litterar. part. I. p. 366.* &, qui primo nominandus erat loco, ven. IO. GE. WALCHIUS tum in *hiſtor. pædobaptiſmi* ſæpius iam laudata, eiusdemque *miſcell. ſacr.* inſerta, §. *XVII. p. 509.* tum vero in *biblioth. theolog. ſelect. tom. II. p. 16.* & *19.*

(**) de Judæorum infantibus Chriſtus dicit Marc. X. 14. *Sinite parvulos ad me venire*; Cananææ vero mulieri pro filia intercedenti reſpondet Matth.

sunt, judicare? nonne de his, qui intus sunt, judicatis? eos vero, qui foris sunt, Deus judicat. Per illos, qui intus sunt, intelliguntur nati in gremio ecclesiæ, per illos, qui foris sunt, intelliguntur nati extra ecclesiam. Qui sunt in gremio ecclesiæ, una cum liberis utuntur verbo & sacramentis, quæ sunt propria ecclesiæ bona; de illis vero, qui extra ecclesiam nati sunt, dicit apostolus: *Quid ad me attinet etiam de his judicare?* 1 Cor. VII. 14. *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem, alias liberi vestri immundi essent, nunc vero sancti sunt* (*). Hæc sanctitas liberorum ex christianis parentibus natorum non est mere *politica* mundities, cum etiam extra ecclesiam discrimen sit inter legitimos ac naturales sive spurios liberos; nec est *interna* sanctitas ac mundities cordis, ac si liberi christianorum ex utero matris nascantur sancti, cum non minus, quam reliqui, *concipiantur ac nascantur in peccatis*, Psalm. LI. 7. *ac sint natura filii iræ sicut & cæteri;* Eph. II. 3. sed est sanctitas *ecclesiastica*, quod scilicet tales liberi ex christianis parentibus nati, si vel maxime alteruter tantummodo parens fidelis sive christianus sit, censeantur in ecclesia nati, atque aditum ad baptismum, initiationis sacramentum, habeant; reliqui vero, qui ex infidelibus parentibus nati, immundi sunt censendi (**), hoc est, non pertinet ad illos promissio divina: *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui*; ideoque non patet illis æque ac christianorum liberis aditus ad baptismum, sed oportet eos prius institui, ubi adoleverint, ac fidem christianam profiteri. Videtur autem loquendi formula ab apostolo usurpata ex lege levitica deducta, in qua propter immunditiem leviticam qui-

Matth. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel, & non est bonum sumere panem filiorum, & obicere canibus.* GERHARDUS.

(*) Conferenda, quæ infra §. *CCXVI.* ad oraculum hocce Paulinum, de cuius genuino sensu variæ sunt interpretum tum antiquiorum, tum recentiorum, sententiæ, adnotavit GERHARDUS.

(**) Illustrani hoc quodam modo potest ex scriptis veterum Iudæorum. Quando enim hi de *prole* gentilis, cuius parentes facti sunt proselyti, loquuntur, dicere de ea solent, quod sit נזרע בקדושה *concepta* genitaque *in sanctitate*; contra vero, si proles habeat parentes ethnicismo adhuc deditos, de illa pronunciant, שלא נזרע בקדושה, quod *in sanctitate*, εν αγιοσυνη, *nata non sit.* Varia, quæ huc spectant, loca leguntur in codice *Jebamoth*, MAIMONIDE, *Jore Dea*, aliisque Iudæorum scriptis. Vid. IO. SELDENUM *de iure nat. & gent. iuxta disciplinam Ebræor. libr. II. cap. IV. sub fin. oper. vol. I. p. 197.* IO LIGHTFOOTUM in *horis ebraicis* ad *1 Cor. VII. 14. oper. tom. II. p. 304.* Proinde τεκνα ethnicorum Iudæis erant ακαθαρτα ex *Act. X. 28.* Iudæorum autem αγια. Nec dubitamus, ad huncce sensum genti iudaicæ notissimum in oraculo supra excitato alludere sanctissimum servatoris legatum, adeoque per τεκνα αγια intelligere liberos intra christianismum genitos, postquam vel pater vel mater ad christianam religionem transiisset. Sermo itaque heic non est de sanctitate mere *politica*, quæ id tantum efficit, ut proles sit legitima, non adulterina; talem enim sanctitatem & ii habent liberi, qui e matrimonio duorum infidelium nascuntur. Nec loquitur apostolus de sanctitate *interna*, ac si ii liberi, qui ex credentibus ac sanctis nascuntur, vere participes sint Spiritus sancti & per eum inserantur corpori ecclesiæ. Nemo enim est, qui ignoret, multos dari parentes Deum amantes ac colentes, qui liberos habeant sibi valde dissimiles, quibusque religio numinis prorsus nulla est. Luculenta hanc in rem habemus exempla in regibus Iudæ, in quibus alternis quasi vicibus patrem deprehendimus probum, filium vero nepotesque improbos. Nihil itaque superest, quam ut dicamus, apostolo sermonem heic esse de sanctitate *ecclesiastica*, quæ propinquiorem aliquam cum ecclesia necessitudinem & apertiorem ianuam ad fidem importat, quem ad modum bene ad *h. l.* adnotavit b. BENGELIUS in *gnom. nov. test p. 643.* Liberi quippe fidelium, a mundo segregati, in communione ecclesiæ externa vivunt, & educantur, & privilegiorum ecclesiæ fiunt participes; quorsum & ista prærogativa pertinet, qua ipsis aditus ad baptismum proximior, quam liberis infidelium *extra ecclesiam* est concessus.

quidam extra castra aliquamdiu manere cogebantur: ita quoque liberi infidelium immundi dicuntur, quia non statim in infantia patet illis aditus per baptismum in ecclesiam, cujus typus castra Israelitica fuerunt, sed in annis discretionis prius sunt informandi in fide christiana. Menzerus tom. III. disp. Marpurgens. disput. 14. thes. 116. scribit, *apostolicum sermonem adsinem esse discrimini Mosaico inter animalia munda, quae sacrificare & edere fas erat; & immunda, a quibus oportebat abstinere.* Lev. XI. *Ut enim his erat sanctitas sive mundities Levitica, quae neque spiritualis erat, neque mere civilis: ita apostolus sanctitatem intelligit ecclesiasticam, hoc est, privilegium in ecclesia ad impetrandum baptismum.* Eph. II. 11. *Memores estote, quod aliquando vos, qui gentes eratis in carne, qui dicebamini praeputium*, v. 12. *quod eratis in illo tempore sine Christo, alienati a republica Israelis & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes & sine Deo in hoc mundo;* v. 13. *nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi;* v. 14. *ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriae solvit;* cum in nov. test. discrimen inter Judæos & gentes abolitum sit, inde etiam christianorum liberi gaudent illa promissione: *Ero Deus tuus & Deus seminis tui.*

2.) *Qui ex alterutro parente christiano sunt nati.*

II.) Nomine liberorum ex christianis parentibus natorum intelliguntur illi, qui ex alterutro parente christiano nascuntur, quibus itidem patet ad baptismum aditus. 1 Cor. VII. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat eam*, v. 13. *& si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* v. 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Sicut mundis *omnia munda*; Tit. I. 15. ita quoque viro fideli mulier infidelis est munda, ut possit sine peccato ei cohabitare, ac liberi ex tali conjugio nati itidem sunt mundi ac sancti, hoc est, pro liberis christianis, non autem ethnicis sunt censendi; ideoque ex ecclesia non sunt excludendi, sed propter alterutrum parentem fidelem, ut in ecclesiæ gremio nati, sunt æstimandi, atque ad baptismum admittendi.

3.) *Quorum parentes ad christianismum sunt conversi.*

III.) Illi liberi, quorum parentes ex ethnicismo, vel judaismo ad christianismum sunt conversi, licet in ethnicismo vel judaismo geniti sint ac nati, itidem pro liberis christianis habendi, & ad baptismum admittendi sunt, id quod comprobat exemplum apostolorum, qui *integras familias* baptizarunt. Act. XVI. 15. 33. XVIII. 8. 1 Cor. I. 16.

4.) *Qui a christianis parentibus adoptantur.*

IV.) Qui a christianis parentibus adoptantur. Ut enim per υἱοθεσίαν spiritualem, per adoptionem in Christo vere reddidimur Dei filii, ita quoque a christianis parentibus adoptati pro liberis ipsorum sunt habendi.

5.) *Qui per legitima media transeunt in christianorum potestatem.*

V.) Qui per legitima media, puta bello justo, emtione, donatione &c. transeunt in christianorum potestatem(*), & quo-

(*) Jam in veteri ecclesia christiana hæc obtinuit consuetudo, ut infantes infidelium, qui divina providentia in potestatem venerant christianorum, baptizarentur. Distertis verbis id testatur AUGUSTINUS in libr. *de gratia & libero arbitrio, cap. XXII. tom. X. oper. fol. 490.* ubi hæc leguntur verba: *Aliquando filius infidelium praestatur haec gratia, ut baptizentur; quum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque pervenerunt.* Nos vero, ita pergit AUGUSTINUS, legitime in potestatem christianorum venire iudicamus, si vel iusto bello capiantur, aut emantur a christianis, ut videre est ex Genes. XVII. 12. *Circumcidetur vobis natus dies octo omnis mas per aetates vestras, natus domi & emtus pecunia tua.* Atque hanc consuetudinem, paganorum, iudæorum & turcarum infantes, si in christianorum venerint potestatem, baptizandi, ecclesia christiana in hunc usque diem retinuit. Secus se se res habet, si infantes adhuc sub potestate parentum infidelium maneant. Hocce enim in casu eos, pa-

quorum loco christiani spondent, quod in fide christiana progressu ætatis sint informandi. Constat ex institutione divina, non vernaculum duntaxat, sed & emtitium fuisse circumcisum; Gen. XVII. 12. idem ergo in baptismo observandum erit. Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi.* v. 39. *Vobis enim & filiis vestris facta est promissio, & omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster;* ubi Petrus divinam promissionem etiam ad eos pertinere testatur, qui ratione nativitatis suæ longe sunt, mirabili tamen Dei providentia per media legitima advocantur. Per μακρὰν ὄντες intelliguntur gentes, ut probat evidentia textus & Paulus Eph. II. 17. quotquot igitur ex gentibus quantumvis infidelibus Deus ad cœtum christianorum adduxerit, non debent excludi a mediis, quibus promissionis illius reddantur participes: media pro diversitate objectorum sunt diversa: quoad adultos, locum habet informatio, quoad infantes, baptismus. Idipsum etiam comprobat praxis veteris ecclesiæ, de qua vide Ambrosium vel potius Prosperum libr. II. de vocat. gent. cap. 8. Augustinum de grat. &, liber. arbit. cap. 22. *Aliquando filiis infidelium praestatur haec gratia, ut baptizentur, cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque perveniunt.*

Antithesis eorum, qui infantibus populorum infidelium simpliciter denegant baptismum.

§. CXCIX. Discedimus ergo ab illis, qui infantibus populorum infidelium, utpote ethnicorum, Judæorum, Turcarum: &c. simpliciter denegant baptismum, ut patet ex epistola Calvini pag. 253. & Bezæ pag. 96. Itemque ex colloquio Mompel. pag. 491. *Turcarum liberos non baptizamus, nisi fidem suam profitentes.* Beza pag. 2. quæst. 120. *Neque enim quosvis infantes admisero. Nam neque Mahumedanorum, neque Judaeorum liberos recepero, quia fœderis tabulis non comprehenduntur.* Bucanus loco XLVII. p. 635. *Parvuli infidelium, si ab illis quidem negligi, a christianis autem susceptisint, non sunt e vestigio baptizandi.* Atqui 1.) particula universalis *omnis*, in mandatis & promissionibus divinis de baptismo usurpata testatur, salutem in baptismo ex æquo & sine discrimine offerri & exhiberi omnibus omnium ordinum & nationum hominibus. 2.) Deus est ἀπροσωπολήπτης, qui salutare hoc lavacrum & peccati remedium instituit in usum omnium gentium, non modo adultorum, sed etiam infantum sine discrimine nationis vel sexus. 3.) Apostoli baprizarunt universos & singulos, professione fidei christianæ primæ ecclesiæ sese conjungentes, & quidem integras eorum familias. 4.) Abrahamus servorum suorum liberos absque ulla dubitatione ac cunctatione circumcidit, Gen. XVII. 23. quamvis ex semine ipsius non essent nati. 5.) Quo etiam pertinet locus Cypriani, jam ante citatus: *Haec fuit in concilio nostro communis sententia de baptismo & gratia Dei, qui omnibus misericors, benignus & pius est: neminem per nos excludi debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse, cum Dominus Petro dixerit: neminem hominum communem & immundum esse dicendum;* libr. III. epist. 8. ad Fidum. Idem repetit Lutherus in cap. XVII. Gen. *Caput theologiae est, Deum Judaeorum & gentium esse.* 6.) Opinio illa adversariorum nititur falsa hypothesi, nimirum quod liberi christianorum parentum ex utero matris nascantur sancti, atque ipso actu in fœdere gratiæ comprehendantur, cujus obsignatio tantum per baptismum illos contingat, qua de re paulo post uberius disseremus.

An infantes parentum infi-

§. CC. Neque tamen illi infantes, qui sub potestate infidelium adhuc

parentibus invitis, nec eripi debere, nec initiari, communis & recepta est omnium cœtus christiani doctorum sententia. Parum quippe profuturus esset eiusmodi baptismus, si parvuli in parentum infidelium potestate manerent, iique in religione vel gentili, vel iudaica, vel Muhammedica, educarentur. Vid. præter GERHARDUM nostrum §. CC. DEDEKENNI *consil. theol. vol. I. f. 409.* & GEORG. KOENIGII *casus conscientiæ p. 282.*

delium per vim illis eripiendi sint?

adhuc parèntum sunt, per vim parentibus eripiendi, ipsisque invitis baptizandi sunt. Glossa in c. Judæorum, 28. quæst. 1. ubi dicitur, *quod parvuli Judaeorum non possint eripi parentibus, & baptizari illis reluctantibus.* Thomas libr. II. 2. quæst. 10. artic. 10. Henriquez in summ. moral. libr. II. cap. 25. Bannes in Thomæ loc. dict. (*). Sane quidam ex canonistis contrarium statuunt, (utpote archidiaconus Johannes Andreæ & alii, quos refert Simanca de cathol. instit. titul. 29. num. 53. Cævallos practic. quæst. 735. num. 10. & seqq.) sed illis obstat 1.) regula apostolica 1 Cor. V. 12. *Quid ad me attinet, de iis, qui foris sunt, judicare? &c.* 2.) Conditio baptismi, quæ est χειμήλιον solius ecclesiæ proprium, cujus jus & usus extra illam se non extendit. 3.) Defectus mandati ac promissionis divinæ: nullum enim mandatum, nullum exemplum hac de re in sacris literis habetur. 4.) Periculum præsentissimum, ne baptizati in parentum infidelium potestate post baptismum relicti, per eosdem ad nefariam apostasiam impellantur: unde concilium Toletanum IV. cap. 59. statuit: *Judaeorum liberos baptizatos aut in monasteria, aut cuidam christiano tradendos, a quo tam in moribus, quam in vita recte instituantur.* 5.) Jus naturæ. Infantes enim jure naturæ sunt proprii suorum parentum, nisi scilicet ex mancipiis & vernis nascantur. Jam vero evangelium non abolet politias. 6.) Æquitas politica. Æquum enim est, ut illis, quibus vel extra vel intra rempublicam christianorum sua qualiscunque αὐτονομία in rebus ecclesiasticis & politicis conceditur, nulla vis baptismi nomine inferatur.

in hæresi educaturos?

§. CCI. Ex iisdem fundamentis adparet, non esse baptizandos liberos illorum hæreticorum, qui palam protestantur, se liberos, in potestate patria sibi relictos, in hæresi illa educaturos esse. Nam 1.) pari passu ambulant cum infantibus infidelium, cum parentes ipsorum itidem sint extra ecclesiam, a qua nefarium fecere divortium. 2.) Baptizati renunciant diabolo & omnibus ejus operibus, inter quæ hæresis non postremum obtinet locum. Adde quod sacramenta sint symbola confessionis & doctrinæ. 3.) Nullum exstat mandatum de baptizando tali infante, quin imo contrarium mandatum institutioni baptismi est adnexum: Matth. XXVIII. 20. *Docete eos servare, quaecunque praecepi vobis;* & cum baptismo vera pœnitentia & fides in concionibus apostolicis conjunguntur Matth. III. 2. Act. II. 38. Eph. IV. 5. 4.) Ut nihil interim dicatur de abusu piarum precum, adeoque ipsius baptismi, de scandalo infirmorum, de perpetua baptizantis ministri dubitatione, rectene an secus faciat, &c.

An baptizandi liberi hæreticorum, qui palam protestantur, se liberos

Objectiones. 1.) Omnes infantes paris sunt conditionis.

§. CCII. At 1.) inquis, *omnes infantes natura pares sunt, videlicet concepti & nati in peccatis,* Psalm. LI. 7. *ac natura filii irae.* Eph. II. 3. *Ergo non est tale quoddam inter eos statuendum discrimen, ut quibusdam ad baptismum pateat aditus, quibusdam vero obstruatur.* Resp. ratione peccati originalis omnes quidem infantes pares sunt, interim tamen manet hoc inter eos discrimen, quod quidam in ecclesiæ gremio & pomœriis, quidam vero extra ecclesiam nati sint; ad illos pertinet promissio: *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui,* Gen. XVII. 7. hi vero sunt *immundi;* 1 Cor. VII. 14. illis patet statim in infantili ætate aditus ad baptismum: ad hos vero, quamdiu nec ipsi, nec parentes ipsorum religionem christianam amplectuntur, nec Dei promissio, nec fœdus gratiæ, nec baptismus pertinet, sed sunt *alieni a testamentis promissionis,* Eph. II. 12. quæ omnia ex fundamentis superius adductis manifeste patent.

(*) Udalricus Zasius in tractatu de Judæis quæst. I. *An Judæi infantes sint invitis parentibus ad baptisma asserendi*, late de hac quæstione differit. GERHARDUS.

§. CCIII. II.) Instas: *Hac ratione infantes luunt culpam parentum, cum tamen ipsi sint insontes, ideoque vigore effati divini:* Ezech. XVIII. 20. *non debeant portare iniquitatem parentum suorum.* Resp. dicti prophetici uberiorem explicationem proposuimus in tractatu de *naturæ Dei* §. 158. hac vice repetimus, tunc demum liberos non portare iniquitatem parentum, si nimirum ipsimet sint innocentes, vel si a parentum impietate ad Deum convertantur: jam vero in proposita quæstione infantes Turcarum, aliorumve infidelium, non sunt innocentes, cum non solum in peccatis nati sint, sed etiam destituantur vera pœnitentia ac fide: quod si in ætate adulta vere ad Deum convertantur, non minus quam reliquis ad baptismum & salutem ipsis patet aditus. Cæterum in tractatu de *prædestinatione* copiose probatum fuit, media salutis, inter quæ & baptismus, quibusdam esse propinquiora, ita ut minori cum labore ad illa perveniant, quam reliqui. Sicut gentiles in mediis ethnicismi tenebris nati majori cum difficultate ad veram [Dei cognitionem perveniunt, quam illi, qui in ecclesia verbum audiunt: ita quoque infantes eorum in ætate adulta prius instituendi, postea demum ad baptismum admittendi, non tam propinquum & immediatum habent ad baptismum aditum, quam christianorum liberi, quæ omnia *mirabilem gratiae divinae variationem*, ut Prosper loquitur, arguunt.

2.) *Infantes non debent luere culpam parentum.*

§. CCIV. III.) Regeris: *Deus vult omnes salvos fieri.* 1 Tim. II. 4. *Ergo nullos a baptismo excludit.* Resp. Deus neminem ad se venientem, ac vel per se vel per alios baptismum petentem a salute & mediis salutis excludit; quod autem liberi infidelium per parentes (in quorum potestate sunt) a baptismo excludantur, id non Deo, sed parentum culpæ tribuendum. Deus beneficentiam suam erga infantes, etiam infidelium parentum, manifeste comprobat, advocando quosdam ex illis mirabili sua providentia ad baptismum & ecclesiæ gremium Act. II. 39. Voluntas Dei de salute hominum non est *absoluta*, sed ad ordinem & usum mediorum restricta: vult quidem omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, interim etiam hoc vult, ut verbum & sacramenta, quæ sunt media salutis divinitus ordinata, non rejiciantur; uti neminem invitum salvat, ita quoque neminem ad salutis media violente cogit.

3.) *Deus vult omnes salvos fieri.*

§. CCV. Urges: IV.) 1 Tim. V. 8. *testatur apostolus, quosdam christianos esse pejores ethnicis, eos scilicet, qui suorum curam non habent, vel aliis sceleribus gravioribus sese immergunt. Ergo non erat tale discrimen inter infantes christianorum & infidelium statuendum.* Resp. distinguendum inter *professionem* fidei, & *vitam* professione illa dignam. Quamvis quidam christianorum parentum ethnicis sint deteriores propter vitæ impietatem, interim tamen in ætate infantili susceperunt baptismum, per quem in fœdus Dei sunt recepti, ac profitentur adhuc fidem christianam, ideoque pro externis ecclesiæ membris adhuc habendi sunt. Quamvis vero propter impœnitentiam & incredulitatem actu non fruantur beneficiis in fœdere baptismi ipsismet promissis ac collatis; tamen ex parte Dei fœdus manet ratum ac firmum, ut per veram pœnitentiam ad illud perpetuo ipsis pateat reditus, ut nullo alio baptismo vel alio fœdere indigeant, inde etiam liberi illorum gaudent adhuc ista prærogativa, quod ad baptismum ipsis pateat aditus; cum contra infidelium liberi eam non habeant, utpote *alieni omnino a testamentis promissionis* Eph. II. 12. Augustinus in epist. LXXV. ad Auxilium concludit: *Si quis nascatur ex parentibus excommunicatis, illum tamen, hujusmodi excommunicationis participem esse non posse, cum neque sit criminis particeps, proinde non esse a baptismo excludendum.*

4.) *Quidam christiani sunt pejores ethnicis.*

§. CCVI. Antequam ab objecto baptismi discedamus, excutiendæ sunt aliquot quæstiones. Quæritur, I.) *an infantes spurii ex*

Quæstiones circa pædobaptismum.
1.) *An infantes*

spurii baptizandi?

ex incestuoso, adulterino ac quovis illicito concubitu nati ad baptismum sint admittendi? Adfirmatur: 1.) quia per christianos parentes, quorum liberis ad baptismum diximus patere aditum, non intelliguntur illi, qui veram & salvificam fidem sanctæ vitæ fructibus testantur, atque ὄντως christiani, electi & Dei filii sunt, qua ratione nunquam certo constare posset, quinam infantes ad baptismum admittendi sint; sed in genere omnes, qui fidem christianam profitentur, verbo & sacramentis utuntur, atque in externa ecclesiæ societate locum habent. 2.) Quia prærogativa illa liberorum ex christianis parentibus natorum, haudquaquam nititur probitate ac dignitate parentum, sed divina illa promissione: Gen. XVII. 7. *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui;* proinde non exspirat vel evanescit propter impietatem parentum. 3.) Quia parentes talium liberorum, quamvis in externa graviora delicta prolapsi, gratiam Dei ac Spiritum sanctum amiserint, ac proinde beneficiorum fœderis in baptismo initi non amplius sint participes actu; tamen ex parte Dei fœdus illud manet ratum ac firmum, ac proinde liberi ex illis nati pro liberis fœderis sunt censendi. 4.) Quia in vet. test. etiam illi infantes circumcisi sunt, qui ex scortatione vel adulterio geniti, ac quorum parentes gravioribus delictis contra conscientiam immersi fuerunt. Jud. XI. 1. *Iephtach erat filius mulieris meretricis*, idem tamen circumcisus fuit, quia *Spiritus Domini super eum factus*, v. 29. quia *seniores Gileaditarum in ducem eum eligunt*, v. 8. quia *sanctis viris adnumeratur*, Hebr. XI. 32. De filiolo, quem David ex Bethsabea illicito concubitu susceperat, ipse pronunciat 2 Sam. XII. 23. *Ego vadam ad eum:* ex quo intelligitur, quod per circumcisionem fuerit in fœdus Dei receptus. (Quidam tamen statuunt, hunc infantem ante octavum nativitatis diem, ac proinde ante susceptam circumcisionem in vivis esse desiisse, qua de re paulo post videbimus) Jeroboami filius Abia circumcisus est, cum *in eo aliquid boni a Deo repertum fuisse* dicatur 1 Reg. XIV. 13. cum tamen Jeroboamus & conjux ipsius essent idololatricis cultibus ac impietati dediti. 1 Reg. XII. 28. & seqq. 5.) Quia Deus spurios etiam manu sua opifice fingere & animam ac vitam eis impertire non dedignatur, quin sæpe efficit, ut γόθοι γε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες sint, ergo per aquam baptismi eosdem regenerabit. 6.) Quemadmodum spurios obligat lex divina de honorandis parentibus: ita ad eosdem pertinet promissio fœderalis populo Dei facta: *Ero Deus seminis tui.* Vide Augustinum epist. LXXV. ad Auxilium confacerdotem (*).

§. CCVII. Cæterum spuriorum baptismo obstare videtur I.) quod

Objectiones contra bapti-

(*) Augustinus libr. II. contra duas epistolas Pelag. cap. 6. & 7. proponit hanc quæstionem: *An infantes propter merita vel demerita parentum prædestinentur vel reprobentur?* & respondet negative, *quia sæpe fit*, (inquit) *ut infans natus ex parentibus optimis & sanctissimis sine baptismo moriatur & pereat: natus vero ex parente fornicatore & matre meretrice per baptismum regeneretur & salvetur.* Anno 1589 die 11. Mart. habita est synodus Calvinistarum Vilmæ, in qua publice decretum est, *ne quis parvulos illegitime natos baptizare audeat.* Hadrianus Jungius libr. III. de doctrina & moribus evangel. cap. 17. pag. 393. Anno 1587. in Palatinatu articuli quidam Calvinisticæ reformationis disseminati sunt, quorum secundus habebat hæc verba: *Infantes, qui ex illegitimo thoro nascuntur, æternæ perditioni ac damnationi obnoxii sunt, nec per baptismum juvari possunt.* Becanus in aphorism. Calvinistarum aphorism. XXII. pag. 61. *Scio hos articulos a quibusdam Calvinistis rejici tanquam supposititios. Sed videtur hæc sententia aperte sequi ex principiis Calvini. Ipse enim docet, promissionem Abrahæ & aliis fidelibus parentibus factam jure hæreditario descendere ad filios per carnalem generationem eo modo, quo civilia pacta, feuda & bona hæreditaria parentum ad filios derivantur. Atqui tam divino quam humano jure pacta & bona paterna derivantur ad filios legitimos, non autem ad illegitimos. Ergo illegitimi non continentur in promissione Abrahæ facta. Ergo sigillo baptismi obsignari non debent.* GERHARDUS.

mum spuriorum. 1.) quod spurii prohibentur ingredi ecclesiam Domini, Deut. XXIII.

I.) quod *peculiari mandato Dei* ממזר, *hoc est, de scorto natus, prohibetur ingredi ecclesiam Domini etiam decima generatione.* Deut. XXIII. 2. *Ergo a circumcisione fuit prohibitus, ac proinde etiam a baptismo arcendus.* Resp. *ingredi ecclesiam*. hoc loco non significat fieri membrum ecclesiæ, interesse publicis sacris, sed publico officio in ecclesia ac politia fungi. Vers. 1. Eunuchi attritis vel amputatis testiculis & abscisso veretro itidem prohibentur ecclesiam ingredi; quod si hac loquendi formula ab auditu verbi & usu sacramentorum excluderentur, ab ipsa quoque salute excluſi forent, cujus contrarium testatur Esaias LVI. 4. Similiter Ammonitæ ac Moabitæ prohibentur ingredi in ecclesiam in æternum, v. 3. quod non potest eo sensu accipi, ac si aditus ad ecclesiam illis plane fuerit intercluſus, cum Ruth Moabitis in genealogia Christi locum habeat, Matth. I. 5. cumque filiis advenæ locus in populo Dei promittatur. Esaiæ LVI. 6. Quæ omnia evidenter probant, spurios hac Dei lege non a publicis sacris & usu sacramentorum; sed a publicis officiis ecclesiasticis ac politicis excludi; quod enim Iephtah dux Gileaditarum constituitur, illud tanquam extraordinarium regulæ generali non præjudicat.

Cur spurii a publicis officiis olim excluſi?

Prohibuit autem Deus spurios a publicis officiis a.) propter natalium dedecus; ut enim fœdum est e stupro natum esse, ita talis ortus splendore ac honore publicorum officiorum merito indignus censetur. b.) Ne vilescat matrimonii dignitas, ac scortationes invalescant. c.) Ne officia publica propter ortus personarum vilitatem ac probrum in contemtum veniant, suamque auctoritatem amittant. d) Ne per hujusmodi homines ad dignitatem evectos reipublicæ detrimentum aliquod contingat. Tales enim (quamvis id universaliter non sit accipiendum) ex turpi ortu depravatos animos habere solent. Andreas Osiander in notis marginalibus. Deut. XXIII.

§. CCVIII. II.) *Quod Deus inobedientibus comminatur* Deut. XXVIII. 18. maledictum fore fructum ventris ipsorum. *Ergo liberi eorum non erunt ad baptismum admittendi.* Resp. 1.) Jam ante demonstravimus, liberos impiorum parentum fuisse circumcisos: ergo nec a baptismo in novo testamento prohiberi poterunt. 2.) Exstat divina promissio Ezech. XVIII. 20. quod *filius non sit portaturus iniquitatem parentum*, quæ vero major pœna talium liberorum excogitari posset, quam quod in ecclesia nati a sacramento baptismi essent excluſi? 3.) Si isthæc comminatio de æterna maledictione accipienda, consequens foret, omnes impiorum liberos æternæ maledictioni esse obnoxios, cum sit generalis illa comminatio omnes omnino complectens, quid vero fiet de piis impiorum parentum liberis? puta de Abia Jeroboami, Hiskia Achabi, Iosia Ammonis filio &c. 4.) Ergo, ut comminatio illa, quæ exstat Exod. XX. 5. *Visitabo iniquitatem parentum in liberis in tertiam & quartam generationem*, duplici conditione accipienda est, *primo* quidem, si liberi insistant viis parentum, *secundo* cum distinctione inter pœnas temporales & æternas: ita quoque iisdem conditionibus comminatio in Deuteronomio accipienda erit, quod scilicet tales liberi futuri sint steriles, quod in populo Israelitico maledictionis & opprobrii loco habebuntur, vel quod alias vitam ærumnosam & infelicem sint acturi.

2.) Quod impiorum liberi maledicti pronunciantur.

§. CCIX. III.) *Quod de liberis adulterorum dicitur* Sap. III. 18. *Si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die cognitionis consolationem*, v. 19. *nationis enim iniquæ dirae sunt consummationes. Ergo frustraneum fuerit eos baptizare.* Resp. 1.) Liber Sapientiæ non est in canone. 2.) Auctor hujus libri non damnat in genere omnes impiorum ac scortatorum liberos, id enim repugnaret exemplis Jephtæ, aliorumve piorum, sed impiam impiorum posteritatem

3.) Quod nationis iniquæ dirae dicantur consummationes.

tatem damnat, ubi scilicet posteri imitantur majorum suorum impietatem ac scelera. 3.) Ac proinde loquitur de illis, quæ contingunt ut plurimum. Cum enim tales liberi plerumque a parentibus negligantur, nec in timore Dei ab ipsis educentur, Eph. VI. 4. inde accidit, ut in impietatis cassas prolapsi æternæ damnationi involvantur. 4.) Textus græcus ita sonat, ut non incommode ad temporales potissimum illorum liberorum pœnas referatur. v. 16. τέκνα μοιχῶν ἀτέλεσα ἔσαι, καὶ ἐκ παρανόμε κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται. v. 17. ἐάν τε γὰρ μακρόβιοι γένωνται, εἰς ὐδὲν λογισθήσονται καὶ ἄτιμος ἐπ' ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν. v. 18. ἐάν τε ὀξέως τελευτήσωσιν, ὄκ ἔχουσιν ἐλπίδα, ὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμύθιον. v. 19. γενεὰς γὰρ ἀδίκε χαλεπὰ τὰ τέλη.

§. CCX. Quæritur, II.) *An infantes exposititii sint baptizandi?* Affirmatur. 1.) Quia ad regenerationem & salutem hoc sacramentum infantibus est summe necessarium. Joh. III. 5. Ergo quantum in nobis est, nullum infantem eo defraudemus. Ac repetenda sunt hoc loco fundamenta, quæ pro spuriis adlata: eadem enim etiam pro expositititiis militant. Quid vero si addita sit schedula, infantem illum baptizatum esse testificans? In causa tam ardua schedulæ testimonio non est fidendum, nec infantes illi perpetuis tentationibus ac dubitationibus in ætate adulta certissime metuendis exponendi: unde concilium Carthaginense V. ab episcopis 73. circa annum Christi 401. congregatum statuit, quod infantes, de quorum baptismo nihil constat, sine omni scrupulo & hæsitatione baptizandi sint. Verba can. 6. hæc sunt (*): *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Gregorius libr. III. epist 4. ad Bonifac. & habetur c. parvulos dist. 4. de consecrat. *Parvulos, qui parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint, ignorant, hos ut baptizare debeas secundum patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.* Leo epist. XXXV. *Non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur: atque ideo quoties talis persona inciderit, solicita primum examinatione discutitur, & longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indagatur, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nascentis, & cum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione proliberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus inse nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 6. sect. 4. *Sciendum, quod illi, de quibus nulla exstant indicia inter propinquos, vel domesticos, vel vicinos, a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne pereant, in quibus quod non creditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur, quod collocatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit praesumtionis, ubi est diligentia pietatis.* Quæ sententia est Leonis papæ in epist. XC. (aliis 92.) ad Rusticum cap. 16. & adlegatur dist. 4. de consecr. can. 113. Scholastici statuunt, tales infantes, de quorum baptismo dubitatur, cum conditione baptizandos esse. In decretalibus Gregorii libr. III. tit. 42. c. 2. papa Alexander III. ita respondet: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Sed hunc baptizandi morem graviter insectatur Lutherus tom. VIII. Jen. f. 50. & Witteb. XII. p. 193. in colloq. Mens. p. 179. ac prohibet ejus usum conslit. elect. Sax. art. generali. 2.) Quia per illum baptismus talium infantum adhuc incertior redditur. Tenenda igitur hoc loco regula: *Non potest dici iteratum, quod nescitur esse factum.* Nec licet formam baptismi categoricam mutare in hypotheticam, unde dubitationes exsurgunt perpetuæ, tum in eo, qui administrat, tum qui percipit *conditionaliter* hoc sacramentum; semel an bis, recte an male collatus sit baptismus.

2.) *An infantes expositititii sint baptizandi?*

§. CCXI.

(*) Vid. HARDUINUM in *actis concil. tom. I. fol. 987.*

§. CCXI. Quæritur III.) *Quomodo cum infantibus agendum, quos fœminæ in casu necessitatis baptizarunt, si superstites maneant?* Resp. ordinatio ecclesiastica electoris Augusti pie statuit, tales infantes ad templum deferendos, manus iisdem ab ecclesiæ ministro cum precibus imponendas; & de baptismo illorum adcurate quærendum, qua materia, quaque verborum forma mulierculæ fuerint in baptizando usæ, ut publicum de tali baptismo exstet testimonium, quod ignitis satanæ telis insans hoc modo baptizatus opponere possit. Quod si mulierculæ baptismi administræ fateantur, se nescire qua materia, quaque verborum forma in illa festinatione usæ fuerint, citra ulteriorem deliberationem tales infantes in ecclesiæ conspectu a ministro verbi baptizentur. Beda libr. V. histor. Anglicar. cap. 6. narrat exemplum de quodam Johanne Hagulstadensi episcopo, qui ministrum suum Herberd nomine de integro baptizarit, eum audisset, eum antea a presbytero quodam baptizatum, cui munus baptizandi fuerat interdictum, propterea quod præ stupiditate & tarditate ingenii, catechisandi & baptizandi ritum non recte potuisset administrare.

Quomodo agendum cum infantibus, qui manent superstites post baptismum a fœmina in casu necessitatis susceptum?

§. CCXII. Quæritur IV.) *An etiam infantibus excommunicatorum baptismus conferendus?* Resp. quod sic. Rationes pro hac sententia militantes, desumuntur: 1.) a prærogativæ illius liberorum, non a parentum probitate aut dignitate, sed a divina promissione dependentia. Gen. XVII. 7. 2.) a nativitate in ecclesia, quam non tollit excommunicatio, ut nec fœdus in baptismo semel initum ex parte Dei 3.) Ex regula justitiæ. Ezech. XVIII. Excommunicati ergo a possessione bonorum ecclesiasticorum sunt exclusi non ratione liberorum, sed tantum ratione sui.

An infantibus excommunicatorum baptismus sit conferendus?

§. CCXIII. Quæritur V.) *An liberi christianorum parentum ante baptismum sint in fœdere Dei ac sancti?* Calviniani adfirmant. Sic enim Calvinus in antidoto ad articulos Parisienses ad I. de baptismo p. 220. b. in tract. theol. edit. anno 1612. *Baptismo opus habent infantes non tanquam adjumento ad salutem necessario, sed tanquam sigillo ad obsignandam in illis adoptionis gratiam: sanctos enim fidelium liberos nasci tradit Paulus 1 Cor. VII. 14. non enim filii Dei per baptismum fiunt, sed quia promissionis beneficio haeredes sunt, ideo ad baptismum eos admittit ecclesia. Sic ergo habendum est: quemadmodum in patre fidelium Abrahamo praecessit justitia fidei circumcisionem; ita in fidelium liberis hodie baptismo priorem esse adoptionis gratiam, sicut promissionis verba sonant: Ego ero Deus seminis tui: hujus autem gratiae baptismum esse confirmationem.* Et libr. IV. inst. c. 15. sect. ult. *Hinc sequitur*, inquit, *non ideo baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab ecclesia.* sect. 20. *Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronunciat Deus, cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos.* Cap. 16. sect. 24. *Isaacum* (& alios fidelium parentum liberos) ait *haereditario jure secundum promissionis formulam jam a matris utero in fœdere contineri.* Et paulo post: *Qui a christianis originem ducunt infantes, ut in fœderis haereditatem statim ac nati sunt, a Deo excipiuntur, ita in baptismum sunt recipiendi* (*). Beza part. II. resp. ad colloq. Mompelg. pag. 102. *Sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sanctos, vi fœderis per fidem adprehensi.* Ibidem: *Haec est illa parentum fides sic aliena, ut electis eorum infantibus nascentibus facta*

5.) An liberi christianorum parentum ante baptismum sint in Dei fœdere ac sancti?

(*)! Idem in cap. IX. Matth. *Quæri b. l. solet, quatenus hominibus prosit aliena fides? ac primo quidem certum est, profuisse Abrahae fidem posteris, cum gratuitum salutis fœdus sibi & semini suo oblatum amplexus est. Idem & de singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos & nepotes propagent, etiam antequam nascantur, atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per ætatem fidei sunt capaces.* GERHARDUS.

facta sit sua ad fœderis in baptismo obsignationem alioquin non admittendis. Item: *Nec enim piorum infantibus primus ad salutem aditus est baptismus, sed ipsa ex piis parentibus propagatio.* pag. 103. *Ex quo fit, ut Christi membra nascantur.* Et postea: *Illa certe specie renovationis non indigent, unde in adultis certamen illud inter carnem & spiritum exoritur.* pag. 118. *Sanctos eos nasci* pronunciat, p. 129. *aeternae vitae jus*, inquit, *ex formula fœderis adquisitum illis ex piis parentibus nascendo fuisse*, adfirmo, pag. 130. *Ex carnali generatione non sequitur sanctos ac proinde in fœdere comprehensos non nasci sanctorum liberos, tantum abest, ut ex piis nasci nihil faciat ad regni cœlorum consecutionem.* Ibidem: *Patres credentes liberis suis jus christianae civitatis sua fide adquirunt* (*).

Argumenta pro parte quæstionis negatæ.

§ CCXIV. Nostra hæc est sententia, liberos christianorum hac quidem prærogativa gaudere, quod in infantili ætate, antequam in vera religione instituantur, baptizari possint & debeant; interim tamen ante baptismum propter hanc ex christianis parentibus nativitatem non esse in Dei fœdere, nec sanctos, sed natura filios iræ, non minus ac reliquos infidelium liberos, ac propterea indigere baptismo, quo ad vitam æternam regenerentur. Id confirmamus I.) ex omnibus scripturæ dictis, quæ de propagatione peccati originalis agunt, ea enim cum sint universalia, ipsos etiam fidelium liberos complectuntur: jam vero si liberi christianorum parentum sunt in peccatis concepti ac nati, quomodo per & propter carnalem ex parentibus suis nativitatem sunt in Dei fœdere ac sancti? Job. XIV. 4. *Quis dabit mundum ex immundo conceptum semine?* Cap. XV. 14. *Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus adpareat natus de muliere?* v. 16. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* (Sanguis, quem infans in utero per cotyledones imbibit, est peccato corruptus ac vitiatus. Joh. III. 6. *Quod natum est ex carne, caro est.*) Jam vero etiam fidelium liberi nascuntur ex carne, cum pii parentes non secundum spiritum & interiorem hominem, sed secundum carnem & exteriorem hominem liberos generent. Rom V. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, id est, in universum genus humanum (**). II.) Ex illis scripturæ testimoniis, quæ in specie de fidelium

(*) Idem volum. I. oper. p. 332. *Infantes ex fidelibus parentibus natos pro sanctis*, id est, *in fœdere divino comprehensis habemus & cum Paulo dicimus, si radix est sancta, sanctos etiam esse ramos.* Pelargus in antithes. apolog. contra Balduinum th. XCII. *Infantes, priusquam nascantur, in fœdere esse qui negat, negat Deum seminis nostri esse Deum, negat ad liberos nostros pertinere promissionem. Et ubi pepigit Deus fœdus? nunquid in baptismo primum? an non cum patre credentium Abrahamo, cujus nos etiam liberi secundum spiritum?* Thes. XCIII. adducit hæc dicta: Psalm. XXII. 11. *Super te projectus ab utero matris meæ, de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Gen. XVII. 7. *Ero Deus seminis tui.* Exod. XX. 6. *Faciens misericordiam in millia.* Paræus in cap. XI. Rom. col. 1143. *Transeunt jura hæreditaria familiæ vel gentis tum civilia: sic ex principe nascitur princeps, & ex Mahumetano Mahumetanus, cur non etiam ex christiano christianus?* Petrus Martyr in cap. XVII. Gen. *Infantes ex fidelibus natos ante baptismum ad Deum pertinere, etsi patrem aut matrem non habuerint Deo conjunctos, forte habuisse aliquos ex suis majoribus, ideoque eos esse membra ecclesiæ, propterea sanctos ex mera Dei misericordia, licet fidem veram in Christum non habeant.* Notandum vero, dissensionem esse inter Calvinianos. Si enim quæras, sintne omnes piorum liberi sancti, an tantum aliqui? respondet Zwinglius *universaliter* in sua confessione p. 236. *Quotquot sunt christianorum infantes*, (inquit) *de ecclesia populi Dei sunt, ejusque ecclesiæ partes & membra.* Sed Calvinus & Beza *particulariter* adfirmant, ut innuant, solos absoluto decreto electos esse sanctos. GERHARDUS.

(**) Calvinus ipse libr. IV. inst. cap. 15. sect. 10. p. 467. *Infantes ipsi suam secum damnationem a matris utero adferunt.* Et paulo post: *Imo tota eorum natura quoddam est peccati semen, ideo non odiosa & abominabilis Deo esse non potest.* At quomodo hoc cum nativa liberorum ex christianis natorum sanctitate conciliari potest? GERHARDUS.

lium parentum liberis agunt, eosdemque peccati originalis reos peragunt. Gen. V. 3. *Adam genuit filium secundum imaginem & similitudinem suam*; (talem genuit filium, qui antequam renasceretur, in spiritualibus cœcus, Dei inimicus & peccati servus erat, non autem secundum imaginem & similitudinem Dei genuit, ad quam creatus & renovatus erat.) Post diluvium non alii nisi Noahi liberi in terra superstites erant, nihilo tamen minus Deus Gen. VIII. 21. de illis pronunciat: *Figmentum cordis humani tantum malum ab infantia.* Psalm. LI. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* (David ex piis parentibus natus erat, 1 Sam. XVI. 1. neque tamen in peccatis se natum esse negat.) Eph. II. 3. *Eramus natura filii iræ sicut & cæteri.* (Apostolus erat origine Israelita & semen Abrahæ, 2 Cor. XI. 22. natura tamen se non minus, quam reliquos, filium iræ esse pronunciat). III.) Ex illis scripturæ pronunciatis, quæ testantur, non generationem, sed regenerationem, facere Dei filios. Matth. III. 9. dicit Johannes baptista ad pharisæos: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abrahamum.* Joh. I. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. his qui credunt in nomine ejus.* v. 13. *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Joh. III. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Joh. VIII. 34. cum Judæi de patre Abrahamo gloriarentur, Christus ipsis respondet: *Qui facit peccatum, servus est peccati*, natura ipsos peccati servos & sub peccatum venundatos esse docens. Rom. IX. 8. *Non qui secundum carnem filii, etiam Dei filii, sed filii promissionis pro semine aestimandi sunt* (*). Quo pertinent dicta piorum veterum. Tertullianus in apologet. cap. 17. *Fiunt, non nascuntur christiani*, quod reperit Hieronymus in epist. ad Læt. Augustinus lib. I. de nuptiis & concup. cap. 17. *De justis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei sed filii hujus seculi generantur.* Serm. XIV. de verb. apostol. *Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non generat, unde regeneratus, sed unde generatus.* Ibidem: *Peccator nascitur de semine justi, quomodo oleaster nascitur de semine olivae. Vis, ut de baptizato baptizatus nascatur, cum videas de circumciso non nasci circumcisum.* Idem in libr. de vera innoc. *Omnis generatus damnatus, nemo liberatur, nisi regeneratur. Sicut enim non ex semine vel grano arboris frugifera in horto arbor nascitur, quae bonum fructum adferat, sed insitione surculi est opus: ita quoque renasci insitione in Christum, eodem modo oportet.* Leo magnus epist. XCVIII. *Regenerationis sacramento per Spiritum sanctum filii promissionis renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis.* IV.) Ex omnibus scripturæ testimoniis, quæ de effectu baptismi agunt, quod scilicet sit lavacrum regenerationis & renovationis &c. Cum enim etiam christianorum liberos per baptismum regenerari oporteat, utique ante baptismum non sunt regeniti, nec sancti, nec Dei filii. Lutherus in cap. 21. Gen. *Quantumvis sancti sint pater & mater, tamen hoc filiis, qui ex eis nascuntur, non prodest: non salvantur ideo, sed si salvari debeant, opus est ut*

(*) Illa sanctitas obtingit infantibus aut *ordinarie* aut *extraordinarie*. Non *hoc*, quia Deus extra casum necessitatis omnia mediate per certa media confert, aut probent adversarii contrarium ex scripturis. Nec *illud*, quia *aut* istam sanctitatem habebunt a se, *aut* a parentibus. Non *a se*, quia *quid habes homo, quod non accepisti.* 1 Cor. IV. 7. Ergo a *parentibus*. Si *hoc*, ergo per eorum fidem & sanctitatem, aut per carnalem generationem. Non *prius*, quia *justus sua fide vivet*, Rom. I. 17. Hab. II. 4. & quemadmodum nemo aliena anima vivit, aliena ratione intelligit, ita nemo aliena fide credit, aliena sanctitate sanctus est. Non *posterius*, quia unum idemque non potest simul esse medium corruptionis & restaurationis, utpote rerum disparatarum. Jam vero propagatio peccati originalis fit per carnalem generationem. Ergo. Sicut musicus non gignit musicum, ita sanctus non procreat sanctum: habitus *personales* non transfunduntur in sobolem. GERHARDUS.

ut promissionis filii fiant, & ipsi quoque promissioni credant; ideo enim singulos oportet baptizari (*).

Quod opinio adfirmantium errori Pelagiano sit adfinis.

§. CCXV. Adde, quod opinio illa de sanctitate liberorum ante baptismum Pelagiano errori ex parte sit adfinis. Quamvis enim sanctitatis efficientiam merito Christi relinquant, nec naturæ innocentiam more Pelagianorum tribuant, in eo tamen ipsis ὁμόψηφοι sunt, quod gratiæ divinæ supra peccatum exuberantis rivulos non ex limine domus dominicæ ad nos dimanare, sed sine mediis divinitus ordinatis ad nos pervenire contendunt, sine quibus, excepto casu privationis, nihil sperare possumus aut debemus, ut testatur visio Ezech. XLVII. 1. & seqq. Usum igitur operis seu adplicationem meriti Christi ab ipso opere seu merito Christi non discernentes & gratiam Dei ac meritum Christi, sine mediis adplicationis magnopere prædicantes perinde faciunt, ac si quis fontem extra oppidum scaturientem magnopere quidem prædicet, sed cives ad canales seu fistulas, per quas aqua illa fontana ad oppidum deducitur, non deducat. Vide Heshusium in scripto contra errorem de sanctitate liberorum ex christianis natorum, recusum Erfordiæ anno 1584. Schilterum in catech. cap. de baptismo.

Exceptio adversariorum.

§. CCXVI. Excipiunt, *distinguendum esse inter sanctitatem fœderalem & internam. Sanctitatem internam a se non tribui liberis, sed sanctitatem fœderalem vi illius promissionis:* Gen. XVII. 7. *Ero Deus tuus & Deus seminis tui* (**). Resp. qua specie negare possunt internam sanctitatem liberis christianorum ante baptismum a se tribui, cum hanc hypothesin enixe tueantur, per baptismum non conferri infantibus donum υἱοθεσίας, adoptionis, regenerationis & salutis, sed tantum in illis per ba-

(*) Eadem veritas, quatuor rationibus supra stabilita, confirmari potest V.) ex communi morte Gen. II. 17. Rom. VI. 23. VI.) a redemtione Christi 2 Cor. V. 14. Rom. V. 6. VII.) a παλιγγενεσίας necessitate Joh. III. 5. VIII.) a communi experientia, quæ testatur, ex piis parentibus sæpissime nasci filios impios, ex Adamo Cain, ex Isaaco Esau, ex Davide Absalon. GERHARDUS.

(**) Pierius in refut. collat. doctrinæ Calvin. cum Augustana confessione art. II. th. 28. *Sancti dicuntur fidelium liberi, non natura, sed gratia, non ex parentum procreatione, sed gratuita Dei ejusmodi infantum in ecclesia recensione; non regeneratione & peccati originalis ablutione, sed a reliqua turba, quæ non est ecclesia, segregatione: non interna quadam & inhærente munditie & sanctitate, sed ad sanctitatem & cultum Dei consecratione, non jure propriæ sanctitatis, sed jure fœderis & promissionis; ero Deus tuus & seminis tui.* Gen. XVII. 7. Resp. sanctitas illa, quam Calviniani liberis fidelium tribuunt, ita describenda ex ipsorum verbis, ut sit innixa fidei parentum, ut filii per eam sint in fœdere Dei, in gratia Dei, filii Dei, habeant jus vitæ æternæ, nascantur membra Christi. *Si nascuntur sancti*, ut loquitur Calvinus, utique natura sunt sancti. Peccatum originale facit filium iræ, sanctitas autem ista filium gratiæ. Pelargus adhuc orthodoxus in notis ad Candidum pag. 22. *Quæso hic me ἀπαίδευτον placidus instruas. Sanctitas præceditne ut causa regenerationem, an tanquam effectus subsequitur? subsequi adfirmat apostolus:* 1Cor. VI. 11. *abluti estis, sanctificati estis.* Tit. III. 5. *Ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, ubi prior regeneratio renovatione vel sanctificatione. Quod si παλιγγενεσίαν sanctitas vera demum sequitur, quomodo ante illam esse dicitur? fœderalem, inquies, præcedere statuimus: at quænam illa fœderalis, quæ est prior ipso fœdere? ubi enim fœdus illud novum nisi in baptismo, in quo jus filiorum Dei primum adipiscimur, nisi enim quis renatus fuerit &c.* Rudolph. Gualterus homil. IV. in Joh. *Quid illa* (carnalis generatio) *faciat ad salutem, cum polluta sit, & naturæ corruptionem ex primo parente ceu hæreditario jure in nos transfundat? de illa certe David loquebatur:* Psalm. LI. En ego in iniquitatibus formatus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Peccatores ergo nascimur & filii iræ, non filii adoptionis, qui ad hæreditatem cœlestem admitti mereantur, unde Tertullianus olim recte dicebat:* Christiani fiunt, non nascuntur. GERHARDUS.

baptismum hæc dona obsignari? cum diserte scribant, liberos christianorum ante baptismum esse Dei filios, esse Christi membra, habere jus vitæ æternæ &c. Quæ omnia sine interna sanctitate non habent locum. Hebr. XII. 14. *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Quod porro ad sanctitatem fœderalem attinet, ea duplici modo intelligi potest: *primo* quod infantibus christianorum pateat aditus ad Dei fœdus per baptismum; *secundo*, quod ante baptismum actu sint in Dei fœdere; *priori* sensu concedimus fœderalem sanctitatem christianorum liberis, *posteriori* autem sensu negamus. Gen. XVII. 7. promittit Deus, quod velit esse Deus Abrahæ & seminis ejus, itemque in nov. test. omnium eorum, qui sunt ex fide Abrahæ, quorum liberos in fœdus gratiæ velit recipere, non autem *immediate* vel propter *carnalem* ex christianis parentibus *nativitatem*, sed in vet. testam. per sacramentum circumcisionis, in nov. test. per sacramentum baptismi, unde v. 10. additur: *hoc est fœdus meum, quod servabitis inter me & vos & semen vestrum, circumcidetur in vobis omne masculinum.* v. 14. *Masculus, cujus caro præputii non fuerit circumcisa, exscindetur anima ejus de populo suo, propterea quod pactum meum irritum fuerit.* Et Petrus Act. II. 38. 39. ex illa ipsa promissione colligit, quod per baptismum in fœdus recipi debeant. *Baptizetur unusquisque vestrum &c. Vobis enim & filiis vestris facta est promissio.* Vi ergo hujus promissionis liberi christianorum habent aditum ad fœdus Dei; non autem actu sunt in fœdere, cum extra necessitatis casum non nisi per media Deus nobiscum agat.

Argumenta adversario-rum. 1.) Liberi christianorum dicuntur sancti, 1 Cor. VII.

§. CCXVII. Opponunt I.) 1 Cor. VII. 14. *liberos christianorum expresse ab apostolo vocari sanctos, infidelium vero liberos immundos.* Resp. ostendimus paulo superius §. 198. non de mere *politica* munditie, nec de *interna* cordis sanctitate & munditie, sed de *ecclesiastica* quadam sanctitate loqui apostolum, quod scilicet tales liberi ex christianis parentibus nati, si vel maxime alteruter tantum parens fidelis sit, censeantur in ecclesia nati, atque aditum ad baptismum initiationis sacramentum habeant. Apostolus ibidem pronunciat v. 14. *virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem, & mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem*, id vero ad *internam* sanctitatem, quam conjuges sibi invicem communicent, haudquaquam torqueri potest. Ac repetenda sunt hoc loco scripturæ dicta de propagatione peccati originalis, quæ testantur, liberos christianorum non minus esse natura filios iræ, ac reliquos, concipi & nasci in peccatis, destitui gloria imaginis divinæ &c. Porro tres sunt patrum expositiones in hunc locum (*). *Una* est, *sanctos hic vocari liberos sanctitate quadam civili, quod scilicet legitimi sint, non spurii.* Ambrosius & Anshelmus in comment. Ut enim *mundis omnia munda*, Tit. I. 15 ita docet apostolus, ex cohabitatione uxoris infidelis virum fidelem non pollui coram Deo. *Altera* est, *filios horum conjugum dici sanctos, quia consecrantur Deo ab altero conjuge fideli, & per baptismum christiani fiunt, & in timore Dei educantur.* Tertullianus lib. II. ad uxor. Hieronymus lib. I. contra Jov. Augustinus libr. II. de peccat. meritis & remiss. c. 26. lib. III. cap. 12. &c. (**). *Tertiam* expositionem referunt Augustinus & Anshelmus l. d. estque eorum, qui dicebant, *sanctificari conjugem infidelem per fidelem, quia dicat*

(*) Non tantum patres veteris ecclesiæ christianæ, sed & recentiores interpretes christiani diversas hujus oraculi Paulini dederunt expositiones, quas, more suo diligenter recensuit b. WOLFIUS in *curis philol. & crit. tom. III. p. 309. seqq.* qui & *p. 401. seqq.* suam subjunxit ΕΠΙΚΡΙΣΙΝ.

(**) Idem epist. CVI. sanctitatem illam, de qua apostolus loquitur, non de *sanctitate fidei*, sed de *concione sacramentorum & similitudine professionis* interpretatur. GERHARDUS.

scat servare leges conjugii, & non abuti matrimonio, cum infideles non abstineant se a copula conjugali tempore menstrui, neque fervent modum naturalem. Secunda expositio proxime accedit ad textum. Addimus ἐκ περιτομῆς. Si vel maxime interna sanctitas cum regeneratione conjuncta in hoc membro de liberis fidelium intelligeretur, nondum tamen consequens fore, quod liberi sanctitatem illam ex parentibus per carnalem nativitatem secum trahant, sed quod in baptismo ejus participes reddantur, cum dubium nullum sit, Corinthiorum liberos, de quibus hic agit apostolus, fuisse baptizatos.

§. CCXVIII. II.) Rom. XI. 16. *Si primitiae sanctae sunt, etiam massa erit sancta: & si radix sancta, etiam rami erunt sancti* (*). *Ergo liberi christianorum propter nativitatem ex talibus parentibus sunt sancti.* Resp. nequaquam hoc vult apostolus, quod patriarchæ sua natura fuerint sancti, aut quod ipsorum posteritas propter carnalem ex illis nativitatem sancta fuerit, sed quod Deus primitias illas & radicem patriarcharum ita dilexerit, ut vellet ex ipsorum posteritate adhuc multos convertere, illuminare & regenerare. Scopus namque apostoli est, ostendere, quod *Deus non repulerit in universum populum suum.* v. 2. Id probat ex fœdere, quod non solum cum patribus, sed etiam cum posteris ipsorum fuit initum. Hoc argumentum apostolus duobus similibus exornat. *Si primitiae sanctae sunt, etiam massa: si radix sancta, etiam rami.* Prius simile respicit legem leviticam de oblatione primitiarum, per quam sanctificabantur fruges reliquæ. Exod. XXIII. 19. Lev. XXIII. 10. Num. XV. 19. Per primitias & radicem intelligit sanctos patriarchas, per massam & ramos ipsorum posteros, & ex illorum sanctitate etiam horum sanctitatem concludit hoc sensu: Si patres Israëlitici populi sunt sancti, id est, in peculiarem Dei populum electi, cui facta est promissio de Messia & ejus beneficiis, utique etiam posteri ipsorum erunt sancti, id est, pertinebit ad ipsos promissio de Messia & ejus beneficiis, modo vera fide eam amplectantur: hanc enim conditionem subintelligendam esse ostendit tota series illius capitis, præsertim v. 20. ubi apostolus expresse dicit: *Judaeos per incredulitatem defractos esse.* Ex quibus omnibus adparet, non intelligi hoc loco *internam* cordis & spiritus sanctitatem; alias sequeretur, omnes Judæorum liberos esse natura sanctos & in fœdere Dei comprehensos; sed *ecclesiasticam* illam sanctitatem, qua pateat ipsis aditus ad baptismum ac beneficia Messiæ. Mirum vero, hunc locum a Beza atque aliis adduci ad id confirmandum, quod diserte ibi negatur. Apostolus enim diserte ibidem v. 17. pronunciat, *nonnullos ramos esse defractos*, id est, quosdam ex sanctis majoribus natos esse propter incredulitatem rejectos. Primitiæ sive radix populi Judaici, id est, patriarchæ erant sancti, & tamen massa sive rami, id est, posteri non imitabantur eam sanctitatem, sed ex illis plerique, qui tempore Christi & apostolorum vixerunt, abjecti seu defracti sunt.

2.) *Si radix sancta, etiam rami erunt sancti, Rom. XI.*

§. CCXIX. III) *Christus jubet parvulos ad se venire, ac regnum cœlorum ipsis pollicetur, Marc. X. 14. Ergo parvuli natura sunt sancti & haeredes vitae aeternae.* Resp. 1.) Adducendi omnino sunt parvuli Christo, ut cœlestis benedictionis fiant participes, sed hoc ipsum fit per baptismum, qui est sacramentum initiationis, atque ordinarium illud medium, per quod parvuli regenerantur, renovantur, ac Christum induunt. 2.) Adde, quod parvuli illi per circumcisionem jam antea erant in Dei fœdus recepti (**).

3.) *Christus jubet parvulos sibi adduci, Marc. X.*

(*) Balduinus de casib. conscient. lib. II. c. 4. c. 10. *Loquitur apostolus de sanctitate legali, quia videlicet liberi fidelium parentum jus & privilegium habent consequendi bona ecclesiae, ad quae reliqui foris nati alieni sunt, donec & illos per legitima media advocaverit Deus.* GERHARDUS.

(**) IV.) Paræus in comm. epist. Gal. II. 15. p. 130. objicit, *Paulum dicere:* Nos natura Judæi.

§. CCXX. Quæritur V.) *An infantes baptizati credant?* Resp. sane infantes ex utero matris non adferunt secum fidem ad baptismum, interim tamen Spiritus sanctus per ipsum baptismi sacramentum fidem in cordibus illorum operatur, per quam υἱοθεσίας, remissionis peccatorum & vitæ æternæ participes redduntur, ut ostendimus superius §. 106. Hanc infantum per circumcisionem in vet. ac per baptismum in nov. test. fœderi divino insertorum fidem (*) demonstramus ex sequentibus fundamentis: I.) Scriptura disertis & expressis verbis fidem illis tribuit. Matth. XVIII. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus &c. v. 3. Amen dico vobis, nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* (Si infantes circumcisi & baptizati non haberent fidem, Christus fideles adultos non juberet illis fieri conformes.) Marc. IX. 42. *Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis, credentibus in me, bonum est ei magis &c. v. 15. Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* (Regnum Dei non accipimus nisi fide in Christum, quod si ergo recipere debemus regnum Dei sicut parvuli, utique etiam parvuli revera credunt (**).

Q. 1.) An infantes baptizati credant.

§. CCXXI.

dæi. *Ergo & natura (seu ipsa ex christianis parentibus nativitate) nos esse christianos.* Resp. est elenchus *amphibologiæ*. Nam φύσει esse Judæum Paulo apostolo non significat, *natura esse filium gratiæ*, sed *in Iudaismo esse natum*, & proinde non esse gentilem, nec esse proselytum ex gentibus. Quia 1.) ait ἀντιθετικῶς, *Nos natura Judæi & non ex gentibus peccatores.* 2.) Rom. II. 27. ethnicus dicitur ἐκ φύσεως præputium. Ergo Judæus dicitur Φύσει Judæus, id est, non natus ex præputio. 3.) Ratio proselytorum hanc exegesin etiam postulat Matth. XXIII, 15. Act. II. 11. & cap. XIII. 43. Hoc igitur tantum valet: Judæi natura fuere Judæi, id est, non proselyti vel alii gentiles. Ergo & christiani natura sunt christiani, id est, non ethnici nati extra ecclesiam, sed progeniti in christianismo. Fiunt vero, quando (loquimur de ordine a Deo in nov. test. præstituto) christiani, id est, filii Dei adoptati per baptismum. Gal. III. 27. Joh. III. 5. 6. GERHARDUS.

(*) In nota margini adscripta adnotavit GERHARDUS, argumenta præcipua, quibus veritas de *fide infantum* innititur, desumi posse 1.) *a* Christi testimonio. Matth. XVIII. 6. confer Luc. XVIII. 15. 2.) *ab* exemplo Johannis baptistæ. Luc. I. 44. 3.) *ab* exemplo circumcisorum infantum, Gen. XVII. 18. Rom. IV. 11. 4.) *a* confessione Davidis, Psalm. LXXI. 5. 5.) *a* fidei proprietatibus, quæ tribuuntur parvulis, 1 Joh. II. 12. 14. Psalm. VIII. 3. Matth. XXI. 16. 6.) *ab* effectibus fidei, qui tribuuntur infantibus, quorum positio ipsam fidem tanquam causam proximam præsupponit, Hebr. XI. 6. Matth. XIX. 4. Rom. III. 22. Gal. II. 16. Joh. III. 5. Tit. III. 5. Joh. I. 12. Eph. V. 26. Act. XV. 9. Gal. III. 26. Eph. III. 17. 1 Joh. V. 4. 1 Petr. I. 9. Luc. XVIII. 15. Rom. XIV. 18. Joh. XIV. 6. XV. 4. Act. IV. 12. Marc. XVI. 16. 7.) *ab* admirabili infantum in maximis doloribus patientia. 8.) *ab* omni impedimentorum absentia. GERHARDUS.

(**) Nota hic insuper 1.) Christus jubet Matth. XVIII. 3. *ut fiamus similes istius pueruli*, quem in medio statuerat & in ulnas suas susceperat, Marc. IX. 36. *si velimus ingredi regnum cœlorum.* Finge, istum puerulum fuisse fidei salvificæ expertem, nonne sequetur, quod ex Christi mandato debeamus hominis increduli fieri similes, ut ingrediamur regnum Dei. Debemus puerulum istum imitari non tantum quoad absentiam malitiæ, 1 Cor. XIV. 20. sed etiam quoad possessionem fidei salvificæ, ex qua sincera illa humilitas, de qua Christus loquitur, profluit. 2.) *Incredulorum*, qua talium *non est regnum cœlorum.* Apoc. XXI. 8. XXII. 15. Gal. V. 21. At talium παιδίων, id est, ejusmodi parvulorum, qui per sacramentum sive circumcisionis sive baptismi in fœdus Dei fuerunt adoptati, est regnum cœlorum. Matth. XIX. 14. Marc. X. 14. Luc. XVIII. 16. 3.) Quos puerulos sancti angeli vere amant, & singulariter fovent, ii sunt fidei salvificæ participes. Nam sicut Deus hominem fidei salvificæ expertem speciali suo amore & gratiosa præsentia non complectitur, donec resipiscat: ita sancti angeli homines incredulos non ita fovent. Luc. XV. 10. At infantes baptizatos sancti angeli vere amant

Exceptio Bellarmini & Bezæ: Pueros illos fuisse grandiusculos.

§. CCXXI. Excipit Bellarminus libr. I. de bapt. cap. 11. uti & Beza part. II. resp. ad act. colloq. Mompelg. pag. 97. 98. *Pusillos illos non fuisse infantes, sed pueros grandiores. Nam vocavit eos Dominus ad se, & scandalizari posse dixit, at venire suis pedibus, & scandali capacem esse, infantibus non convenit.* Resp. 1.) *Deus ex ore infantum & lactantium laudem sibi perficere dicitur.* Psalm. VIII. 3. Matth. XXI. 16. Quin & Christus de infantibus, quos in ulnas suas susceperat, diserte pronunciat: *talium est regnum cœlorum.* Matth. XIX. 14. Luc. XVIII. 16. Quomodo ergo infantes fide destituentur? 2.) Demus puerum, quem Christus statuit in medio discipulorum, fuisse quodammodo adultiorem, interim tamen inter ipsum & infantem, quoad cognitionem articulorum fidei, nullum est discrimen, siquidem hic pusillus non magis, quam infantes reliqui, potuit fidei suæ rationem reddere. 3.) Quod Christus Matth. XVIII. 3. dicit: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis regnum cœlorum*, id Marc. X. 15. ad infantes in ulnis sibi adlatos etiam adplicat: *Qui non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Sic Luc. XVIII. 15. *adferebant ad Christum infantes τὰ βρέφη, ut eos tangeret*, v. 16. *talium esse regnum Dei* pronunciat & addit: v. 17. *Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* 4.) Recognoscat igitur Bellarminus sua verba Anabaptistis cap. 8. præcedente opposita: *Solutio illa* (quod evangelia Matth. XIX. Marc. X. & Luc. XVIII. *non loquantur de infantibus, sed de pueris, qui jam usu rationis utuntur, cum non veniant nisi grandiores*) *non est solida. Nam verba evangelistarum parvulos & infantes significant, Matthæus & Marcus habent παιδία, id est, parvulos: Lucas habet βρέφη, id est, infantes.* Et ibidem: *Lucas dicit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse, προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, id est, adferebant autem ad ipsum & infantes. Igitur illa vox* venire *accipitur largo modo, pro eo, quod est accedere & propinquare.* Hæc Bellarminus sibi ipsi contrarius (*). 5.) Ecquis vero infantes excluderet a dulcissimis

amant. Matth. XVIII. 10. 4.) Infantes baptizati cum statim post perceptum baptismum ex hac vita migrant, vel omnes damnantur, vel omnes salvantur, vel quidam damnantur, & quidam salvantur. Si *primum*, sequetur, nullos infantes fuisse electos. Si *secundum*, fides illis tribuenda. Si *tertium*, ostendendum fuerit, illos, qui damnantur, non fuisse in baptismo renatos. GERHARDUS.

(*) τὸ βρέφος Luc. XVIII. 15. notat non hominem adultæ ætatis grandiusculum & doctrinæ capacem, ut vult Piscator ibid. schol. 15. sed infantem lac matris suæ sugentem, ut etiam fatetur Calvinus libr. IV. inst. cap. 16. s. 7. Beza in adnot. Luc. XVIII. 15. & Bucanus loc. 47. q. 35. Lactatio autem illa olim vel integrum triennium duravit, 2 Macc. VII. 28. Inaniter ergo Piscator in cap. XIX. Matth. observ. 11. contra nos urget 2 Tim. III. 15. ex quo studet elicere, quod τὸ βρέφος usurpetur ad significandum puerum doctrinæ capacem. Nam sciendum est, quod τὸ βρέφος notet vel infantem adhuc in utero matris suæ latitantem Luc. I. 41. vel recens natum & ab uberibus matris suæ pendentem; Luc. II. 12, 16. & XVIII. 15. Act. VII. 19 1 Petr. II. 2. Non notat igitur puerum natu grandiorem, sed infantem seu breviori seu longiori temporis interstitio lacte materno cibatum, quo tempore pii parentes suos infantes adsuefaciunt pietatis exercitiis. Quod attinet locum 2 Tim. III. 15. resp. 1.) Paulus ibi ἐν προσθήκῃ ait, ἀπὸ βρέφους, ab infantia, ut reddiderunt Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus & commentator Damascæni libr. I. orth. fid. cap. 1. Sicut igitur ἀπὸ βρέφους notat *ab infantia*, sic βρέφος notat *infantem*, non vero hominem adultum usu liberi arbitrii præditum. 2.) Timotheus *sacras litteras novit* ἀπὸ βρέφους seu ἐκ βρέφους, quia licet habuerit patrem græcum, tamen matrem habuit Judæam fidelem Act. XVI. 1. Eunicam dictam, 2 Tim. I. 5. aviamque Loidem, a quibus non heri aut nuper, sed jam inde ab infantia divinas fuit doctus literas: non ergo demum tempore adolescentiæ suæ, sed cum adhuc parvulus seu puerulus fuit, in exercitiis pietatis cœpit informari. Gellius Snecanus in locis editis anno 1607. p. 312. *Infantes hic intelligi manifestum est*

mis illis verbis Christi, quæ historiæ de parvulo in medio discipulorum statuto immediate subjunguntur: Matth. XVIII. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Venit enim filius hominis salvare, quod perierat?* Colligimus igitur, quod Christus in genere de circumcisis & baptizatis parvulis loquatur, sive adhuc infantes sint, sive quodammodo adultiores, quando ipsos credere pronunciat, id quod ex ipso verborum sono manifestum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis*, dicit v. 6. Proinde ab exemplo hujus pueri occasione accepta in genere de parvulis agit. 6.) Christus requirit, ut conversi efficiamur sicut parvuli, si velimus intrare regnum Dei. Quod si infantes non crederent, fideles adulti parvulis incredulis conformes fieri deberent. 7.) Si nomine *pusillorum* non comprehenderentur infantes, consequens foret, infantes baptizatos vel conformes fieri debere parvulis adultis, vel in æternum ipsis esse pereundum, si decedant in infantili ætate. 8.) Et cur adultiores potius quam infantes in exemplum simplicitatis & humilitatis Christus nobis proponeret, cum scriptura & experientia testetur, malitiam cum ætate crescere? 1 Cor. XIV. 20. *Malitia estote parvuli.* 9.) Quod ad sophisma de scandalo attinet (*), respondemus, Christum loqui de scandalo non tam ratione *actus*, quam *potentiae*. Coram Dei judicio etiam illa actio scandalum judicatur, quæ alios offendere potest, licet ipso actu ipsos non offendat, cum Deus magis voluntatem, intentionem & propositum operantis, quam eventum actionis respiciat; cape sis hujus regulæ exemplum manifestissimum. Matth XVI. 23. Christus dicit ad Petrum: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae sunt hominum.* At num Christus ipso actu a Petro scandalizabatur? absit, sed Christus ideo dicebat, Petrum sibi esse scandalo, quia talia proferebat, quæ scandalum in cordibus aliorum movere poterant.

§. CCXXII. II.) Positis proprietatibus & immediato alicujus rei effectu, res ipsa ponitur. Infantibus circumcisis in vet. & baptizatis in nov. test. scriptura tribuit proprietates & effecta fidei. Ergo. Psalm. VIII. 3. Matth. XXI. 16. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem.* (non placent Deo laudes, hymni & gratiarum actiones, nisi proficiscantur ex vera fide, *sine qua impossibile est Deo placere;* Hebr. XI. 6 (**). *ex qua quidquid non fit, peccatum est,* Rom. XIV. 23. (***). Psalm. XXII. 10. *Tu es spes mea ab uberibus matris meae, in te projectus sum*

2.) *Infantibus tribuuntur effecta & proprietates fidei.*

est ex proprietate græcæ linguæ. Ibidem etiam urget, quod in ulnis Christo adlati fuerint. Piscator in cap. XIX. Matth. observ. 11. statuit, Matth. XIX. 14, 15. Marc. X. 13, 14, 15, 16. Luc. XVIII. 15. *agi de pueris, qui informari possunt.* Sed contradicit ipsi Calvinus libr. IV. instit. c. 6. §. 7. Bucanus loc. XLVII. q. 35. p. 674. Appelius in censura, pag. 260. GERHARDUS.

(*) Distinguendum 1.) inter *scandalum morale* & *reale*. Ut maxime enim infantes tales scandalizari non possint scandalo morali, malo exemplo, possunt tamen scandalizari scandalo reali, malo facto, quatenus illis aditus ad Christum intercluditur, quatenus contemnuntur, injuriis adficiuntur. Hinc Chrysostomo, Euthymio, Thomæ, Maldonato, *scandalizare hic idem est quod contemnere & malefacere.* 2.) Inter scandalum considerat. tum δευτέρως ratione hominum & πρώτως ratione Dei. 3.) Inter scandalum *actu* & *potentia*. In Dei enim judicio etiam ista actio dicitur scandalum, quæ alios offendere potest, licet in nervum non erumpat, nec re ipsa offendat, quia Deus intentionem *agentis* magis, quam *actionis* eventum respicit. GERHARDUS.

(**) Dictum Hebr. XI. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere*, Beza vol. II. libr. qq. & resp. q. 124. p. 345. Piscator in comm. Hebr. XI. observ. 10. de *solis adultis agere* statuunt, sed contradicit illis Crocius in defens. part. II. convers. Prutenicæ cap. 13. p. 342. GERHARDUS.

(***) Pareus in comment. epist. ad Rom. p. 1059. concedit *infantes Deum invocare.* At *quomodo invocabunt sine fide?* Rom. X. Hieronymus in Psalm.

sum ex utero. Psalm. LXXI. 6. *Tibi innixus sum ex utero, de ventre matris meae tu es eductor meus.* Psalm. CXV. 13. *Benedicat omnibus, qui timent Dominum pusillis cum majoribus.* v. 14. *Adjiciat Dominus super vos, super vos & filios vestros.* 1 Joh. II. 14. *Scribo vobis, parvuli, παιδία, quoniam nostis Patrem.* (ubi Johannes tres classes eorum, ad quos scribit, constituit: prima complectitur patres, altera adolescentes, tertia parvulos. Ergo per parvulos non possunt intelligi adultiores, sed, ut vulgata etiam versio reddidit, *infantes*, de quibus testatur apostolus, *quod cognoscant Patrem.* In quibusdam græcis exemplaribus legitur πατέρες, sed cum illorum in versu præcedente mentio facta sit, ideo præferenda est illa lectio, quæ habet παιδία) 1 Joh. V. 4. *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & fides nostra est victoria, quae vincit mundum.* (jam vero baptizati infantes nati sunt ex Deo, Joh. I. 13. utique ergo credunt & per fidem vincunt mundum.) Apoc. XI. 18 *Timentibus nomen tuum pusillis & magnis.* Apoc. XIX. 5. *Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus & qui timetis eum pusilli & magni.* Excipiunt *in infantibus non adparere bona opera, quae sunt fructus fidei* Jac. II. 18. Resp. 1.) Quamvis τεκμήρια & effectus fidei in infantibus non ita in oculos & sensus externos incurrant, ut fidei in adultis, non tamen ob id omnes fidei fructus in infantibus sunt negandi, cum scriptura ipsis tribuat *Dei laudem*, Psalm. VIII. 3. *Dei cognitionem*, 1 Joh. II. 14. *victoriam mundi.* cap. V. 4. Quos esse fidei fructus & bona opera, nemo inficias iverit (*). 2.) Ne quidem in adultis semper adparent exterius fidei fructus & bona opera, puta in somno, in morbis &c. Deo soli notum est, quomodo agonizantes ad ipsum ex toto corde ingemiscant, quamvis linguæ officio destituti preces suas recitare nequeant. 3.) In infantibus nondum manifeste adparent fructus originalis peccati: ecquis vero propterea negaverit, ipsos concipi & nasci in peccatis? Psalm. LI. 7. 4.) Arbor bona in media hyeme non destituitur proprietate bonos fructus proferendi, quamvis exterius id non adpareat, & nos fidem infantibus ex eo negabimus, quod externos ejusdem fructus non proferant? Ut in seminibus & surculis arborum res se habet, quamquam non ferunt fructus, tamen inest eis vis & natura, ut fructus suo tempore producant: sic infantum fides ἐνέργειαν exteriorem suo tempore exserit & fert fructus Deo placentes. 5.) Quin imo Johannes baptista uteri materni carcere adhuc conclusus exterius testimonium fidei Christum præsentem agnoscentis saltu edidit. 6.) Dictum Jacobi adultos spectat, cumprimis hypocritas illos, qui fidem se habere gloriantur, nec tamen operibus eam demonstrant.

Exceptio adversariorum in infantibus non adparere bona opera.

§. CCXXIII. III.) Infantes baptizati justi sunt ac Deo placent. Jam vero sola fide in Christum sumus justi ac Deo placemus. Ergo. 3.) *Infantes justi sunt ac placent Deo.*

VIII. 3. *Perfeciſti tibi laudem seu robur ex ore infantium propter inimicos tuos, id est, ad confusionem Judaeorum.* Τὸ *perfeciſti* juxta Theophylactum in cap. XXI. Matth. significat *perfectam & absolutam ostendisti laudem, etiamsi illi infantes propter aetatem imperfecti & viles videantur.* Qui profert laudem Dei ad confusionem inimicorum ejus, is præstat vere bonum opus. Infantes per sacramenta Deo inserti proferunt laudem Dei. Ergo. Si dicas, *infantes proferre laudem Dei, quia praebent materiam proferendi laudem Dei, sicut* Psalm. XIX. 2. *de coelis id praedicatur.* Resp. hanc explicationem diluit Christus, Matth. XXI. 16. ubi ad pueros adclamantes ei adplicat dictum Psalm. VIII. 3. quippe de quibus etiam David vaticinatus fuerit. Quare injurius est Piscator in Christum, quando in Psalm. VIII. schol. 3. p. 44. scribit, *verborum Davidis diversum esse sensum;* sic enim adlegatio Psalm. VIII. 3 a Christo facta foret erronea. *Si quis non diligit Dominum Jesum Christum sit anathema Maranatha* 1 Cor. XVI. 22. At infantes baptizati non sunt anathema, quia *talium est regnum coelorum* Matth. XIX. 14. GERHARDUS.

(*) Concedunt ipsi adversarii, *Spiritum sanctum excitare in infantibus novos motus*: at illi sunt effectus fidei, nec possunt esse sine fide. GERHARDUS.

go &c. Utraque propositio est bimembris. Quod infantes baptizari sint justi, patet ex eo, quia nisi justi essent, nec Deo placere, nec salvari possent. Quod infantes Deo placeant, patet ex historia de parvulis Christo adlatis, quibus manus imposuit, iisdemque benedixit, quin & redarguit eos, qui infantes sibi adferri prohibeant. Matth. XIX. 13. 14. 15. Marc. X. 13. 14. 15. Luc. XVIII. 15. 16. De filiolo Jeroboami dicitur, Reg. XIV. 13. *quod inventum fuerit in eo aliquid boni coram Domino Deo Israël*: utique ergo placuit Deo. Quod sola fide in Christum justi simus, constat ex Rom. III. 24. Gal. III. 24. Eph. III. 17. Quod *sine fide impossibile sit Deo placere*, expressis verbis docetur, Hebr. XI. 6. Excipiunt, *infantes imputatione justitiæ Christi sine fide propria fieri justos.* Piscator in respons. ad dictum Hoffm. pag. 34. adserit, *infantibus justitiam non eadem ratione, qua adultis, a Deo imputari.* Resp. 1.) Somnium hoc nullo scripturæ testimonio probari potest, cum totius scripturæ vox sit perpetua, quod beneficiorum Christi non nisi fide participes fieri possimus, sine qua prorsus ἀδύνατον sit Deo placere, nedum justificari & salvari. 2.) Ostendit hoc res ipsa. Cum donum aliquod multis offertur, cujus tamen non actu omnes fiunt participes, causa quærenda est in illis, quibus offertur, quorum aliqui oblatum donum recipiunt, quidam vero repudiant: sic Deus gratiam suam, remissionem peccatorum & vitam æternam in verbo & sacramentis omnibus hominibus ex animo offert. Quod beneficiorum illorum non omnes fiunt participes, inde est, quod oblata bona non recipiunt: restat igitur, ut baptizatis infantibus fides tribuatur, vel beneficia omnia, in baptismo ipsis oblata, iisdem denegentur. 3.) Si infantes justi sunt, aut sua aut aliena fide justi sunt. Non aliena, quia *justus sua fide vivit*, Hab. II. 4. Rom. I. 17. Ergo sua. 4.) Hinc ipse Beza in qq. & respons. part. II. quæst. 126. *Nequaquam facile dixerim, quempiam fide aliena servari, ne quis perinde hoc accipiat, ac si dicerem, parentum fidem infantibus imputari, quasi aliena fide credentibus, quod quidem non minus falsum & absurdum, quam si dixerim, quempiam posse aliena anima vivere, aut alterius sapientia sapere.* Quod Beza addit, *interveniente parentum fide, fieri, ut nati vel nascituri infantes sancti sint, hoc est, in fœdere censeantur ac proinde serventur*, in eo principium manifeste petit.

Exceptio: Infantes imputatione justitiæ Christi sine fide propria esse justos.

§. CCXXIV. IV.) Infantibus aut fides tribuenda, aut salus deneganda. Salutem illis denegare crudele est & impium. Ergo nec fides eis deneganda. Connexum *majoris* ex scriptura manifestum. Joh. III. 18. *Qui credit in filium, non judicatur, qui vero non credit, jam judicatus est.* v. 36. *Qui habet filium, habet vitam æternam, qui non habet filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Joh. XIV. 6. dicit Christus: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* (Ergo baptismus sine fide non prodest, nec salutem confert) Act. IV. 12. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, nisi in nomine Christi Jesu*, 1 Joh. V. 12. *Qui non habet Filium, non habet vitam &c.* Quin imo tota scriptura testatur, nos non nisi in Christo, per Christum, ac propter Christum salvos fieri: vicissim, nos non nisi fide esse in Christo & beneficiorum ejus participes fieri. Alterutrum igitur statuendum fuerit, infantes scilicet regni cœlestis extorres esse, vel fide in Christum salvos fieri. Cæterum quod infantes salventur, expresse Christus testatur. Matth XIX. 14 (*). Marc. X. 14. Luc. XVIII. 16. *Talium est regnum*

4.) *Infantibus aut fides tribuenda, aut salus neganda.*

(*) Piscator in cap. XIX. Matth. observ. 11. notat, *infantium posse esse regnum cœlorum, etiamsi non credant, dummodo sint electi, & fidem in scriptura nuspiam requiri nisi ab adultis.* Resp. hinc ebullit Photinianismus, siquidem alicui adscribere salutem sine justitia Christi mediatoris per fidem justificantem vere adplicata est hæresis Photinianorum. Et sicut nemo nisi pro-

gnum cœlorum: Nisi conversi fueritis &c. Apoc. XX. 12. *Vidi mortuos pusillos & magnos stantes coram Deo, & libri aperiebantur, & alius liber aperiebatur, qui est liber vitae.* Ergo etiam pusilli quidam scripti sunt in librum vitæ. *Vadam ad illum*, dicit David de filio suo ex Bethsabea suscepto atque ante annos discretionis mortuo. 2 Sam. XII. 23. Concludimus ergo: si infantes salvantur, utique Christus, sine quo nulla salus, in eis vivit: at *Christus per fidem vivit in cordibus nostris.* Eph. III. 17. Si infantes salvantur, utique habent vestem nuptialem; Matth. XXII. 12. at vestis illa nuptialis nihil aliud est, quam Christus fide indutus. Gal. III. 27. Si infantes salvantur, utique sunt in Christo: sed non sunt in Christo nisi per fidem. Rom. XI. 20 Excipiunt, *de adultis solum intelligenda scripturae dicta, quae testantur, nos fide in Christum fieri salvos.* Resp. unus Christus, una fides, una salus, unus justificationis & salvationis modus teste tota scriptura. Generalia sunt Spiritus sancti pronunciata. *Sine fide impossibile est Deo placere: Qui non credit, condemnabitur: Qui incredulus est filio, ira Dei manebit super eum.* Ubi ergo scriptura non distinguit, nec nos distinguere debemus. Præter fidem nullum dari potest medium, quo Christus, extra quem nemo salvari potest, adprehendatur.

Exceptio de adultis solum intelligendum esse, quod fide in Christum salvi fiant.

§. CCXXV. V.) Baptismus est efficax medium, per quod Spiritus sanctus baptizatos regenerat, peccata illis remittit, eos in fœdus Dei transfert, justitia Christi vestit, υἱοθεσίας participes facit &c. (*). Hæc vero omnia non habent locum sine fide, ut ostendimus superius, §. 105. Quo cumprimis pertinet aureolum illud apostoli: Gal. III. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem in Christum Jesum.* v. 27. *Quia quotquot baptizati estis, Christum induistis*; ex quo sic concludimus: Quotquot in baptismo Christum induunt, sunt filii Dei per fidem. Infantes Christum in baptismo induunt. Ergo sunt filii Dei per fidem. Excipiunt, *infantes baptizari in fidem parentum vel ecclesiae, vi promissionis*, Gen. XVII. 7. *Ero Deus seminis tui: cum Christus fidem eorum, qui paralyticum adferebant, intuitus, peccata eidem remiserit.* Matth. IX. 2. *Resp.* 1.) *Justus sua fide vivet.* Hab. II. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Hebr. X. 38. Ergo ad participationem spiritualium ac cœlestium beneficiorum requiritur fides propria. 2.) Ut parentum incredulitas liberorum salutem non labefactat, ita nec fides parentum liberis salutem confert, *sed justitia justi super eum, & injustitia injusti super eum.* Ezech. XVIII. 20. 3.) Ut ipsosmet infantes per baptismum renasci oporter, si regnum Dei intrare velint: Joh. III. 5. ita quoque ipsosmet oportet credere; si velint esse regenerationis participes, quia sine fide regeneratio & salus non habent locum. 4.) Ut nemo potest cibum terrenum in usum alterius capere, sed quemlibet per se oportet illum adsumere: ita quoque Christi caro fide cujusque propria manducanda & sanguis ejus fide cujusque propria bibendus. Joh. VI. 54. 5.) Promissionem illam Gen. XVII. 7. fidem includere expresse docet apostolus Gal. III. 7. *Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, illi sunt filii Abrahae.* v. 8. *Providens autem scriptura, quia ex fide justificat Deus gentes, pronunciavit Abrahae, quia in te benedicentur omnes gentes.* v. 9. *Ergo qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham.* Id ipsum docet Rom.

Exceptio: Infantes baptizari in fidem parentum vel ecclesiae.

5.) Baptismi effecta non habent locum sine fide.

propria ἀπιστίᾳ damnatur, ita nemo nisi propria fide justificatur. Hab. II. 4. Rom. I. 17. GERHARDUS.

(*) Danæus libr. V. isagoges christianæ cap 35. fol. 540. recte disputat, *quod idem baptismi effectus sit etiam in infantibus, qui est in adultis, quamquam vim ejus infantes tam cito non proferant, neque illius fructus edant quam adulti, sed demum cum ætas advenerit & usus rationis.* GERHARDUS.

Rom. IX. 6. *Non omnes qui ex Israel, ii sunt Israelitae.* v. 7. *Neque quia semen sunt Abrahae, omnes filii.* v. 8. *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.* Ex quibus perspicuum est, promissionem Abrahae factam non posse nec debere eo extendi, quod semen Abrahae sine fide benedictionis & salutis particeps fiat. 6.) Paralyticus non bajulorum, sed sua fide remissionem peccatorum obtinuit. Nisi in Christum credidisset, non fuisset passus se ad Christum adduci, nec suavissima filii adpellatione a Christo fuisset honoratus, nec ad fiduciam ab eodem erectus. 7.) Fides aliena potest alteri corporalia beneficia per preces impetrare, quin imo etiam illud efficere, ut donetur alteri fides propria, sed ad remissionem peccatorum, justificationem & salutem oportet quemlibet *suo corde credere*: Rom. X. 11. ita quoque infantuli per parentes, patrinos atque alia ecclesiae membra Christo piis precibus offeruntur, sed postea per baptismum ac in baptismo fide propria donantur, per quam coelestium beneficiorum participes redduntur.

Exceptio Bezae, baptismum esse sigillum non regenerationis, sed adoptionis.

Beza excipit in praefat. part. I. resp. ad act. colloq. Mompelg. pag. 24. *Baptismum non esse obsignationem regenerationis in pueris, sed tantum adoptionis.* Resp apostolus baptismum vocat *lavacrum regenerationis*; Tit. III. 5. utique ergo confert & obsignat regenerationem. *Nihil obsignatur nisi quod jam habetur*, scribit Beza part. II. resp. ad act. coll. p. 62. Ergo infantes baptizati aut jam habebunt regenerationem, aut baptismus illis non erit lavacrum regenerationis. Adde, quod plane ἄσυρατον sit ac contradictionem implicet, baptismum in infantibus esse obsignationem adoptionis, & non esse obsignationem regenerationis. Quomodo enim adoptio illa in infantibus sine fide & regeneratione habebit locum? Johannes I. 12. & seqq. haec tria, puta fidem, adoptionem & regenerationem, sic connectit, ut nulla ratione distrahi posse ostendat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, (haec est adoptio) *videlicet his, qui credunt in nomen ejus*, (haec est fides) *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; (haec est regeneratio cum fide & adoptione ἀδιαντίνως conjuncta.) Ostendit id res ipsa. Omnes nascuntur natura filii irae. Ergo oportet eos renasci, ut fiant Dei filii: proinde nemo est Dei filius, nisi ex Deo natus, quomodo ergo baptismus erit obsignatio adoptionis, non autem simul regenerationis?

§ CCXXVI. VI.) Infantes circumcisi in ver. testam. placuerunt Deo & per fidem salvati sunt. Ergo de infantibus baptizatis in nov. testam. idem dicendum fuerit. *Antecedens* demonstramus hoc modo: Gen. XVII. 7. promittit Deus, se per circumcisionem tale foedus cum Abrahamo initurum, quod sit Deus ipsius & Deus seminis ejus. Ergo fuit circumcisorum infantum Deus, hoc est, fuit Pater ipsorum benignissimus, remisit ipsis peccata, complexus est eos sua gratia, ac omnis benedictionis spiritualis participes fecit: hunc enim esse promissionis illius sensum, patet ex Lev. XXVI. 11. 12. Jer. XXXI. 33. 34. Matth. XXII. 31. 32. Sic Abraham dicitur accepisse *signum circumcisionis signaculum justitiae fidei.* Jam vero non aliam circumcisionem accepit Abraham, aliam Isaac, sed unum idemque circumcisionis sacramentum adultis & infantibus fuit collatum. Quod si circumcisio etiam in infantibus fuit sigillum justitiae fidei, utique parvuli circumcisi habuerunt fidem: quo pertinet dictum Bezae part. II. resp. ad colloq. pag. 62. *Obsignatio est earum rerum, quae jam habentur.*

6.) Infantes circumcisi in ver. test. Deo placuerunt & per fidem salvati sunt.

§. CCXXVII. Hanc sententiam nostram de fide infantum oppugnant Anabaptistae, Pontificii & Calviniani (*), sed diversimode

Antithesis 1.) Anabaptistarum qui simpliciter dene-

(*) Iis, qui fidem infantum oppugnant, accensendi quoque sunt ii, qui in SOCINI castris militant. Viam iis hac in re praivit ipse FAUSTUS SOCINUS in libr. *de statu primorum.*

gant infantibus fidem.

de. 1.) Anabaptistæ simpliciter denegant infantibus fidem, cum non sint doctrinæ capaces. Transylv. in 36. argumentis contra pædobaptismum argum. 16. *Si dixeris infantes fidem habere, novam novæ fidei revelationem in illis demonstrabis, quod ex verbo Dei nunquam probare poteris* (*). Vide etiam colloq. Franckenth. part. XII. act. 31. pag. 631. & seqq.

2.) Pontificii statuunt, *infantes non habere fidem actualem, sed habitualem: & credere eos fide aliena & ipsa baptismi susceptione*, quæ sunt verba Bellarmini libr. I. de sacram. bapt. cap. 10. (**). Monendum tamen, Scholasticos in hac quæstione

2.) *Pontificiorum, qui fidem habitualem illis tribuunt.*

bom. p. 311. & 327. ubi inter alia ita pronunciat: *Perridiculum videtur, credere infantes, & somnio agrotantium simillimum.* Nec his absimilia sunt, quæ in eiusdem libello, *quod evangelici debeant se adjungere &c. cap. IV. p. 52.* hanc in rem leguntur. Docet enim *loc. cit.* quod *ad baptismum rite suscipiendum simplex in Deum fides non sit satis, sed necesse sit, ut adsit fides in Jesum Christum* „ i. e. ut is, qui baptizari de„ bet, credat, Jesum Nazarænum esse Christum, „ eiusque doctrinæ adhæreat, ac publice id „ profiteatur; quam fidem si quis infantibus „ tribuere, aut inesse posse adserere audeat, „ stultus meritissime ab omnibus iudicetur„. Conferenda, quæ VAL. SMALCIUS, in *refutatione thesium* WOLFG. FRANZII, *disp. X. p. 10. & 324.* HIERONYMUS MOSCOROVIUS, in *refutatione libri de baptismo* M. SMIGLECII, Racov. *MDCXVII.* edita, *p. 21.* MART. CZECHOVICIUS, in *commentat. de pædobaptistarum origine & de ea opinione, qua, infantes baptizandos esse, creditur, &c. err. XII. p. 132.* aliique hanc in rem scripserunt. Add. *catech. Racov. cap. IV. p. 228.*

Socinianis ad latus ponimus IAC. ARMINII discipulos, *Remonstrantes* vulgo dictos, qui in *apolog.* sua *cap. XXIII. f. 87. a.* fidem parvulorum haud obscure negant. Idem fecerunt SIM. EPISCOPIUS in *respons. ad libellum, cui titulus: specimen calumniarum &c. oper. theolog. vol. II. part. II. p. 310, 311.* & STEPH. CURCELLÆUS in *institut. relig. christ. cap. VIII. §. XI. oper. theolog. p. 468.* ubi sententiam illorum, qui putant, *per baptismum fidem in infantibus recens natis produci*, absurdam adpellat.

(**) Menno in *fundam. p. 73.* simpliciter derogat infantibus fidem. GERHARDUS.

MENNONIS vestigia, præter alios, ex recentioribus eius adsecla secutus est HERM. SCHYN, sæpius iam à nobis adlegatus, in *historia christianorum, qui in Belgio fœderato Mennonitæ adpellantur, p. 86. seqq.* ubi tamen nullas alias huic sententiæ oppositi rationes, quam pridem examinatas, quas breviter & solide confutavit b. WEISMANNUS, in *institut. theol. exegetico-dogmaticæ p. 915.*

(***) Costerus etiam in augm. ench. p. 84 *infantes credunt fide habituali seu infusa.* Bellarminus rursus libr. I. de baptism. cap. 11. *Infantes non habent actualem fidem, sed fide aliena credunt.* Ludov. Granatensis in evang. de paralyt. Matth. IX. *Hoc in loco immensa Dei bonitas satis adparet, qui frequenter propter aliena merita miseris opitulatur &c. An non quotidie ecclesiæ fides in sacramento baptismi regeneratis infantibus sufficit ad salutem? Si enim tanta Dei justitia est, ut aliena labes nascentem puerum inficiat, cur non tanta sit ejusdem misericordia, ut aliena quoque fides & voluntas salutem ei conferat?* GERHARDUS.

Ex variis istis locis, quæ in medium hoc attulit GERHARDUS, clare satis patet, mentem doctorum ecclesiæ Romanæ huc redire: 1) fidem parvulorum non esse *actualem*, sed *habitualem*; 2) infantes credere non propria, sed *aliena* fide, parentum scilicet, patrinorum, vel ecclesiæ. Audiamus hanc in rem HONORATUM TOURNELY, theologum Parisiensem nostro hoc seculo clarum, luciumque Sorbonicum, qui sententiam ecclesiæ Romanæ binis thesibus complexus est. *Prima* ita sese habet: *Nulla est in infantibus, cum baptizantur, fides propria actualis, sed hæc per fidem ecclesiæ & offerentium puerum ad baptismum supplitur.* Quod quidem adsertum ex AUGUSTINO præcipue comprobare annititur. *Altera* thesis hisce concepta est verbis: *Fide catholica certum est, infantibus per baptismum infundi sanctificantem gratiam & fidem, quæ sit aliquid fixum & permanens, ab actibus distinctum, & quæ seculo duodecimo habitus nomine explicari cœpit: utrum vero sit vera qualitas inhærens, vel habitus, fide non constat.* Atque hancce thesin partim ex scripturis sanctioribus, partim ex conciliis, par-

Dissensiones Scholasticorum in hac quæstione.

non consentire. *Quidam* enim disputant, in baptismo in pueris nondum ratione utentibus nullas infundi virtutes, nec secundum *actum*, nec secundum *habitum*, nec secundum *radicem*, sed in adulta demum ætate, quam infra annum XXX. constituunt, eas conferri, vel si in infantia moriantur & baptizati sint, in separatione animæ a corpore virtutes illis conferri. *Alii* disputant, in baptismo conferri nec *habitus*, nec *actus* virtutum, sed *radicem* earum, quæ sit gratia. *Alii* radicem illam faciunt characterem baptismi, & ejus radicis ramos progressu ætatis fieri habitus virtutum, ex quibus sequantur sub tempore actus. *Alii* opinantur, in parvulis baptizatis infundi

partim denique ex constanti patrum traditione adstruere conatur TOURNELY. Vid. eiusdem *prælectiones theologicas in scholis Sorbonicis olim habitas, tom. III. cap. de baptismo, quæst. III. p. 220. seqq.*

Equidem, si dicendum, quod res est, hæc ecclesiæ Romanæ sententia suffragio antiquitatis christianæ haud prorsus destituitur. Nam, secundum AUGUSTINUM, parvuli per baptismi actum transeunt in numerum eorum, qui credunt, idque ex duplici fundamento: 1) quia credunt *fide aliena* offerentium eos ad baptismum, & ipsorum nomine dicentium: *credo.* 2) quia *perceperunt sacramentum fidei.* Ita enim suam hac de re mentem exponit celebris iste Hipponensium præsul: *Credit in altero, qui peccavit in altero. Ad verba aliena sanatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum: fit interrogatio: dicitur, credit; & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc eis adquiritur per virtutem sacramenti & offerentium responsionem. Noli eis sine ista fide & sine isto sacramento huius fidei promittere vitam æternam.* De eodem argumento in eundem sensum alibi ita pronunciat: *Parvuli pueri portantur ad ecclesiam, &, si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur: adcommodat illis mater ecclesia aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam, quod ægri sunt, alio peccante pragravantur, sic, cum bi sani sunt, alio pro eis confitente salventur.* Vid. eiusdem *serm. X. & XIV. de verb. apost.* porro *libr. I. de pecc. mer. & remiss. cap. XIX* alibique passim.

Verum, quantacunque sit AUGUSTINI auctoritas, ea tamen tanta non est, ut sententiæ Romanensium stabiliendæ inserviat. Nam 1) procul dubio erravit AUGUSTINUS, quando statuit, infantes credere *fide aliena*; siquidem hæc sententia non tantum sacrarum litterarum suffragio destituitur, sed & oraculis sacris e diametro repugnat; *Justus* enim *sua*, non aliena, *fide* vivit; *Habac. II. 4. Ioann. III. 36. Rom. I. 17.* Repugnat etiam hæc sententia naturæ fidei iustificantis, quæ est fiducialis adprehensio Christi atque beneficiorum ab ipso partorum. Quem ad modum enim beneficia ista in baptismo offeruntur, ita a baptizatis adprehendi nequeunt, nisi fide *propria*, quam in ipsorum animis per hoc sacramentum initiationis Spiritus S. accendit. Conf. IO. GEORG. NEUMANNI differt. *de fide aliena*, & IO. HERM. BECKERI disp. *de fide infantum præsumta*, §. 2. *p. 12.* 2) Dum AUGUSTINUS subinde inculcat, parvulos dici fideles propter *fidem*, non quidem *propriam*, sed *alienam*, eo ipso clare satis docet, nullam in infantibus esse fidem *habitualem*, qualem cœtus Romani doctores statuunt. Alias enim dixisset, infantes adpellari fideles a tali fide *habituali*. Iam vero, quod 3) notamus, opinio illa de *habitu fidei*, quem infantibus adfingunt Romanenses, non tantum AUGUSTINO, sed & reliquis veteris ecclesiæ doctoribus prorsus fuit ignota, ac demum in concilio Viennensi, anno *MCCCXI.* a CLEMENTE V. P. R. celebrato, stabilita. Concilii huius decretum hanc in rem sancitum exstat *Clement. I. de summa trinit.* atque adprobatum deinceps fuit a patribus Tridentinis *sess. VII. can. 13.* prout ipse observavit, quem supra nominavimus, HONORAT. TOURNELY *loc. cit. p. 221.* Addimus 4) fidem *habitualem*, sive sit infusa, sive sit adquisita, vel præsupponere *actum* fidei (habitus enim enasci non potest nisi ex actibus reiteratis) vel certe eundem includere. Proinde ii, qui sunt capaces *habitus* fidei, sunt etiam capaces actus. Ut iam ea, quæ infra, & quidem §. *CCXVIII.* in nota textui subiecta, contra doctrinam Romanensium de *habitu* fidei disputavit GERHARDUS, heic non repetamus. Conf. IO. AFFELMANNI, theologi quondam Rostochiensis, disput. *de fide infantum*, quæ eiusdem *sijntagmati exercitat. academ. part. I. p. 320. seqq.* inserta est, §. *38. pag. 847. seqq.*

fundi habitus virtutum, non autem actus quoad usum. 3.) Calvinus libr. IV. instit. cap. 16. sect. 20. disputat, *parvulos baptizari in futuram pœnitentiam & fidem, quae etsi in illis nondum formata sunt*, inquit, *arcana tamen Spiritus operatione utriusque semen in illis latet.* Sect. 19. *In suspenso relinquere se malle* dicit, *quid de fide infantium in hac vita sit sentiendum.* In scripto contra Servetum, referente Chassanione libr. II. locor. cap. 45. §. 1. *Dicimus quidem baptismum nihil nobis prodesse, nisi, quae inest, promissio fide adprehendatur; sed continuo addimus, patres eam pro liberis universaque sobole amplecti, non solum quemque pro se, quia etiam fideles omnes in commune hanc gratiam ecclesiae oblatam amplectuntur: rejiciendum hoc non est, infantem baptizari in alterius fidem: ad quos enim nisi ad fideles diriguntur verba, super quae fundata est fides? Nimirum ut sciant se cum progenie a Deo adoptatos esse.* Beza in colloq. Mompelg. pag. 435. *Infantes aliena fide baptizari* adserit. Part. II. respons. ad act. colloq. Mompelg. pag. 97. & seqq. negat, *infantes justificari fide sua, quippe quam nec habeant, nec habere possint.* Pag. 99. *Fidem parentum infantibus tribui, eamque sic fidem alienam esse dicit, quia in ipsis infantibus non inest, ut tamen pro sua in illis ex Dei pacto censeatur* (*). Marloratus in cap. IX. Matth. ex Musculo. *De singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos & nepotes propagent, etiam antequam nascantur, atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per aetatem fidei sunt capaces.* Ursinus in catech quæst. 57. pag. 370. *Infantes habent fidem & conversionem potentia & inclinatione, tametsi nondum actu* (**). Georgius Sohnius in exeg. August. confess. pag. 793. aliquo modo infantibus tribuit fidem, qua in parte a Beza discedit: *Certum est*, inquit, *in infantibus proprie nec notitiam ullam esse, nec fiduciam &c. Sed tamen in iis instar fidei illius adultorum novos motus & novas inclinationes pro ipsorum motu atque captu a Spiritu sancto extra ordinem excitari, id est, eos a Spiritu sancto donari, regenerari & sanctificari, videlicet quoad speciem, non quoad individua &c. Hunc motum Spiritus sancti regenerantis & sanctificantis in infantibus alii vocant fidem, alii semen fidei, alii inclinationem ad fidem videlicet actualem, alii primitias Spiritus sancti, alii denique simpliciter regenerationem & sanctificationem adpellant.* Wilhelmus Zepperus libr. III. de sacram. cap. 8. pag. 292. recitatis variis opinionibus suam sententiam his verbis proponit: *Potentia vel δυνάμει fides est in infantibus. Neque enim dubitandum est, Deum optimum*

3.) *Calvinianorum, qui semen fidei illis tribuunt.*

(*) Idem in colloq. Mompelg. pag. 491. *In infantibus in ecclesia baptizandis fidem ecclesiae praesupponimus, non autem propriam fidem.* Pag. 495. *Infantes in fide parentum atque ecclesiae baptizantur.* In resp. II. ad colloq. Mompelg. p. 57. *Infantibus sine propria fide obtingit sanctificatio.* Idem part. II. quæst. 124. pag. 65. *Cum fides ordinario modo sit ex auditu, extra ordinem vero ex solo intrinseco Spiritus sancti motu, quorum vel alterum infantibus competere, ex nullo scripturae loco, neque ulla legitima conjectura collegeris. Fides enim sive ex auditu sive extra ordinem oriatur, necessario praesupponit notitiam.* GERHARDUS.

(*) In justificatione non sufficit, ut quis *potentiam fidei* habeat, sed requiritur ejusmodi fides, quae re ipsa & actu insit. Nec ullibi scriptura docet, quod vel semine vel radice fidei justificemur, aut Christum adprehendamus. Novi illi motus, qui excitari debent in infantibus, aut sunt ipsa fides, aut non. Si non sunt ipsa fides, non adprehendunt Christum, & per consequens non justificant. Praeterea, si Spiritus sanctus potest excitare novos motus, quid prohibet, quo minus etiam fidem excitare possit, cum illi novi motus absque fide esse nequeant? Denique concedunt Spiritum sanctum in infantibus baptizatis habitare. Atqui Spiritus sanctus gratiose inhabitans est causa efficiens fidei; unde Wolffg. Crellius part. I. log. de postpræd. sic scribit: *Spiritus sanctus & fides viva convertuntur: in quo Spiritus sanctus est, is vera fide est praeditus, & qui vera fide praeditus est, is Spiritum sanctum habet,* & Aretius part. I. problem. pag. 43. *in infantes*, scribit, *etiam cadit, poenitentia.* GERHARDUS.

mum maximum occulta quadam & incomprehensibili nobis Spiritus sancti virtute & operatione, semen quoddam, inclinationem & virtutem fidei verae & regenerationis in infantibus fidelium, qui ad foederis promissionem pertinent, non tantum in baptismo, sed etiam ante illum (nota) *pro aetatis ipsorum mensura & captu liberrima voluntate operari &c* (**).

Propositiones Bellarmini de hac quaestione.

§. CCXXVIII. Bellarminus postquam lib. I. de baptismo cap. 10. invita veritate Luthero hunc errorem adfricuerat, infantibus nullam fidem esse in baptismo necessariam, cujus contrarium in scriptis Lutheri & quidem in illis ipsis, quae Bellarminus adlegat, diserte exstat, cap. 11. format quinque propositiones: *1.) Infantes non habent actualem fidem. 2.) Infantes non habent, dum baptizantur, ullos novos motus & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis. 3.) Infantes non justificantur sine ulla fide. 4.) Infantibus in baptismo infunditur habitus fidei, spei & caritatis. 5.) Parvuli actu credunt, partim re ipsa, dum baptizantur, partim aliena fide.* De quibus ut rectius fieri possit judicium, repetimus verba b. Brentii in apolog. confess. Wirtemb. pag. 439. *Dubium non est, quin infantes ecclesiae Christi membra non habeant talem, hoc est, tam explicatam, & ut ita dicam, sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spiritus sanctus est efficax per externum Evangelii auditum.* Et Chemni-

(*) Sibrandus Lubertus comment. ad 99. errores Vorstii pag. 780. & 784. *Deum decrevisse aliquos infantes servare, qui, quamdiu in hoc mundo peregrinantur, neque crediderunt, neque credunt, neque credituri sunt.* Vorstius in anti-Bellarmino pag. 374. *Plerique nostrum initia & semina quaedam fidei pueris fidelium concedunt.* GERHARDUS.

Adoptarunt hanc de *fide seminali* seu *potentiali* sententiam plerique ex ecclesiae Reformatae theologis, veluti GISBERTUS VOËTIUS, in dissertat. *de praxi fidei*, quae *selectarum disputationum theolog. part. II.* exstat, *p. 499.* FRANC. TURRETTINUS, in *institut. theol. elenct. part. II. pag. 640. seqq.* PETR. VAN MASTRICHT, in *theologia theoretico-pract. libr. II. cap. I. §. 6. p. 52.* aliique, quos nominare supersedemus. Intelligunt autem per *semen fidei* „ Spiritum sanctum fidei & regenerationis effectorem, ut vocatur *1 Joh. III. 9.* quoad principia regenerationis & sanctas inclinationes, „ quas iam operatur in infantibus pro modulo „ ipsorum, mira ac nobis ineffabili ratione; „ quae postea maturiore aetate in actum exeunt, „ accedente humana institutione, & gratia „ eiusdem Spiritus opus suum promoventis, „ quibus semen illud excitari & in actum „ deduci solet „; Ut verbis TURRETTINI *loc. cit. p. 641.* utamur. Recte tamen observat VOËTIUS *loco excitat. p. 499.* „ nonnisi *analogice* & *improprie* & per *metonymiam causae*, seu „ *principii* hanc vocari posse fidem; *formaliter* „ enim non magis est fides, quam semen est „ arbor, aut ovum est pullus, aut bulbus est „ flos „. Nec ullibi in sanctioribus litteris docemur, quod vel *semine*, vel *radice* fidei iustificemur, aut Christum adprehendamus; prout supra in nota recte monuit GERHARDUS noster.

Peculiarem de fide infantum sententiam adoptavit Io. CONR. ENGELHARDUS, Superintendens Elavirensis in ducatu Wurtembergico, paucis abhinc annis demortuus. Edidit is anno *MDCCXLV.* librum, sub titulo: *fides salvifica infantum, vel statim post baptismum, vel etiam sine illo tam in ecclesia Dei; quam extra eandem praematura morte occumbentium thetice asserta*, Berolini in 8. Per fidem, quam b. auctor infantibus tribuit, solum adsensum *praesumtum* intelligit, qui actu physico praeberi non possit a subiecto, ob rationes autem idoneas haberi queat, tanquam revera & actu physico esset perhibitus. Vid. *loc. cit. §. XI. XIII.* Atque hunc adsensum propositioni: *Christum pro salutis causa efficiente habendum esse* perhibitum, auctor fidem salvificam esse statuit; loco *fiduciae* vero, quae praecipuam fidei partem constituit, substituit *practicum* adsensum, sive *nisum*, salvatorem, ut suum recipiendi; qua quidem ratione auctor se distinguit a pontificiis, in solo adsensu *theoretico* fidem constituentibus. Non patitur instituti nostri brevitas, ut hancce sententiam data opera sub examen theologicum heic vocemus. Dudum hocce labore defunctus est Io. HERM. BECKERUS, theologus Gryphicus, in dissert. supra excitata *de fide infantum praesumta*, quae Gryphiswaldiae anno *MDCCXXXVII.* lucem adspexit publicam, lectuque omnino digna est.

Chemnitii ex form. concord. anno Domini 1536. constituta: *Quando dicimus, infantes credere aut fidem habere, non est imaginandum, infantes intelligere aut sentire motus fidei, sed rejicitur error illorum, qui imaginantur, infantes baptizatos placere Deo & salvos fieri sine actione aliqua Spiritus sancti in eis, cum Christus clare dicat: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Et semper cum remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, nec quis potest Deo placere sine Spiritu sancto.* Rom. VIII. *Cum ergo certum sit, infantes baptizatos esse membra ecclesiae, & placere Deo, certum & hoc est, Spiritum sanctum in eis efficacem esse, & quidem ita efficacem, ut regnum cœlorum, hoc est, gratiam Dei & remissionem peccatorum accipere possint &c. Et licet nec satis intelligamus, nec verbis explicare possimus, qualis sit illa Spiritus sancti actio & operatio in infantibus, qui baptizantur, esse tamen & fieri ex verbo Dei, certum est. Illam autem actionem seu operationem Spiritus sancti in infantibus vocamus fidem, & dicimus parvulos credere. Illud enim medium seu organum, quo regnum Dei, quod in verbo & sacramentis offertur, accipitur, scriptura vocat fidem, & credentes dicit accipere regnum Dei &c.* (*)

§. CCXXIX. Si ergo Bellarminus per fidem *actualem* hoc intelligit, quod infantes eo modo credant, quo adulti, quodque prorsus eadem ratio fidei sit in parvulis baptizatis, quæ in adultis, sciat nos talem fidem non tribuere parvulis (**), quo pertinent dicta illa Augustini, *quod parvuli baptizati*

Ambiguitas in termino fidei actualis.

(*) Fides justificans consideratur vel *per se* & natura sui, vel ratione *accidentium*. Priori modo quæ in adultis, ea quoque fides est in parvulis. Credunt enim, hoc est, fiduciam suam in Christum collocant, quod est fidei justificantis *formale*. Interim posteriori modo accidentium respectu discrimen aliquod agnoscimus, quoad actus tum *antecedentes*, tum *consequentes*. Adultiores enim 1.) explicitam sive specialem ac distinctam, magisque evolutam articulorum religionis cognitionem habent, quam 2.) concipiunt ex verbi prædicati auditu, lectione, meditatione, ruminatione, adprehensione; 3.) sciunt se credere; 4.) operibus in oculos incurrentibus & officiis caritatis publice, quales sint, testantur; 5.) cum dubitatione, diffidentia & trepidatione luctantur. Fides porro pontificiis alia est *informis*, alia *formata*. Quam ergo infantibus fidem tribuunt? Non formatam: hæc enim non potest esse sine dilectione & operibus. Ergo informem, quæ cum per se sit mortua, quid nisi cadaver fidei eis relinquunt? *Habitus* omnis aut est *absolutus* aut *transitivus*. Exponant ergo, quem fidei habitum infantibus tribuant. Si *absolutum*, qui est qualitas in sese terminata, repugnant naturæ fidei, & erit mortua ac historica fides, quam etiam habent diaboli Jac. II. 19. Nam vera justificans fides non est absoluta qualitas, sed fiducialis Christi adprehensio. Sin habitum *relativum*, activum, adprehendentem & adplicantem sibi Christi λύτρον infantibus tribuunt, cur suam sententiam nostræ opponunt? Si per *actum fidei* intelligunt 1.) ἐνέργειαν fidei foras progredientem quoad proximum per opera caritatis, concedimus tali fidei operatione infantes carere: 2.) reflexionem & reciprocationem, qua credens scit, se credere, libenter largimur, etiam hanc deesse infantibus; 3.) sin accipiunt de ἐνεργείᾳ, qua fides per Spiritum sanctum in cordibus infantum accensa agit, paciscitur & stipulatur cum Deo; 1 Petr. III. 21. tum eam ἐνέργειαν negando nihil nisi inane fidei nomen ipsis tribuunt. GERHARDUS.

(**) In tota hac de fide infantum controversia, quæ nobis cum dissentientibus intercedit, non tam de eo est quæstio: *Utrumne fidem habeant parvuli?* Hoc enim, si non omnes, saltim plerique christianorum ultro fatentur; sed potius in eo quæstionis cardo vertitur: *cujus indolis sit illa fides*, quam parvuli baptizati habeant? Sententia, quam nostræ ecclesiæ theologi hoc adoptarunt, huc redit: I.) fidem illam pusillorum neque *alienam* esse, neque *habitualem*, qualem ipsis adfingunt ecclesiæ Romanæ doctores, neque esse tantum *seminalem*, qualem plerique theologi Reformati statuunt; sed esse *actualem*, *realem*, *personalem*, subjective *propriam* fidem, ita ut positiva adsit ratio factæ iis imputationis meriti Christi. Ut vero hoc rectius intelligatur, II.) monent theologi, fidem hancce veram & *actualem* per baptismum & in baptismo,

ti nondum habeant sensum fidei, libr. I. de peccat. merit. cap. 19. quod *divina nondum sciant*; epist. LVII. ad Dard. quod *nondum illa fides, quae in credentium voluntate consistit, parvulum fidelem faciat*; tract. LXXX. in Joh. quod *parvuli nondum possint corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem*. libr. IV. contra Donat. cap. 24. Neque aliud quidquam prorsus argumenta Bellarmini, quibus fidem actualem infantibus derogat, utpote quod infantes non agnoscant distantiam boni & mali, quod non attente auscultent verbo, quod non habeant sensum fidei &c. Si vero fidem *actualem* infantibus denegando omnem Spiritus sancti operationem in parvulo, dum baptizatur, negat, ita quidem ut alius baptizetur, alius vero credat, & aliena illa fides parvulo, in quo Spiritus sanctus nihil plane operetur, imputetur ad justitiam &

tanquam ordinario regenerationis sacramento, per Spiritum sanctum accendi in infantibus, & quidem per operationem quandam occultam, licet ipsis nobisque incognitam, ita, ut per fidem adoptentur in filios Dei, fiantque haeredes regni coelorum *Matth. XIX. 14. Gal. III. 26, 27.* Addunt III.) fidem *parvulorum* atque *adultorum* secundum *essentiam* eandem quidem esse; sed ratione *accidentium* plurimum differre. Hoc quippe respectu IV.) fides *adultorum* est *reflexa*, supponens distinctam atque explicitam rerum credendarum notitiam, cum adsensu firmo conjunctam; unde illius fidei *nobis conscii sumus*, seu *credimus, quod credamus*. Talis autem non est fides *parvulorum*, qui nec distinctae cognitionis, nec conscientiae eorum, quae fiunt in anima, capaces sunt. Unde eorum fides adpellari solet *directa*, nihilque aliud est, quam tendentia in salutem merito Christi partam. Nec, quod V.) notamus, exacta hujus fidei infantum exposci potest definitio. Profecto enim ne mentis quidem nostrae natura perfecte nobis cognita est atque perspecta. Unde & VI.) ingenue fatentur theologi, modum productionis fidei tam in *infantibus*, quam in *adultis*, incomprehensibilem esse.

Atque hanc ipsam ob rationem minime consultum esse arbitramur, de fide infantum, qualis illa sit, longam instituere disputationem, cum non tantum usu disceptatio ista careat, sed & res ipsa a nemine dilucide explicari queat. Sobrie ac modeste de hocce argumento disseruit MART. CHEMNITIUS, supra a GERHARDO laudatus, qui in *examine concilii Tridentini part. II. libr. II. sect. X. p. m. 338.* inter alia observat, quando dicitur, *infantes credere*, aut fidem habere, *non esse imaginandum, infantes intelligere, aut sentire motus fidei; sed rejici errorem illorum, qui imaginantur, infantes baptizatos placere Deo, & salvos fieri sine actione aliqua Spiritus sancti in eis, cum Christus clare dicat, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu; & semper cum remissione peccatorum detur Spiritus sanctus.* Quod ipsum postquam in verbis supra a GERHARDO recitatis uberius exposuisset, haec tandem subjicit verba: *Ergo oportet Spiritum sanctum in infantibus, qui baptizantur, efficacem esse, & operari, ut regnum Dei, quod in baptismo offertur, & donatur, accipere possint, suo quodam modo, nobis nec satis cognito, nec explicabili.* In qua quidem sententia nos quoque jure meritoque adquiescimus.

Qui plura hanc in rem legere voluerit, evolvat dissertationes singulares ÆGYDII HUNNII, NISANII, AFFELMANNI, QUISTORPII, PETR. HABERKORNII, & JO. ADAMI OSIANDRI, *de fide infantum*, itemque SCHERZERI, DEUTSCHMANNI & WALTHERI *de fide baptizatorum infantum*; nec non *disputation. Giessens. tom. II. p. 541. seqq. & tom. VIII. p. 294. seqq. disput. Witteberg. tom. III. disp. I.* Quibus addi possunt ERNEST. GERHARDUS & JO. FRID. MAYERUS, qui *de salute infantum ante baptismum deced.* scripserunt. Ut scriptores systematicos taceamus.

Merentur insuper legi, qui de fide infantum, quum adhuc in utero sint, commentati sunt, veluti CHRISTIAN. HECHTIUS in *dem Versuch eines Beweises aus der Vernunft und Schrift für den Glauben der Kinder*, Brem. *MDCCXLV.* 8. JO. ANDR. BUTTSTETTIUS, in *den Schrift- und vernunftmäßigen Gedanken von dem Glauben der ungetauften Christenkinder*, Guelpherb. *MDCCXLVIII.* 8. &, qui primo nominandus erat loco, ven. J. G. WALCHIUS in diss. *de fide infantum in utero*, Jenae *MDCCXXVII.* quam in sermonem germanicum convertit notisque instructam edidit ADAM LEBRECHT MÜLLERUS, sub titulo: *Gedancken vom Glauben der Kinder in Mutterleibe*, Jenae *MDCCXXIX. MDCCLVI.* 8. Referri quoque huc potest CHRISTIANI FRID. BOERNERI diss. *de fide Jacobi in utero*, Lips. *MDCCVII.* edita, & an. *MDCCXXXIV.* ibidem recusa.

& salutem, tum adparet ex superioribus fundamentis, quid sit respondendum. Bellarminus hanc Spiritus sancti in infantibus operationem vocat fidei *habitum*, quem opponit fidei *actuali*. Sed cum infantes, teste Christo, *recipiant regnum cœlorum*, hoc est, gratiam Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam, cum Christum adprehendant ad salutem, non quidem more adultorum, sed pro suo captu & modulo nobis inexplicabili, quomodo fidei actus simpliciter & absolute illis denegari poterit? Quomodo otiosus aliquis fidei habitus illis tantummodo tribuendus (*)? Quæcunque argumenta Bellarminus profert, quibus probat, infantes non justificari sine fide, ea etiam probant, fidem infantum non esse nudum ac otiosum habitum omni plane actu & ἐνεργείᾳ destitutum, sed vivam ac efficacem fidem. *Fides* (ait Bellarminus) *est medium ad salutem necessarium. Sine fide impossibile est Deo placere: homo justificatur per fidem. Ergo tribuere parvulis justificationem sine fide, est fingere novam justificationem contra Dei verbum.* Hæc ille rectissime. Subsumimus autem, fidem illam, quæ justificat ac salvat, non esse nudum & otiosum habitum, omni actu & ἐνεργείᾳ destitutum, sed vivam & efficacem. Ergo & talis erit infantum fides (**). Repetimus definitionem fidei justificantis in scriptura traditam, quod sit fiducialis adprehensio Christi ad vitam æternam. Ut ergo beneficia Christi in baptismo & per baptismum offeruntur infantibus: ita ab eis adprehendi non possunt, nisi fide propria, quam Spiritus sanctus in ipsorum animis per hoc sacramentum accendit. Augustinus lib. I. de peccat. merit. cap. 9. *Parvulis occultam gratiam, cum baptizantur, infundi* dicit. Epist. LVII. *Dicimus in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum: sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam, cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, veluti scintilla quædam sopita est excitanda ætatis adsensu.* Serm. XIV. de verb. apost. post adlegatam Christi sententiam: *Qui non crediderit, condemnabitur, interrogat Pelagium, ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium, nam ideo & consuetudine ecclesiae antiqua, canonica, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur: inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse haereticus.* Bernhardus serm. V. in cant. *Infantes habent fidem, sed ex miraculo.*

§. CCXXX. Nos igitur non de modo fidei sumus soliciti, sed in *Argumenta adversariorum*

(*) Dicimus, *fidem infantum esse actualem*, non respectu externarum operationum, sed internarum & fidei propriarum. Nam absque externis aliarum virtutum operibus propria & interna fidei opera esse posse, planissimo somniantium exemplo confirmatur. Quomodo illam habeant, captu nostro adsequi nos non posse fatemur. Andr. Osiander disp. de bapt. anno 1615. q. 13. *Quoad qualitates & conditiones fidei non est per omnia eadem ratio fidei in infantibus & adultis, siquidem in infantibus per externas operationes & externos fructus fides se ita non exserit, ut fit in adultis, interim manet ipsa fidei substantia & ipsius ratio formalis, quæ est adprehendere Christum.* Gravenus: *Non docemus, infantes in baptismo talem habere fidem actualem, quæ per sensibiles motus & operationes sese exserat, sicut in adultis, sed statuimus, Spiritum sanctum in actione baptismi suam gratiam & efficacia in infantibus operari fidem, quæ non sit otiosus aut nudus habitus, sed actu aliquo (cujus modus tamen nobis est inexplicabilis) Christum induat,* Gal. III. 27. *regnum cœlorum recipiat*, Marc. X. 15. *& regenerationis ac salutis particeps fiat.* Joh. III. 5. Tit. III. 5. 1 Petr. III. 21. *jam vero induere Christum, recipere regnum cœlorum, adipisci regenerationem & salutem, sunt indubii actus fidei. Ergo fidem infantum suo modo actualem esse necesse est.* GERHARDUS.

(**) *Qui credit in Filium*, (non qui habitu fidei infuso præditus) *habet vitam æternam*; Joh. III. 16. illud autem *credere*, nihil aliud est, quam Christum adprehendere, explicante ipso Johanne cap. I. 12. ubi si τὸ *credere* de nudo fidei habitu exposueris; sequetur, duas esse credentium classes, in quibus aliqui per fidem *habitualem*, aliqui per *actualem* salventur. GERHARDUS.

contra fidem infantum.

in illa simplicitate adquiescimus, quod infantes vere credant, & per fidem in baptismo gratiæ Dei, remissionis peccatorum, regenerationis & salutis æternæ participes fiant, quod ipsum quibus argumentis adversarii impugnent, discipiendum porro erit. I.) *Fides est ex auditu.* Rom. X. 17. *Infantes non audiunt verbum. Ergo non habent fidem* (*).

1.) Infantes non audiunt verbum.

Resp. 1.) Argumentum procedit a *particulari*, quia non solum prædicatio verbi, sed etiam administratio baptismi est efficax medium, per quod Spiritus sanctus fidem & salutem operatur: non solum verbum *est incorruptibile illud semen, ex quo renascimur;* 1 Petr. I. 23. sed etiam baptismus est *lavacrum regenerationis.* Tit. III. 5. Regeneratio autem & fides sunt ἀδιαιρέτως conjuncta. Sacramenta sunt verbum visibile, quod ergo verbo ἀκούω tribuitur, id verbo huic ὁράτῳ non est denegandum (**). 2.) Si dicant, hæc duo non posse simul consistere, quod Spiritus sanctus fidem excitet, & quod beneficia in baptismo oblata fide adprehendantur, *respondemus*, duo esse baptismi officia in infantibus; *primo* per eum accenditur fides, ut per causam instrumentalem & salutare Spiritus sancti organum, *deinde* eadem confirmatur & obsignatur per baptismum, ut per sigillum seu signaculum fidei. Declaramus hoc simili exemplo. *Auditus sermo non prodest, nisi fide misceatur;* Hebr. IV. 2. & tamen ille ipse sermo auditus est medium fidei excitandæ. Ut ergo per auditum & meditationem verbi fides accenditur, per quam fidem auditus sermo prodest: sic in infantibus per baptismum, tanquam ordinarium regenerationis medium, excitatur fides a Spiritu sancto in infantibus, per quam baptismus est salutaris. 3.) Licet alia ratione in adultis intelligentibus & volentibus sit fides, quam in infantibus rationis usum non habentibus, non tamen ob id simpliciter deneganda est infantibus fides propter argumenta superius adlata. In adultis oritur fides ex auditu, meditatione & adprehensione verbi prædicati; est adsensio in mente, fiducia in voluntate, qua cor erigitur & quietatur. Credens scit se credere, vult & conatur fidem retinere & subinde crescere, luctatur cum dubitatione, diffidentia & trepidatione, exserit efficaciam suam signis & testimoniis externis; hoc modo non excitatur, nec exserit se fides infantum, sed ex eo nimis large infertur a distributo ad non distributum procedendo, quod infantibus plane deneganda sit fides. Lutherus in cap. XII. Hos. tom. IV. lat. fol. 665. *Quid mirum est, Spiritum sanctum in infantibus esse efficacem eo modo, quem nos non intelligimus? Cum habeant vitam, carnem & ossa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur. Vere igitur odiosum & impium Anabaptistarum dogma est, qui ideo pueris baptismum negant, quod sensu & mente careant, nec intelligant, quæ cum eis agantur. Nobis non intelligunt, nobis mente & sensu judicantur carere, sed Deo non sic, cujus opus sunt. Deus enim sicut alio modo eos alit, quam nos, ita quoque alio modo movet eorum corda* 4.) Quid enim, an non Jeremiæ & Johanni in utero materno datus est Spiritus sanctus, an non in Davide hoc præstitit, ut ab uberibus matris suæ adhuc pendens fiduciam in Domino collocaret? 5.) Deus creaturas irrationales adloquitur, ut jussui & verbo ejus obediant; Deut. XXXII 1. Esaj. I. 2. quanto magis cum infantulis per verbum in baptismo agere potest: quo pertinent verba Luther

(*) Beza in præfat. p. I. resp. ad colloq. p. 22. *Si dictum illud apostolicum verum est*, fides est ex auditu, *& quidem* prædicantis ore, *unde tandem fides illa vestrorum infantum?* Sed hoc Bezæ argumentum late refellit ipse Calvinus lib. IV. instit. c. 16. §. 19. GERHARDUS.

(**) Matth. XXVIII. 19. dicit salvator, μαθητεύσατε, *facite discipulos.* Quomodo? *baptizantes & docentes*, quæ duo, baptismum & doctrinam, cum juxta se ponat salvator, ostendit fieri discipulos alios quidem per doctrinam, alios vero per baptismum. Quare auditus verbi negatio non protinus negat ipsam fidem. GERHARDUS.

ri

ri in lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. *Sicut verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impii cor immutare, quod non minus est surdum & incapax, quam nullus parvulus: ita per orationem ecclesiae offerentis & credentis parvulus in baptismo fide infusa mundatur, mutatur ac renovatur.*

§. CCXXXI. II.) *Infantes non habent usum rationis. Ergo nec fidem.* Resp. 1.) Quamvis non possimus percipere, quomodo fides infantum comparata sit, tamen fidem illis denegare non debemus propter expressa scripturae dicta, quae testantur ipsos credere. 2.) Operatio Spiritus sancti fidem excitantis non est adligata ad usum rationis humanae. Matth. XVI. 17 *Caro & sanguis non revelavit tibi* (*). 2 Cor. III. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* 3.) Imo cum τὸ φρόνημα σαρκὸς & νόημα intellectus sint *inimicitiae adversus Deum.* Rom. VIII. 7. 1 Cor. II. 14. 2 Cor. X. 15. melior erit hac in parte conditio infantum, quam adultorum: ratio enim, quando usu suo se exserit, & suis λογισμοῖς indulget, impedit potius fidem, quam ut eam promoveat. 4.) Adulti fideles in somno ratione non utuntur, ecquis vero pronunciabit, eos in somno vera fide destitutos esse, nec *Christum in cordibus ipsorum per fidem habitare?* Eph. III. 17. In phraenesi, in agone mortis &c. perit usus rationis, an statim fidem defecisse dicemus? 5.) Quando Christus dicit Joh. III. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat: sic est omnis ex Spiritu natus;* ostendit, operationem Spiritus sancti in regeneratione non esse sensibus ac intellectui nostro subjectam. 6.) Johannes in utero materno repletus Spiritu sancto praesentem Messiam saltu excipiebat; Luc. I. 41. quis vero dicet, ratione illum eo tempore fuisse usum? Oseas cap. II. 20. & 21. dicit: *terram in annonae caritate clamare ad caelum, caelum clamare ad Dominum.* Davides Psalm. CIV. 21. pronunciat, *catulos leonum rugitu suo quaerere escam a Deo.* Job. XXXVIII. 41. & Psalm. CXLVII. 9. *Pulli corvorum* dicuntur *clamare ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos.* Rom. VIII. 22. Creatura dicitur *ingemiscere ad Deum, ut liberetur a servitute corruptionis.* Hos gemitus, has voces, hos clamores nos non audimus, nec intelligimus, Deus vero audit & intelligit: quanto minus ex eo, quod non intelligimus, quomodo infantum fides comparata sit, colligi poterit, ipsos fide carere, de qua expresse Deus testatur, qui *plus potest praestare, quam nos intelligimus,* Eph. III. 20.

2.) *Infantes non habent usum rationis.*

§. CCXXXII. III.) *Infantes, ubi adoleverint, non possunt rationem reddere suae fidei, nec ejus recordantur.* Resp. 1.) Johannes in utero matris repletus erat Spiritu sancto Luc. I. 15. ac Christum praesentem fide agnoscens, laetissimo saltu eundem excipiebat, v. 41. idem tamen in aetate adulta in fidei articulis informandus erat, quin imo diserte testatur Joh. I. 31. quod in principio ministerii personam Messiae in individuo non agnoverit (**). 2.) Christus Matth.

3.) *Infantes in adulta aetate non recordantur suae fidei.*

(*) *Distinguendum inter notitiam naturalem per media naturalia & humana adquisitam, qualis etiam in impiis esse potest, & notitiam spiritualem a solo Spiritu sancto excitatam. In illis, qui rationis usu destituuntur, non potest esse notitia naturalis, bene tamen spiritualis.* Grauerus. Idem argumentum refellit Calvinus lib. IV. instit. cap. 16. §. 17. *Ut maxime concedamus, non uti infantes ratione per causas naturales, hinc tamen minime efficitur, ne quidem in regeneratione tales rationis motus supernaturales cieri. Et sane quia hominem sine rationis motu de novo generari, a peccatis lavari, maxime est absurdum, credimus, qui fecit sine mediis, ut Johannes embryo sciret,* (utique per rationem, quia per nullam vim & facultatem aliam) *foetum a Maria conceptum sibique praesentem esse Messiam, eundem etiam posse per media in quocunque infante rationem ad operandum excitare, licet id naturae conditionem superet.* Hunnius disp. de bapt. aq. §. 72. GERHARDUS.

(**) Quando igitur dicit, *non noveram illum*, loquitur de notitia sensuum, quoad exteriorem fa-

XVIII. 6. de parvulo, quem in medium ſtauerat, adſerit, quod vere credat, ecquis audem certo adſeverare auſit, eum de Chriſto ejusque perſona & officio *explicite* reſpondere potuiſſe? 3.) Adulti in ſomno, in παραφροσύνῃ &c. fidem retinent, quamvis externa oris confeſſione eandem non manifeſtent (*). 4.) Faceſſant ergo humanæ rationis argutiæ, & audiatur Spiritus ſancti teſtimonium de infantum fide in ſacris literis propoſitum. *Deus ſolus novit corda filiorum hominum.* 2 Paral. VI. 30. *Ipſe ſcit, quid ſit in homine.* Joh. II. 25. Demus ergo verbis ejus hunc honorem, ut teſtimonio ejus de infantum fide fidem habeamus.

4.) Infantes reluctantur baptiſmo.

§. CCXXXIII. IV.) *Infantes & vocis ejulatu & motibus corporis reluctantur & obſtrepunt baptiſmo. Si ergo crederent, & vere intelligerent, quid fieret, rei fierent ingentis ſacrilegii, nec abluerentur, ſed ſordidarentur.* Reſp. 1.) Auguſtinus epiſt. LVII. hoc argumento utitur, ut probet, infantes non habere ſenſum fidei, nec ſcire divina, quod nobis non adverſatur, qui nequaquam talem, hoc eſt, tam explicatam & ſenſibilem fidem, qualem adulti habent, infantibus tribuimus. 2.) Sed non poteſt nec debet ex eo deduci, quod infantes plane careant fide, cum ſcriptura expreſſe illis tribuat fidem, contra quam nullæ rationis argutiæ exaudiri debent. 3.) Chriſtus, qui ratione ſubſtantiæ carnis & effectuum nobis ſimilis factus, Hebr. II. 17. naturali quodam ſenſu dolores refugiebat: *Pater* (inquit) *ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte,* Matth. XXVI. 39. Adſpice eum provolutum in conſpectu Dei ac miſere querulantem, nec ulla veritatis ſpecie negare poteris, Chriſtum vere ſentire dolores mortis & inferni, ac graviter ob eos conqueri, abſit vero ut ſacrilegium propterea Chriſto tribuamus. 4.) Infantes circumciſi ſenſerunt dolorem acerbiſſimum, ac propter eum reluctati ſunt circumciſioni, nihilo tamen minus circumciſio ipſis erat *ſignaculum juſtitiae fidei.* Rom. IV. 11. 5.) Si motus illi reluctantes in infantibus impediunt fidem, impedient etiam regenerationem, ex quo conſequens erit, baptiſmum non amplius eſſe *lavacrum regenerationis.* Tit. III. 5. 6.) Quid vero dicemus de morte hominis, quam natura noſtræ carnis non poteſt non averſari? Auguſtinus tract. CXXIII. in Joh. *Adfectus ille infirmitatis, quo nemo vult mori, uſque adeo naturalis eſt, ut eum Petro nec ſenectus auferre potuerit:* numquid vero & tunc ceſſat fides noſtra? abſit!

5.) Propatres infantum loco ipſos credere reſpondent.

§. CCXXXIV. V.) Ἀναδόχοι *ſive propatres quaeſiti: An infans credat in Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, pro infante reſpondent affirmate. Ergo infantes baptizantur in fidem eccleſiae ac propatrum.* Reſp. 1.) Invertimus hoc argumentum. Si enim infantes, qui baptizantur, non habent fidem, quid eſt, quod baptizans nominatim ab infante quærit, & ſuſceptor ipſius nomine reſpondet, quod credat? Si hæc ſunt vana tantum ſpectacula, quomodo talibus ludibriis Deus ad iracundiam non provocatur? Auguſtinus lib. I. de peccat. merit. & remiſſione cap. 33. *Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles? Sicut univerſae ubique eccleſiae clamat auctoritas. Ergo inter eos, qui crediderunt, hoc enim eis adquiritur per virtutem ſacramenti & offerentium reſponſionem.* 2.) Suſceptores igitur repetunt, quod Chriſtus tanquam os infantum pro ipſis in evangelio teſtatus eſt, nimirum parvulos credere, illorum eſſe regnum cœlorum, & adultos debere ſimiles effici parvulis. 3.) Uſus ſuſceptorum ſive patrinorum in baptiſmo nec a Chriſto inſtitutus, nec ab apoſtolis adhibitus; ſed ab eccleſia chriſtiana, propter cauſas ſuo

faciem, interim in ipſo utero eum certa ratione noverat. GERHARDUS.

(*) Sæpe adulti ſpatio aliquot annorum elapſo non amplius recordantur, ſe ante annos aliquot ſciviſſe, quod tamen revera ſciverunt. Adulti non poſſunt explicare, quomodo in ſomno & morbis gravioribus retinuerint fidem. GERHARDUS.

suo loco exponendas, bono consilio introductus. Jam vero ex instituto quodam ecclesiæ contra expressum Dei verbum nihil potest concludi. 4.) Susceptores hoc responso manifestum faciunt, in cujus nomen infans sit baptizandus, cui fidem det in baptismo &c. Quin etiam per preces suas infantem Christo offerunt, qui per baptismum eum regenerat, fide propria donat, & in fœdus Dei ad salutem æternam recipit. 5.) Adde, quod quidam ex Calvinianis improbent hæc interrogata & responsa susceptorum. Sic enim scribit Chassanio lib. II. loc. comm. cap. 43. sect. 1. pag. 283. *Perridiculum est, quod ab adultis in baptismo postulabatur, id ab infantibus exigere, scilicet ut de fide sua rogati respondeant, cum ne quidem fandi facultatem habeant.* Bucanus loco XLVII. pag. 634. *Illud credis? credo: abrenuncias? abrenuncio, ab adultorum baptismo ad paedobaptismum perperam, si ipsos infantes spectes, translatum est.* Quomodo igitur ex ceremonia ecclesiastica, quam ipsimet improbant, contra nos argumentari possunt (*)?

§. CCXXXV. Quæritur VI.) *Quid statuendum de infantibus ante usum baptismi, vel in utero materno, vel statim a nativitate mortuis*(**)? Resp. Augustinus studio adserendæ necessitatis baptismi contra Pelagianos in duriorem illam prolapsus est sententiam,

Q. 6.) Quid statuendum de infantibus ante baptismum mortuis. Sententia Augustini.

(*) Cæterum, *quod infantes credant ante baptismum*, conantur aliqui ex eo probare: 1.) *Preces piorum non sunt irritæ inprimis in causa salutis æternæ. Atqui pii petunt ante baptismum infantes fide donari.* Resp. a.) Preces instituendæ juxta Dei voluntatem, 1 Joh. V. 13. at talis voluntas, quod Deus omnes & singulos infantes in ecclesia natos, ante baptismum perceptum, fideles efficere velit, nuspiam in scripturis revelata. b.) Preces ecclesiæ eo spectant, ut Deus in infantibus per ordinarium regenerationis medium, videlicet per baptismum fidem excitet: si vero baptismo priventur, non dubitamus, quin Deus per preces piorum in ejusmodi infantibus fidem operari queat. 2.) *Propatres ante baptismi perceptionem respondent loco infantis*: Credo! Resp. a.) Argumentum est desumtum a consuetudine humanitus introducta. Ex baptismo adultorum transsumtum est. b.) Licet forma interrogandi in *præsenti* sit formata, nihilominus tamen non significatur, quid ante baptismi actionem fiat, sed tantum, quod infantes in ipso baptismi actu, qui mox subsequitur, credant & regenerentur; 3.) *Lutherus in post. eccles. Dom. III. post festum Epiph. statuit infantes secum adferre fidem ad baptismum.* Resp. a.) Disputat ex hypothesi contra pontificios, qui infantes in fidem ecclesiæ absque propria fide baptizari docebant, hos ex propriis principiis, inprimis ex hac formula interrogandi? *credisne*: confutat, ostendendo, si in baptismi actu infans prorsus careat propria fide, falso patrinos infantis nomine respondere, quod credat. b.) Urget quidem Lutherus, fidem infantibus per preces piorum conferri, sed quod hoc semper & necessario ante baptismi actum fiat, non expresse determinat, sed potius ad ipsum baptismi actum proprie sic dictum refert. c.) Quare contra Waldenses disputans sic concludit: *Necessum est, ut fides, si non ante baptismum, tamen in ipso baptismi actu adsit, si infans a peccato & diabolo liberari debeat.* At quid opus erat hac correctiva locutione, si infantes semper & necessario ante baptismum fidem habere statueret? Et rursus: *Quapropter hoc dicimus & concludimus, infantes ipsos in baptismo credere & propriam fidem habere, quam Deus in ipsis operatur per preces patrinorum, qui eos ad baptismum adducunt.* GERHARDUS.

(**) Hanc quæstionem supra jam attigit GERHARDUS *tom. VIII. loc. XIX. cap. V. sect. IV. §. 53. p. 242.* Uberius vero eandem pertractavit in *confess. cathol. p. 1408, 1409.* Conferenda, quæ JUSTUS FEUERBORNIUS in *fasc. II. controvers. disp. VII. & VIII.* BALTH. MEISNERUS *anthropol. dec. I. disp. VII.* DANNHAUERUS in *hodomor. pap. phantasm. X. p. 518. seqq.* GIESSENSES *disput. tom. II. disp. XIV. p. 376.* BALDUINUS in *casib. conscient. libr. II. cap. XI. casu 3. & libr. IV. cap. VIII. casu 6.* aliique hanc in rem scripserunt. Hoc unicum paucis notamus, non audiendos esse eos, qui ad scientiam Dei mediam hoc confugiunt, statuentes, eos infantes salutem consequi æternam, quos Deus crediturus evangelio, eos contra damnari, quos non crediturus præviderit; cum nemo ob causam, quæ actu nondum exstitit, vel salvari, vel damnari queat.

tiam, quæ infantibus non baptizatis vitam æternam simpliciter denegat, ut videre est epist. XVII. LXXXII. XCII. & XCIV. lib. de fide ad Petrum cap. XXVII. (*) Interim, quæ ipsius modestia, dubitanter ut plurimum in hac quæstione procedit, libr. I. de peccat. merit. & remiss. cap. 15. lib. VIII. de origin. an. cap. 18. &c. Pontificii, ut rigorem illius sententiæ aliquo modo corrigerent, medium locum inter cœlum & infernum excogitarunt, quem vocant *limbum* infantum, in quo nec bene nec male sit talibus infantibus, ut adparet ex Bonaventura libr. II. sent. dist. 33. quæst. penult. Unde mos enatus, infantes non baptizatos ceremoniis sepulturæ christianæ fraudandi, eosque in peculiari aliquo cœmiterii angulo terræ mandandi. Dominicus a Soto libr. II. de natura & gratia cap. 10. *in ecclesia constitutissimum esse* dicit, *nullum parvulum absque baptismo in re, quem in voto habere non potest, intrare regnum cœlorum* (**). Hungerus in colloq. Ratisbonens. pag. 34. edit. Lubec. *Ejusmodi infantes, qui sine baptismo decedunt, non salvantur, quod est fides catholica* (***). Azorius Jesuita lib. II. instit. moral. cap. 17. *Aliquando aliquorum patrum opinio cum communi theologorum sententia pugnat, ut cum docent patres, infantes absque baptismo morientes igne perpetuo cruciari: Communis autem scholasticorum opinio est & verior, eos pœna sensus non puniri* (****).

Pontificiorum.

§. CCXXXVI.

(*) Sententiam AUGUSTINI de statu parvulorum defunctorum sine baptismo, adeurate edisserunt JO. FORBESIUS in *instruct. historico-theolog. libr. VIII. cap. II. controv. 17. §. 2. p. m. 379.* ubi & hoc observavit, AUGUSTINUM alibi adseruisse, parvulos sine baptismo decedentes in damnatione omnium mitissima futuros, cum solum habeant originale peccatum, nec ullis propriis adgraventur. Addimus & hoc, AUGUSTINUM interdum de baptismo diversa, quin & inter se contraria docuisse. In nonnullis enim locis baptismo absolutam tribuit necessitatem, in aliis vero statuit, sufficere *fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest*, quum, ut nonnullis interjectis pergit: *ministerium baptismi, non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit, libr. IV. de baptism. contra Donatistas, cap. 22. tom. IX. oper. p. 94.*

Fuerunt autem, præter AUGUSTINUM, alii quoque patres ecclesiæ seculo quarto clari, qui de necessitate baptismi ita subinde locuti sunt, ut haud obscure significent, sine illius usu nemini spem relictam esse, consequendi vitam æternam. Occasionem huic sententiæ suppeditarunt verba servatoris *Joann. III. 5.* minus recte atque adeurate intellecta. In hancce classem referendi sunt CHRYSOSTOMUS *homil. III.* in 1 *epist. ad Corinth. p. 256.* atque CYRILLUS *Hierosolymitanus, catech. III. cap. II. p. 35.* Quibus ex seculi quinti scriptoribus GELASIUM, ecclesiæ Romanæ præsulem, adjungimus. Vid. ejusdem *epist. VII.* ad omnes episcopos per Picenum. Atque horum vestigia deinceps secuti sunt BERNHARDUS *epist. LXXVII.* PETR. LOMBARDUS, ejusdemque discipuli, *4. sent. dist. 4.* nec non alii, quos nominare superfedemus.

(**) Lindanus libr. IV. panopl. cap. 15. pro hæresi Pelagiana protestantibus impingit, quod doceant *infantes sine baptismo posse salvari.* Resp. hoc Pelagiani non docuerunt, sed *proprius in hac parte error Pelagianorum fuit, negare peccatum originis simpliciter.* Bellarminus de not. eccles. cap. 9. art. 45. Gregorius de Valentia de pecc. orig. cap. 2. Merito ergo hic aliquis dixerit cum Erasmo in epist. ad card. Mogunt. p. 475. edita Basileæ anno 1521. *Compertum est, damnata ut hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernhardi, Augustinique libris, ut orthodoxa imo & pia leguntur.* GERHARDUS.

(***) Hungeriano illi effato in eodem colloquio, si recte æstimes, contradicit Tannerus pag. 257. edit. Lubec. GERHARDUS.

(****) Et libr. IX. tom. I. mor. c. 33. §. 3. *infantes absque baptismo etiam in casu necessitatis mortuos esse mortis æternæ reos*, scribit. Lindanus libr. IV. panopl. cap. 15. *esse condemnandos*, Maldonatus in Matth. XXV. 23. *perire*, Bellarminus lib. I. de bapt. cap. 4. art. ult. *ad sinistram futuros esse cum hircis*, Maldonatus d. l. *statim ac moriuntur, mox in infernum descendere.* Ex concilio Florentino Canus in relect. de sacram. part. II. §. adferunt: *ipsorum animas una cum corporibus resumtis detrudendas esse in tenebras.* GERHARDUS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0282-1

Bellarminus quinque sententias de statu talium infantum numerat.

§ CCXXXVI. Bellarminus libr. VI. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 1. quinque numerat sententias de statu talium infantum: Prima *est eorum, qui regnum cælorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent, eos in peccato originali conceptos & natos.* Altera *est eorum, qui parvulos non baptizatos excludebant a regno cælorum & vita beatis promissa: tamen eis dabant vitam aeternam & naturalem beatitudinem, sine ulla molestia aut dolore extra regnum beatorum & procul a carcere damnatorum, hoc est, in loco medio inter gehennam & coelum.* Tertia *sententia docet, parvulos sine baptismo decedentes damnari apud inferos aeterna morte: sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur pœna damni, ut nullum patiantur dolorem, neque internum neque externum.* Quarta *sententia liberat parvulos ejusmodi a cruciatu ignis & vermis, quae proprie dicitur pœna sensus, sed non liberat eos ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternae felicitatis.* Quinta *sententia docet, parvulos propter originale peccatum utroque genere pœnae, damni scilicet & sensus, in gehenna perpetuo cruciari.* Habes exemplum consensus Pontificii tantopere deprædicati, cum præter primam sententiam reliquæ omnes suos in Pontificia ecclesia habeant adsertores. Secundam enim amplectitur Ambrosius Catharinus & Albertus Piggius. Tertiam Thomas & aliquot scholastici doctores. Quartam Lombardus, quem alii nonnulli sunt secuti. Quintam Gregorius Ariminensis & Joh. Driedo. Unde cap. 2. §. *hoc solum* fatetur Bellarminus, *quosdam Scholasticos constituere infantes in parte inferni altiore, quam limbum puerorum adpellant, quosdam vero cum caeteris damnatis in eundem locum eos redigere.* Cui vero Bellarminus accedit? cap. 2. adserit, *parvulos sine baptismo decedentes mortis aeternae pœna damnandos esse.* Cap. 4. probare conatur, *parvulos sine baptismo decedentes non puniendos pœna sensus sive ignis sensibilis.* Cap. 6. disputat contra Thomam & Bonaventuram, *probabile esse, parvulos illos passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, quod scilicet intelligent se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos, & in tenebris perpetuis vitam acturos.* De quibus omnibus ita disputat Bellarminus, ac si ex infernali illo infantum carcere nuper ad nos rediisset.

Calviniani contra statuunt, infantes fidelium ab utero esse sanctos.

§ CCXXXVII. Qui Calvinum sequuntur, in adversum impingunt scopulum, baptismi necessitatem simpliciter negantes (*) ac statuentes, *infantes fidelium pariter omnes sive baptizatos sive non baptizatos ex utero materno jure haereditario promissionis esse sanctos, & fœdere Dei ac societate aeternae salutis gaudere.* Calvinus lib. IV. inst. cap. 15. sect. 20. Beza colloq. Mompelg. pag. 434. ad thes. 3. Wirteb. Sadeel. in resp. ad Burdegal. art. 11. p. 87. Ursinus in comp. theol. p. 528. Gentilis in apol. pro Christ. Gall. cap. de bapt. (**). Petrus Martyr I. class. 4. loc. com. cap. 5. sect. 16. hac de re sic disputat: *Neque haec a me dici eo putanda sunt, quod omnibus pueris fidelium absque sacramento decedentibus*

(*) Fuerunt iam olim, qui ita statuerent. Tertullianus libr. de baptismo disputat adversus Quintillam, fœminam hæresis illius nefariæ auctricem, quæ baptismum ad salutem necessarium esse pernegabat, quam fœminam TERTULLIANUS initio statim ejus libelli vocat *viperam & aspidem, quod baptismi aquas fugeret. Nam* (inquit) *veræ viperæ & aspides ipsaque reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.* Ex recentioribus IO. VOELKELIUS Photinianus in resol. nodi Gordii pag. 18. *Baptismum ad salutem summe necessarium esse, nusquam apud sacros auctores scriptum leginus.* GERHARDUS.

(**) Musculus in locis comm. f. 338. invehitur in eos, *qui cum infantibus satis ad baptismum festinant, ubi si seculi mores pateretur, ipsi non displiceret Nazianzeni sententia, qui consuluit, ut parvulorum baptismus differatur in annum usque tertium.* GERHARDUS.

dentibus id pollicear. Si enim id facerem, temerarius haberi possem. Illos divinae misericordiae judicandos relinquo, cum de arcana electione & praedestinatione mihi nihil constet: sed tantum hoc adsero, eos revera servari, in quos electio divina incurrit, quanquam baptismus non intercesserit. Item de hujusmodi parvulis bene spero, quod illos videam ex fidelibus parentibus natos; quae res habet non vulgares promissiones, quae licet non sint generales quoad omnes, attamen cum nihil secus videam de salute talium infantium, par est, ut bene sperem.

Nostra hac de re sententia.

§. CCXXXVIII. Nos incedimus via media, docentes, baptismum esse quidem ordinarium initiationis sacramentum & regenerationis medium omnibus omnino etiam fidelium liberis ad regenerationem & salutem necessarium; interim tamen in casu privationis sive impossibilitatis salvari liberos christianorum per extraordinariam & peculiarem dispensationem divinam. Necessitasenim baptismi non est *absoluta*, sed *ordinata*: ex parte nostra ad baptismi susceptionem obligati sumus, interim tamen non neganda est actio Dei extraordinaria in infantibus Christo a piis parentibus & ecclesia per preces oblatis atque exstinctis, priusquam baptismi copia illis fieri posset, cum Deus suam gratiam & salutarem efficaciam non ita adligarit baptismo, quin in casu privationis extraordinarie agere & velit & possit. Distinguimus igitur inter necessitatem ex parte *Dei* & ex parte *nostri*: inter casum *privationis* & viam *ordinariam*; itemque inter infantes natos in ecclesia & *extra* ecclesiam. De infantibus extra ecclesiam natis (*) dicimus cum apostolo: 1 Cor.

(*) Utrum infantes extra ecclesiam nati, & praematura morte occumbentes salventur, nec ne? de eo diversae sunt theologorum, nostrae etiam ecclesiae, sententiae.

Nonnulli quidem simpliciter eos damnant, malaque tam *privativa*, quam *positiva* iis post mortem infligi statuunt. Hancce sententiam amplexi sunt ex nostris IO. NICOL. QUISTORPIUS, ABRAH. CALOVIUS, IO. FECHTIUS, CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHIUS aliique, quamvis nonnulli ex iis a malis *positivis* eosdem immunes, solis *privativis* exerceri arbitrentur. Horum partibus se adsociavit b. BUDDEUS, qui in *institut. theol. dogmat. p. 811.* itemque *p. 1459.* adserit, infidelium infantes damnari quidem, sed statum tamen illorum longe tolerabiliorem fore, quam adultorum hominum, qui eandem sortem subeunt.

Sunt tamen alii, quibus nimis videtur durum, infantes gentilium absolute damnare, eo quod non curaverint, se ipsos baptizari, quod tamen in ipsorum potestate non fuerit. Hinc de ipsorum salute optime sperandum esse judicant. Mitiorem hancce sententiam propugnarunt IO. CONR. DANNHAVERUS in *hodosophia, phaen. X. p. 729.* IO. HULSEMANNUS in *breviar. theol. cap. X. thes. XX. p. 627.* & *cap. XV. thes. XVI. p. 1035.* IO. AD. SCHERZERUS in *system. theolog. p. 169. seqq.* IO. AD. OSIANDER, in *colleg. systemat. part. VI. p. 150.* itemque WAGNERUS, MUSÆUS, SPENERUS ac complures alii.

Nec desunt, qui, subductis utriusque partis rationibus, rem in medio relinquunt, atque το επεχειν heic tutissimum esse judicant. Ita sensit olim GERHARDUS noster, cuius hanc in rem cogitata supra exhibentur. Conferri tamen meretur eiusdem *confess. cathol. theol. libr. II. part. I. art. 12.* In eandem sententiam descendunt IO. GEORG. CALIXTUS in tract. *de baptismo* §. *127.* BALTH. MEISNERUS in *anthropolog.* sua, *dec. I. disp. VII. qu. 2. thes. 19.* BALDUINUS, BECHMANNUS, aliique; quibus calculum quoque suum adiecit b. HOFFMANNUS noster in *synops. theol. purioris dogmat. p. 329. seqq.* atque inprimis *p. 381. seqq.*

Esse quoque nonnullos, qui ad scientiam Dei mediam se heic recipiant, atque ex praevisa fide vel απιστια infantum de salute vel damnatione illorum iudicandum esse arbitrentur, supra ad §. 235. observavimus, insimulque ostendimus, eos, qui ex hoc fonte quaestionis solutionem petunt, a recto tramite plurimum aberrare. Idem monuerunt b. BUDDEUS in *instit. theol. dogmat. p. m. 1458* atque IO. CARPOVIUS in *theolog. revelatae dogmat. tom. III. part. I. cap. IV. §. 381. schol. 4. p. 471.* ubi varia contra hanc sententiam argumenta in medium adducuntur.

Quod

1 Cor. V. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? nonne de his, qui intus sunt, judicatis?* v. 13. *Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.* Quare cum de illis nulla exstet promissione, quæ ad

Quod ad CARPOVIUM modo nobis laudatum attinet, is totam hancce de salute infantum controversiam ex fide *interpretanda*, quam parvuli habeant, dirimi posse arbitratur. Ut vero, quid fides *interpretanda* ipsi sit, rectius intelligatur, prænotandum *I*) heic est, CARPOVIUM, derelicta solita & in ecclesia recepta *fidei* definitione, aliam a recentioribus quibusdam adoptatam substituere, fidemque in Christum definire per *consensum in meritum Christi*, tanquam in factum alienum, per quem nostrum illud fiat, aut nobis imputetur. *II*) & hoc notandum, omnem *consensum*, ex mente CARPOVII, vel *formatum* esse, qui per consentientis actionem physicam significatur, *verbis*, que, aut *factis* declaratur; vel *interpretandum*, qui ex ipsa negotii natura intelligitur sine consentientis actione physica. Hisce præmissis *III*) observat CARPOVIUS, infantes consensum *formatum* in satisfactionem eiusque imputationem dare non posse. Ad huncce enim consensum requiri, ut consentiens 1) rem obiectam clare distincteque intelligat, 2) ut voluntatem suam ad illam, ut clare distincteque cognitam, inclinet; 3.) ut istam voluntatis inclinationem verbis, aut facto quodam alio significet; quæ quidem omnia in infantibus, ob notionum, qua laborant, obscuritatem, defectumque usus rationis locum habere nequeant. Subiungit tamen *IV*) consensum *interpretandum* in satisfactionem Christi eiusque imputationem, qui nihil aliud sit, quam *fides interpretanda*, infantibus recte tribui, idque ex ipsius negotii natura patescere, siquidem infantes, æque ac omnes homines, naturalem ad propriam suam felicitatem, æternamque salutem, quam Christus nobis adquisivit, habeant instinctum. Atque hanc ipsam *fidem interpretandam* rationem obiectivam esse, cur infantes, externo salutis remedio carentes, salventur potius, quam damnentur. Rem similitudine illustrare adnititur. „ Fac, *inquit*, unum patrem „ rentem divitem, cuius liberi alii maioren„ nes, alii infantes sunt. Omnibus ibi qui„ dem hæreditas aperta est, sed non eodem „ modo omnes eam adquirunt. Liberi maio„ rennes enim, si res ad iudicem devolvitur, „ consensu formato portionis suæ hæreditariæ „ fiunt participes. An vero (*ita pergit auctor*) „ infantes a defuncto relicti eum etiam dare „ possunt de portione sua sibi adiudicanda? An „ quia dare istum nequeunt, ideo portio hæreditaria illis eripitur? Absit! quoniam portio hæreditatis ipsis adiudicanda felicitatem „ eorum externam auget; ut omnis hominum „ in felicitatem propriam propensus est, infantes consentire in partem hæreditatis debi„ tam sibi relinquendam & adsignandam, ex „ ipsius negotii natura intelligitur; adeoque „ dant consensum *interpretandum*. Qui quidem, „ dum *formati* adhuc incapaces sunt, eiusdem „ valoris atque effectus est, ac formatus„. Vid. eiusdem *theolog. revelat. dogmat. tom. III. part. I. cap. IV. §. 376-381. p. 461. seqq.* Non patitur instituti nostri ratio, ut hæc cogitata viri docti atque ingeniosi, qui in locum antiquæ ac genuinæ fidei notionis aliam substituit, quæ emphaticum illud, quod ad *fidem salvificam*, præeunte scriptura, requiritur, haud exprimit, sub adcuratius examen heic vocemus. Dudum hoc labore defunctus est IO. HERM. BECKERUS, theologus Gryphicus, in dissertat. supra iam laudata *de fide infantum præsumta §. IV. seqq. p. 16. seqq.*

Nihil itaque aliud nunc superest, quam ut nostram de hocce argumento sententiam paucis expromamus. Notamus ante omnia, quæstionem a b. GERHARDO propositam: *an infantes extra ecclesiam nati salvandi sint, nec ne?* in tabulis sanctioribus definitam haud esse, neque adeo certi aliquid hac de re pronunciari posse. Interea tamen ingenue fatemur, nobis eorum adprobari sententiam, qui parvulos istos extra ecclesiam natos haud damnant, sed potius de iis optime sperandum esse censent. Rationes sunt sequentes: 1) quia infinita est Dei erga homines *misericordia*, secundum quam neminem vult perire, sed omnes, adeoque & *parvulos*, salvari. 2) quia beneficium *reconciliationis* & *redemtionis* a Christo præstitæ se non tantum ad adultos, sed & *parvulos* extendit, licet hocce beneficium ipsis cognitum perspectumque haud sit. Neque enim id, quod ad salutem est necessarium, statim cognitu est necessarium. 3) quia ipsa *analogia fidei* huic favet sententiæ. Ex ea enim constat, neminem absolute reprobari a Deo, solamque resistentiam actualem fidei adversam damnare, cuiusmodi contumacia in infantibus locum habere nequit. Nec, quod 4) notamus, privatio baptismi infantes gentilium damnare potest, siquidem non absentia, sed contemtus baptismi damnat, qualis in parvulos haud cadit. Addimus 5) manum

Dei

missio, ideo judicio Dei eos committimus, nec tamen locum quendam inter cœlum & infernum intermedium statuimus, de quo altum in scripturis est silentium (*). Sed de infantibus in ecclesia natis melius speramus. Sane pii parentes liberos suos, quam potest fieri primum, ad baptismum tanquam ordinarium regenerationis medium adferunt, ac per baptismum Christo offerunt; qui vero hac in parte negligentes inventi fuerint, ita, ut per incuriam vel damnabilem sacramenti contemtum liberos suos baptismo privaverint, gravissimam Deo rationem olim reddent, cum *consilium Dei spreverint.* Luc. VII. 30. Interim tamen infantes illos, qui vel in utero materno, vel repentino quodam casu ante baptismi susceptionem exstinguuntur, temere damnare nec possumus nec debemus, quin potius statuimus, preces piorum parentum, vel si parentes hac in parte negligentes fuerunt, preces ecclesiæ ad Deum pro his infantibus susas clementer exaudiri, eosdemque in gratiam & vitam a Deo recipi, qua de re videantur consolatoriæ epistolæ & scripta Lutheri tom. II. Jen. lat. p. 133. tom. VIII. Jen. germ. p. 51. & seqq. tom. XII. Witteb. p. 184. in Gen. XVII. p. 81. 92. & seqq. Pomeranus in Psalm. XXIX.

§. CCXXXIX. Quod enim attinet infantes in utero materno exstinctos, quibus sepeliri prius contingit, quam nasci; quibus convertitur in cœmiterium, quod vitæ debebat esse hospitium, de illis manifestum est, 1.) quod non possint pro contemtoribus hujus sacramenti censeri, siquidem baptismus est *lavacrum regenerationis*: quoniam vero nemo potest renasci, nisi prius nascatur; quomodo ergo per baptismum renasci potuerunt, qui nondum in lucem sunt editi? Locum igitur hic habet illud Augustini libr. IV. de baptismo cap. 24. *Tunc sacramentum baptismi impletur invisibiliter, cum id ipsum non contemtus religionis, sed articulus neces-*

De infantibus exstinctis in utero materno.

Dei non ita esse abbreviatam, ut *modo extraordinario* fidem in eiusmodi infantibus, sine mediis externis, accendere nequeat. Licet etiam, quod *6*) notamus, peccatum originale, quo infecti sunt parvuli, ex se mereatur damnationem, eiusdemque causa sufficiens sit; non tamen est damnationis actu illatæ (quæ summa numinis divini benignitas est) causa adæquata. *Falsum est*, (inquit MENZERUS *oper. tom. I. fol. 551.*) *peccatum originale in infantibus extra ecclesiam esse causam adæquatam reprobationis; nusquam enim in scriptura dicuntur homines tantum propter illud reprobari.* Sed, ut sola fides iustificat & salvat; ita *sola incredulitas* (ut ait b. LUTHERUS) *damnat.* Cæterum præter auctores supra iam excitatos, evolvi quoque heic meretur b. SPENERUS in *den deutschen theologischen Bedenken, part. IV. p. 57.* qui & in *der aufrichtigen Uebereinstimmung mit der Augspurgischen Confession p. 139.* verba *Augustanæ confess. art. 2.* ubi dicitur: peccatum originis *mortem æternam* adferre iis, *qui non renascuntur per baptismum & Spiritum S.* solide explicat. Nec est, quod quis verba *apolog. Aug. confess. art. IV. p. 156.* edit. Rechenberg. ubi adferitur, *promissionem salutis non pertinere ad illos, qui extra ecclesiam Christi sunt*, nobis obiiciat. Neque enim *loc. cit. absolute* dicitur, quod promissio salutis ad parvulos istos haud pertineat, id quod cum universalitate gratiæ Dei ac meriti Christi conciliari haud possit; sed duntaxat *secundum quid*, ut in scholis loquuntur, quatenus promissio salutis media *ordinaria* actu & cum efficacia confert. Atque hoc posteriori sensu promissionem salutis ad infantes extra ecclesiam natos haud spectare, extra litis aleam positum est. Vid. IO. HULSEMANNUM in *præfect. in formulam concord. p. 370.* & ven. I.G. WALCHIUM in *introduct. in libros eccles. nostræ symbolicos p. 448. 449.*

(*) Hunnius in quæst. in cap. VII. Gen. hac de re ita: *Salvari infantes gentilium extra ecclesiam, ut certo pronunciare non possumus, cum nihil hac de re in sacris literis de similium exstet: ita nec simpliciter adseverare ausim, parvulos illos sine discrimine damnatos. 1.) Cum Deus, qui nullius mortem vult absolute, nec eorum parvulorum interitu delectari recte statuatur; 2.) & Christus pro ipsis quoque sit mortuus; 3.) & quod tales incredulorum gentium liberi bodie sacramentorum participes non evadunt, id parentum culpæ tribuendum videatur, cum ipsi respectu sui per casum necessitatis exclusi a sacramentorum usu adpareant, nec Deus ob impietatem parentum æterna morte plectat liberos.* Ezech. XVIII. *Committamus ergo eos Dei judicio.* GERHARDUS.

necessitatis excludit. Itemque illud Bernhardi epist. XXXVII. *Contemtus sacramenti damnat, non privatio.* Et epist LXXVII. *Voluntas pro facto imputatur, ubi factum excludit necessitas.* 2.) Infantes ante octavum ætatis diem mortui, non sunt circumcisi, quippe circumcisio erat ad octavum diem restricta, Gen. XVII. 12. Ut ergo illi pro contemtoribus circumcisionis non potuerunt haberi, nec fulmen illud maledictionis ipsis intorqueri: v. 14. *Parvulus, cujus caro praeputii non fuerit circumcisa, eradicabitur &c.* Ita quoque qui in utero materno exstinguuntur, pro contemtoribus baptismi non possunt censeri. 3.) Pii parentes fructum ventris per preces serias Deo offerunt, quin imo in publicis ecclesiæ precibus gravidarum ac parturientium fit mentio: jam vero de exauditione precum, præsertim publicarum, exstant suavissimæ promissiones. Ergo non potest dubitari, quin, quod alias per ordinarium baptismi sacramentum Deus efficit, id in casu privationis extraordinarie gratiæ suæ efficacia compleat. Bernhardus serm. I. in ram. pal. col. 116. *Qui parvulus natus est, & primam parvulorum elegit aciem, hodie quoque parvulos a gratia non excludit, quia nec pietati incongruum, nec majestati ejus difficile est, ut suppleat munus gratiae, quod minus in eis habet natura possibile.* 4.) Christus non solum nasci, sed & in utero virginis concipi ac gestari voluit, ut etiam infantum in utero materno adhuc conclusorum salvator esset. Irenæus libr. II. adv. hær. c. 39. p. 137. *Christus omnem aetatem sanctificavit per illam, quae ad ipsam erat similitudinem. Omnes enim venit per semet ipsum salvare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos & pueros & juvenes & seniores; ideo per omnem venit aetatem & infantibus infans, parvulis parvulus &c.* 5.) Ac ne ulla de benevola Dei erga infantes in utero conclusos voluntate dubitatio oriretur, promisit Deus, se fore *seminis nostri Deum.* Gen. XVII 7. Ubi vox *seminis* complectitur infantes nondum in lucem editos, ut constat.

De infantibus in lucem editis,

§ CCXL. Quod attinet infantes in lucem quidem editos, sed repentino quodam casu ex hac vita ereptos, antequam baptismi copia illis fieri potuit, nec illos a societate vitæ æternæ temerario ausu excludendos esse, sequentia evincunt argumenta: 1.) Illi itidem non possunt haberi pro contemtoribus sacramenti. 2.) Offeruntur Deo per preces parentum & ecclesiæ, quæ non solum gravidas & parturientes, sed etiam lactantes Deo commendat. 3.) Exstant promissiones de benevolo Dei erga ipsos adfectu. Gen. XVII. 7. *Ero Deus seminis tui.* Matth. XVIII. 14. *Non est voluntas Patris vestri cælestis, ut pereat unus de parvulis istis.* Matth. XIX. 14. Marc. X. 14. *Sinite parvulos ad me venire.* Joh. VI. 37. *Venientem ad me non ejiciam foras.* 4.) Deus non adligavit se ipsum ac gratiam suam mediis in commodum nostrum institutis. Nos quidem ad media adligati sumus: Deus autem extraordinarie potest agere. Sic in fame uti debemus cibo, in morbis medicina: Deus autem etiam sine cibo corpus alere, sine medicamentis sanitatem restituere potest: ita quoque sine baptismo ordinario regenerationis lavacro in casu necessitatis regenerationem operari potest. 5.) Infantes Israelitici ante circumcisionem mortui non fuerunt absolute & simpliciter a salute excluſi, jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. Nec gratia Dei strictior & arctior in nov. test. quam in vet. Infantibus masculis ante octavum diem decedentibus non lata erat lex circumcisionis, ideo nec prævaricatio legis illis imputari potuit. Rom. IV. 15. Quid enim, num damnabimus sanctissimos illos martyres Hebræorum masculos, qui vix dum in lucem editi jussu Pharaonis Ægyptii in profluentem sunt projecti? Exod. I. 22. Num infantes in deserto mortuos intra decursum 40. illorum annorum, in quibus circumcisio propter quotidiana itinera fuit intermissa, ad infernum ablegabimus? Jos. V. 5. Quin imo nullo habito corporalis salutis discrimine infantes illos Moses circumcidisset, si privatio hujus sacramenti cum præsentissimo æternæ salutis dispendio fuisset conjuncta. Num infantes Israeliticos tempore Antiochi ante octavum ætatis diem crudeliter interfectos vita æterna de-

sed ante baptismum exstinctis.

fraudabimus? 1 Macc. I. 51. & 64. Num parvulos Bethlehemiticos, beatas illas animulas, parvulos integellulos, martyrumque gemmulas, quorum quidam infra octavum nativitatis diem nefarie trucidati, nefarie damnabimus? Matth. II. 16. Quidam etiam huc referunt filiolum Davidis ex Bethsabea susceptum, ad quem se certo venturum testatur David, utique non in sede damnationis, sed beatitudinis; 2 Sam. XII. 23. verum ex textu non potest liquido ostendi, quod ante octavum nativitatis diem, ac proinde ante susceptam circumcisionem, infantulus ille mortuus fuerit; v. 18. die septima exstinctus dicitur, sed computatio instituenda est, non a die nativitatis, sed a tempore eo, quo Nathan ad Davidem ingressus propter peccatum adulterii & homicidii eum objurgaverat, quod an ipso nativitatis die, an vero sequentibus factum fuerit, incertum est, licet prius admodum verisimile videatur. 6.) Testantur exempla, quosdam in nov. test. sine baptismo in casu necessitatis salvatos, quare nec infantes per pias preces Deo oblati a salute temerario ausu fuerint excludendi? Luc. XXIII. 43. Christus ad latronem dicit: *Hodie mecum eris in paradiso*, jam vero latronem illum baptizatum esse nullibi legitur, Ergo casus necessitatis a regula Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* intelligitur exceptus (*), Augustinus libr. IV. contra Donatistas cap. 23. & habetur cap. baptismi de consecrat. distinct. 4. *Sicut in latrone, quod de sacramento baptismi defuerit, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia, non contemtu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex aetatis indigentia, nec corde credere ad justitiam, nec ore confiteri possunt ad salutem.* (Eadem ratio procedit in infantibus ante baptismum mortuis, per pias ecclesiæ & parentum preces Christo oblatis.) In actis apostolicis fit mentio Cornelii, Lydiæ & aliorum, qui vere crediderunt, antequam baptizarentur: illi, si per aliquem repentinum mortis casum fuissent abrepti, dubium nullum, quin æternum fuissent salvati. Pertinet huc glorioſus chorus martyrum, qui cum adhuc essent catechumeni, ante baptismum ad supplicia fuerunt rapti, quos a salute excludere nimis durum foret: de imperatore Valentiniano, qui sine baptismo mortuus est, Ambrosius in oratione funebri sic loquitur: *Respexit Deus ardens desiderium illius, quo baptismum expetivit.* Quo etiam referenda est illa observatio, quod Christus cum dixisset: Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit;* in antithesi nequaquam dixerit: qui vero non crediderit, nec baptizatus fuerit, damnabitur, innuens scilicet baptismum non esse absolutæ necessitatis, ut sine eo etiam in casu necessitatis nemo possit fieri salvus. Bernhardus epistola LXXVII. postquam multa ex Ambrosio & Augustino citasset; *Vide*, inquit, *ne forte ob hoc salvator cum diceret, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit &c, caute & vigilanter non repetierit: qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum: qui vero non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Eodem sensu Lutherus tom. II. Jen. lat. p. 787. monstrat, *Christi fidem in sacramento adeo esse necessariam, ut etiam sine sacramento servare possit, ideo noluit adjicere, qui non credide-*

(*) Excipit Gretserus in colloq. Ratisbon. p. 30. *Latronem baptizatum baptismo sanguinis, & habuisse martyrium.* Resp. 1.) Negat hoc Bellarminus, qui libr. I. de sacram. baptism. cap. 6. ex Augustino docet, *latronem non salvatum baptismo sanguinis, sed flaminis*, quod etiam habet Osorius tom. IV. pag. 618. *& latronem illum non posse dici martyrem.* 2.) Latro non nitebatur suo, sed Christi sanguine, a peccatis nos unice abluente, neque enim sui sanguinis profusione quisquam justificari potest. Act. IV. 12. Venit latro ad crucem alieno, humano scilicet, pollutus sanguine, inde descendit alieno Christi mundatus sanguine 3.) Proprie etiam latro martyr non est, quia causa supplicii fuit latroni non confessio nominis Christi, sed latrocinia, quæ exercuerat. Et quidni omnes fures, latrones, aliosque maleficos, si pœnitentiam agant, martyres dices? GERHARDUS.

diderit, & non baptizatus fuerit. 7.) Quidam utuntur etiam hoc argumento: si Deus pepercit parvulis Ninivitarum ad se conversorum quoad pœnam temporalem, multo magis verisimile est, eum parvulis ex semine Abrahæ natis pepercisse, quoad pœnam æternam propter suam misericordiam & promissionem: *Ero Deus seminis tui.* 8.) Si infantes sine baptismo mortui simpliciter damnandi, daretur parentibus occasio perpetui angoris, imo & desperationis. Sed hæc posteriora argumenta non sunt tanti roboris ut priora. Atque hæc nostra sententia ne ipsorum quidem Scholasticorum & Pontificiorum quorundam destituitur testimoniis, ut tract. de sacram. in genere §. 53. propos. 3. late ostendimus.

Argumenta Bellarmini, quod infantes sine baptismo decedentes sint damnati.

§. CCXLI. Quomodo ergo probat Bellarminus sanguinarium suum decretum, quod scilicet *fide catholica tenendum sit, parvulos sine baptismo decedentes absolute esse damnatos & non sola cœlesti, sed etiam naturali beatitudine carituros?* Cap. 2. urget cumprimis dictum Christi Joh. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Resp. 1.) Dicta & exempla scripturæ pro confirmatione nostræ sententiæ adducta evidenter ostendunt, hanc comminationem Christi, uti & eam, quæ de circumcisione exstat, Gen. XVII. 14. non ad casum privationis, sed ad contemtum sacramenti pertinere. 2.) Describitur igitur in dicto Christi generalis regula, juxta quam modo ordinario Deus nobiscum agit, interim tamen ab hac regula casus necessitatis intelligitur exceptus. 3.) Severissimam illam comminationem Gen. XVII. 14. non posse ad omnes omnino infantes sine circumcisione mortuos referri, ostendit res ipsa: quandoque enim alteruter parentum contra alterutrius voluntatem impedit circumcisionem; Exod. IV. 25. Ad adultos igitur pertinet, qui ex contemtu circumcisionem in corpore suo susципere noluerunt, itemque ad liberos apostatarum, qui ab ecclesia Israelitica ad ethnicismum prolapsi, penitus omiserunt circumcisionem, quod temporibus Antiochi multos fecisse constat ex 1 Macc. I. 54. 4.) Quam interpretationem ac restrictionem ipsa verba textus confirmant: additur enim διὰτολο-γικῶς, *quia pactum meum fecit irritum* הפר *fregit, contemsit, violavit* &c. 5.) Pari ratione dictum Christi de usitato ordine intelligendum, per quem extraordinariæ potentiæ & actioni Dei nihil quidquam detrahitur, quo minus in casu necessitatis sine baptismi medio regenerationem operari possit. Nos sumus adligati mediis, quibus reverenter uti debemus; Deus autem gratiam & efficaciam suam illis non eo modo adligavit, ut nequeat extraordinarie & immediate in negotio salutis agere. Johannem in utero replevit Spiritu sancto, cum alias per verbum & sacramenta detur Spiritus sanctus. Paulum convertit spirantem minas & cædes, Act. IX. 1. cum alias medium ordinarium conversionis sit *auditus verbi*, Rom. X. 17. per quod efficax est in cordibus eorum, *qui non resistunt Spiritui sancto*, Act. VII. 51. *nec consilium Dei adversus semet ipsos spernunt.* Luc. VII. 30. 6.) Expendat igitur Bellarminus verba Thomæ Aquinatis part. III. q. 64. *Deus non adligavit gratiam suam sacramentis.* Et Lombardus libr. IV. sent. diss. 4. lit. E. *Dictum Christi* Joh. III. *intelligendum de illis, qui possunt & contemnunt baptizari, vel ita intelligendum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, hoc est, ea regeneratione, quae fit per aquam & Spiritum sanctum, non salvabitur.* Et postea: *Deus suam potentiam sacramentis non adligavit.* Imo repetat ea, quæ scripsit libro IV. de Christo cap. ult. *Deus non est adligatus sacramentis.*

Bellarmini contra Ambrosium Catharinum disputatio.

§. CCXLII. Quæ contra Ambrosium Catharinum Bellarminus ibidem profert, ut evincat, parvulis sine baptismo mortuis, ne quidem naturalem beatitudinem concedendam, directe nos non feriunt, nituntur autem quædam falsis hypothesibus, utpote quod infantes non credant in Christum, neque per se, neque per alios, neque habitu, quod locus eorum, in quo semper degent, sit carcer inferni, locus horridus & tenebro-

brosus; quod non possit illis infundi ulla scientia, cum eam non promeruerint bonis operibus, nec gratis donari possit, cum post mortem non sit tempus gratiæ; quod hominibus in puris naturalibus decedentibus, non debeatur naturalis beatitudo &c. Quædam laborant elencho *consequentiae*, utpote quia infantes nascuntur peccato originali obnoxii; natura sunt filii iræ & captivi satanæ. Ergo sine baptismo decedentes æterna morte pereunt omnes. Atqui concedimus *antecedens*, sed negamus *consequens*: distinguimus enim inter *ordinarium* regenerationis medium, quod est baptismus, & inter *extraordinariam* Dei gratiam in casu necessitatis: distinguimus inter liberos *christianorum*, qui per pias preces parentum & ecclesiæ Deo offeruntur, & inter liberos *infidelium*, qui foris sunt, quos Dei judicio relinquimus.

Quid de Ambrosii Catharini opinione statuendum sit.

§. CCXLIII. Quod ad ipsam opinionem Catharini de naturali beatitudine infantum atque aliorum, de tali sede ipsorum, in qua nec bene nec male illis sit, attinet, dicimus, scripturam non nisi duo loca, videlicet cœlum & infernum, vitam & mortem æternam, regnum Dei & diaboli, societatem electorum & damnatorum, salutem & damnationem commemorare, eademque sibi invicem immediate opponere; tertium aliquem locum nuspiam in scripturis exprimi. Augustinus libr. I. de pecc. mer. & remis. c. 28. *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.* Serm XIV. de verb. apost. *Nullus est relictus medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud &c.* Libr. I. de orig. an. c. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubi libet, quasi medium locum, hoc enim eis haeresis Pelagiana promisit.* Libr. V. hypog. *Primum locum fides catholica divina auctoritate credidit esse cœlorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: secundum gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus aeterna supplicia experietur, tertium penitus ignoramus, imo non esse in scripturis sanctis invenimus, &c.* Ut ergo inter credentes & incredulos, inter pios & impios, inter membra Christi & diaboli non datur tertium; ita nec inter regnum cœlorum & infernum: proinde talis quidam locus ex judicio humanæ rationis pro infantibus non baptizatis haudquaquam excogitandus, in quo nec bene, nec male ipsis sit. Quid enim? an non male ipsis foret, si a visione Dei & societate angelorum atque omnium sanctorum se penitus in æternum exclusos intelligerent?

An parvuli sine baptismo decedentes puniendi sint pœna sensus?

§. CCXLIV. Cap. 4. Bellarminus conatur demonstrare, *parvulos sine baptismo decedentes non puniendos pœna sensus sive ignis sensibilis.* Fatetur autem, contrariam sententiam, quod scilicet parvuli sine baptismo decedentes omni genere pœnæ, tum *damni* tum etiam *sensus*, & in animo & corpore puniendi sint, non videri aperte ab ecclesia reprobatam, rejici tamen passim in scholis, & seqq. argumentis refutari. I) Apoc. XVIII. 7. *Quemadmodum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. At parvuli nulla ratione se glorificarunt, nec in deliciis fuerunt, nullum igitur merentur tormentum & luctum.* Resp. dicto illo de pœnis magnæ meretricis Babylonis notatur gradus summus tormentorum; qui recte negatur parvulis infidelium, non tamen ipsa damnatio. Luc. XII. 47. *Servus, qui novit voluntatem Domini, nec paravit se ad faciendum eam, vapulabit multis;* v. 48. *qui autem non novit faciens digna plagis, vapulabit paucis.* Gradus igitur erunt pœnarum, interim tamen in inferno nullus erit plane expers pœnæ sensus. Augustinus libr. V. in Julian. cap 8. *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros, quae, qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expe-*

expediret (*). II.) Esa. LXVI. 24. & Marc. IX. 44. *conjungitur ignis cum verme. Vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur. Constat autem parvulos nullam passuros pœnam ex morsu vermis, hoc est, ex conscientia mali operis animum pungente, ergo credibile est nullam passuros esse ignis materialis pœnam.* Resp. ignem inferni *materialem* futurum facilius dici potest quam probari, cum eo etiam dæmones torqueantur. Nec sequitur, infantes infidelium damnati nullos sentient morsus conscientiæ propter peccata actualia graviora, ergo plane nulla sentient tormenta, cum infernus dicatur locus tormentorum. Opponimus igitur generalem illam sententiam Christi Matth. XXV. 41. *Ite in ignem aeternum.* Augustinus serm. XIV. de verbis apost. *Nullus relictus medius locus, ubi ponas infantes; de vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud. Si ergo dextra erit & sinistra, & nullum medium locum in evangelio novimus, ecce in dextra regnum cœlorum est;* percipite, *inquit*, regnum: *qui ibi non est, in sinistra est: quid erit in sinistra? Ite in ignem aeternum.* Addimus argumentum: si peccatum originis est vere & proprie dictum peccatum, utique pœna ejus erit vere & proprie dicta pœna. III.) *Patres negant talibus infantibus pœnam sensus.* Resp. summum gradum pœnarum, non autem omnem omnino pœnam negant. Fatetur ipse Bellarminus, sententiam, quæ parvulis pœnam sensus sive ignis sensibilis infligendam statuit, non videri ab ecclesia catholica reprobatam. IV.) *Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum, per donum gratiae supernaturale. Ergo aequum est, ut pœna peccati originalis sit privatio doni supernaturalis, qualis est carentia visionis Dei, non autem infictio pœnae sensibilis, quae naturam ipsam laedit.* Resp. argumentum nititur falsa hypothesi: ostendimus enim suo loco, quod peccatum originis ipsum naturæ bene institutæ ordinem miris ac miseris modis turbarit. *Consequens* etiam repugnat scripturæ & experientiæ, cum pœnæ peccati originalis sint morbi & mors ipsa, per quam naturam lædi quisquis negaverit, soli meridiano obloqui censendus est. Recognoscat Bellarminus sua verba cap. 15. hujus libri: *Omnes humanae vitae calamitates, inter quas sunt labor & dolor in corpore, morbi, ipsa mors &c. ex merito peccati, non ex conditione naturae oriuntur.* V.) *Propter habitualem carentiam virtutum & habitualem pronitatem ad vitia nemo puniri solet pœna positiva & sensibili, sed solum propter culpam actualem; non enim suspenduntur a magistratu, qui carent habitu justitiae, vel qui proni sunt ad furta, sed qui re ipsa furantur: possunt tamen, qui carent virtutibus & proni sunt ad mala, rejici tanquam indigni ab aliqua dignitate adipiscenda. At peccatum originis est culpa solum habitualis.* Resp. μετάβασις est εἰς ἄλλο γένος ex jure *fori* ad jus *poli*, ex judicio humano ad judicium divinum. Esaj. LV. 8. *Non sunt cogitationes meae, sicut cogitationes vestrae, nec vestrae viae sicut viae meae.* v. 9. *Sicut altiores sunt cœli quam terra, sic altiores sunt viae meae, quam viae vestrae &c.* Peccatum originale est non solum carentia justitiæ inesse debitæ, sed etiam horribilis destructio naturæ, depravatio omnium virium animæ & corporis, unde justissimo Dei judicio non solum pœna *damni*, sed etiam pœna *sensus* ei debetur. Quid enim? an infantes non adfliguntur morbis, an non sunt morti obnoxii propter originale peccatum? num propterea injustitiæ Deum adcusabimus? absit! VI.) *Propter originale peccatum non injungitur in ecclesia hominibus baptizandis, quamvis adultis, pœnalis satisfactio, neque jubentur ejusmodi homines, propter id peccatum ullam animo tristitiam doloremque concipere: igitur*

(*) Fulgentius libr. de fide ad Petrum cap. 27. *Firmissime tene & nullatenus dubita, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui: sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cum de matribus nati sine sacramento baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos esse.* GERHARDUS.

igitur credibile est, nullam ei respondere sensibilem pœnam in futuro seculo. Resp. unam agnoscimus pro peccatis omnibus, tam originali quam actualibus, satisfactionem a Christo præstitam, a qua longissime distant ecclesiasticæ satisfactiones, quæ non sunt meritum remissionis coram Deo, sed pars disciplinæ ecclesiasticæ. Propter peccatum originale nullam animo tristitiam concipiendam esse, ignotum fuit Davidi, qui *in peccatis se conceptum* esse, gravissime conqueritur, Psalm. LI. 7. ignotum fuit Mosi, qui *absconditum nostrum in lumine vultus divini collocari* conqueritur, Psalm. XC. 8. ignotum fuit Paulo, qui *peccatum in carne sua habitare, serio ingemiscit.* Rom. VII. 17.

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta.

§. CCXLV. Cap. 5. conatur Bellarminus respondere objectionibus quibusdam, sed manifeste petit principium; generales scripturæ sententias tantum ad adultos in ecclesia restringendo, ac pro igne æterno substituendo locum inferni, ubi est ignis. *Parvuli* (inquit) *mittendi sunt in locum ignis, nec tamen inflammandi illo igne, aut cruciandi, vel quod sit in parte altiore ejus loci, vel quod ignis vim habeat eos detinendi, non tamen urendi.* Ut alibi accidentibus sine substantia tribuit vim nutriendi, nimirum si in magna copia sumantur: ita hic igni infernali derogat vim urendi respectu infantium; quibus figmentis qua tandem specie fidem faciet? Cap. 6. contra Thomam, Bonaventuram & alios *multos illustres theologos*, (uti eos vocat) conatur Bellarminus probare, *parvulos non baptizatos passuros interiorem animi dolorem, licet mitissimum;* quod nobis non adversatur, qui cum Augustino libr. V. in Julian. cap. 8. dicimus, *parvulos non baptizatos in damnatione omnium mitissima futuros.*

CAPUT IX.

DE ADIUNCTIS BAPTISMI.

De adjunctis baptismi, quæ sunt:

§. CCXLVI. Postquam de causis & objecto baptismi actum fuit, restat ut *adjunctis* ejusdem, quæ sunt *tempus, locus & ceremoniae* externæ, pari perspicuitate expositis, colophonem huic tractatui imponamus. De *tempore* baptismi sic statuimus. I.) Cum baptismi administratio non sit ad certum quoddam tempus divino mandato restricta, ideo quovis anni tempore, quavis diei hora licite suscipi potest. Gal. IV. 10. *Observatis dies & menses, & tempora & annos.* v. 11. *Vereor, ne frustra laboraverim inter vos.* Col. II. 16. *Nemo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei, aut neomeniae, aut sabbatorum.* Basilius in exhortat. ad baptis. p. 444. *Tempus aliud alii opportunum negotio: ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accommodum est, sive dies sit, sive nox, sive hora, seu quodcunque temporis momentum.*

1.) Tempus.

Quovis anni tempore & quavis diei hora baptismum suscipi posse.

In primitiva ecclesia usu receptum fuit, bis in anno baptizare, semel in paschate, & iterum in festo pentecostes, cujus consuetudinis meminerunt Tertullianus lib. de baptismo circa fin. *(Diem baptismo solenniorem pascha praestat, cum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Exinde pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa.* Sed paulo post addit: *Caeterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo.)* Idem referunt Basilius in exhortat. ad bapt. Gregorius Turonensis lib. X. Hist. Ambrosius serm. LXI. Hieronymus in epist. ad Pammach. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 12. inde tempus illud adpellarunt *lumina* seu *tempus luminarium*, a baptismi scil. beneficio, quod baptizati a Spiritu sancto illuminentur, quo respectu ipse baptismus φωτισμὸς dictus fuit. Nocte epiphaniorum baptizatos esse multos, Carthagini in Basilica Fausti, refert Victorinus

rinus libr. II. in persecut. Vandalica. Quamvis autem respectu catechumenorum ex ethnicismo ad Christum conversorum observatio illius temporis non sit improbanda: tamen ad tempus illud baptismus eorum non est præcise adstringendus, nec infantum ex parentibus christianis natorum baptismus ad illud anni tempus differendus, sed statim a nativitate ipsis conferendus, quod ipsum piis veterum dictis & exemplis confirmari potest. Chrysostomus homil. I. in acta. *Numquid amplius habet illud tempus?* (quadragesimæ) *ipsi apostoli non in paschate donati sunt gratia, sed alio tempore. Praeterea cum baptizarentur tria millia & quinque millia, non erat paschae tempus.* Vide Cyprianum in epist. ad Fidum.

Parentes liberos suos ad baptismum statim a nativitate deferre properent.

§. CCXLVII. II.) Cum baptismus sit ordinarium regenerationis medium, Joh. III. 5. & sanctum initiationis sacramentum, ideo in nostris ecclesiis laudabilis servatur consuetudo, ut parentes primo statim vel altero, vel tertio a nativitate die parvulos ad baptismum deferant, vel ilico etiam nulla interposita mora, postquam nati fuerint, baptizari curent, nimirum si quando propter infirmitatem metus est de periculo vitæ. Qui vero hac in parte negligentes fuerint, ac propter adparatus splendorem baptismum differunt, gravissimis tentationibus semet ipsos immergunt, si quando liberi absque baptismo decedunt. Musculus in locis tit. de bapt. p. 338. scribit, *non probari posse a cordatis viris, quod tam anxie ac superstitiose cum infantibus vix jam natis ad baptismum quomodocunque percipiendum festinetur;* sed procedit hoc ex falsa hypothesi de absoluto decreto, & sanctitate infantum ex fidelibus natorum. Cum olim Fidus Numidæ episcopus censeret, infantes infra octavum diem ad imitationem circumcisionis non oportere baptizari, convocata est synodus 66. episcoporum sub Cypriano, in qua statutum fuit, ut, non exspectato illo tempore, baptismus etiam modo natis conferretur. Ita enim scribit Cyprianus epist. LIX. ad Fidum: *Longe aliud in nostro concilio omnibus visum est; in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam esse denegandam &c.* Eadem vere verba ex Cypriano repetit Augustinus epist. XXII. Nec valet argumentum Fidi ex circumcisione ductum propter disparitatis rationem. 1.) In institutione circumcisionis expressa sit diei octavæ mentio, sed tale quid in baptismi institutione demonstrari nequit. 2.) In baptismo cessat ratio, propter quam administratio circumcisionis in diem octavum dilata fuit. Ideo enim ad octavum ætatis diem circumcisio differebatur, ut infantes collectis prius viribus circumcisionis dolores sustinere valerent, sed in baptismo nullum ejusmodi periculum. 3.) Typica etiam fuit diei octavæ significatio, quam exposuimus suo loco; sed in nov. test. typi cessarunt. 4.) Levitica discrimina dierum, ciborum &c. in nov. test. penitus sunt sublata, ideo hac in parte utimur libertate, quam Christus nobis promeruit Gal. V. 1. 5.) Succedit quidem baptismus in circumcisionis locum, Col. II. 11. ratione scilicet usus salutaris; interim tamen non potest in omnibus partibus & circumstantiis a circumcisione ad baptismum duci argumentum, alias sequeretur, tantum masculos, non autem fœminas baptizandas &c.

Objectio a circumcisione petita.

Baptismi susceptio non est differenda ad finem usque vitæ.

§. CCXLVIII. III.) Cum hora mortis sit incerta, ac subitaneo casu aliquo multi ex hac vita abripiantur, ideo baptismi susceptio non est ad finem usque vitæ differenda. Quamprimum aliqui ad fidem christianam olim fuerunt conversi, ac Christo dedere nomen, baptizati sunt ab apostolis, ut historia Act. cap. II. 41. VIII. 12, 13, 36. IX. 19. X. 47. XVI. 15. 33. XVIII. 8. evidenter testatur; nusquam vero apostoli leguntur auctores vel suasores fuisse, ut usque ad vitæ exitum baptismus differretur. Quod ergo ad cunctationem veteribus in primitiva ecclesia usitatam attinet, sciendum, non exemplis, sed

sed legibus judicandum esse; habuerunt hujus suæ dilationis quasdam rationes, alii magis, alii minus probabiles. 1.) Quidam distulerunt baptismum ad adultam ætatem, propter illustriorem fidei confessionem, cum magis conspicua sit, & magis confirmet ecclesiam fidei confessio ab hominibus in ætate adulta & judicio confirmato profecta, quam a pueris vel adolescentibus edita; sed majoris fuit ponderis periculum non baptizatis adultis imminens, quam utilitas ecclesiæ proposita, unde etiam Nazianzenus in conc. de bapt. & Chrysostomus in cap. I. Act. hunc morem improbant. 2.) Quidam procrastinarunt baptismum absterriti exemplis apostatarum; cum enim non sine summa doloris acerbitate viderent, quosdam ex baptizatis vel metu periculorum fractos, vel blanditiis inductos a fide & confessione ecclesiæ deficere, inde multis in doctrina nondum plene confirmatis satius visum fuit baptismi usum differre, donec sævitia persecutionis deferveseceret, quam baptismum in ecclesia christiana susceptum apostasiæ crimine turpiter fœdare. 3.) Quidam distulerunt baptismum prætextu exempli Christi anno ætatis trigesimo primum baptizati, atque ut in Jordane baptizari possent, ut de Constantino Eusebius libr. IV. in ipsius vita & Theodoretus libr. I. histor. cap. 31. ac de Theodosio Socrates libr. V. histor. eccles. cap. 6. referunt: sed similitudo baptismi a Christo & aliis dilati ostensa fuit superius §. 194. vide etiam §. 79. 4.) Quidam etiam, cum in baptismo plenaria fiat peccatorum remissio ac mundatio, satius esse judicarunt, ad horam mortis baptismum differre, quam novis peccatis gratiam baptismi excutere. Sed cum baptismi efficacia extendat se per totam vitam, cumque fœdus gratiæ in baptismo initum ex parte Dei semper maneat ratum ac firmum, unde ad illud perpetuo per veram pœnitentiam pateat reditus, ideo hæc causa non est satis urgens, propter quam baptismus contra exemplum ecclesiæ apostolicæ differatur. Vide Bernhardi serm. LXVI. in Cant. ubi refutat Albios, *baptismum in adultam aetatem differendum esse* docentes.

§. CCXLIX. IV.) Cum baptismus sit sanctissimum novi testam. sacramentum, devote ac reverenter tractandum: ideo optandum esset, ante meridiem & in publico ecclesiæ conventu eundem administrari. 1 Cor. XIV. 40. *Omnia fiant ordine ac decenter.* Testatur cujusque pii experientia, preces sobrias esse magis serias & ardentes: testatur Christus, publicas ecclesiæ preces magnum habere pondus, Matth. XVIII. 19. Constitut. eccles. electoralis art. VI. generali pag. 307. *Weil die hohe Majestæt, Gott Vater, Sohn, und heiliger Geist, mit seinen lieben Engeln der heiligen Taufe beywohnet, und bey solcher der Himmel geistlich sich aufthut, und das grosse Gnadenwerck der Wiedergeburt, und geistlichen Erneurung des Menschen, so getaufft, selbst gegenwærtig wircket, sollen die Pfarrherren sich befleissigen, daß sie in Gegenwart der versamleten Kirchen geschehe, auch das Volck ernstlich vermahnen, sich selbst darzu zu schicken, wie solche allweg füglich nach der Predigt verrichtet werden kan, denn die gantze Kirche nicht allein für die neugetauften Kinder beten, sondern auch ein jeder Christ sich selbst seiner empfangenen heiligen Tauf, und des Bundes Gottes nützlich erinnern soll, den Gott in der heiligen Tauffe mit ihm gemacht und aufgericht hat.*

Optandum erat ante meridiem & in publico ecclesiæ conventu baptismum administrari.

§. CCL. Quæritur hoc loco: *An baptismus repeti possit, sicut eucharistiae usus saepius repetitur?* Resp. *negative*, cujus negationis fundamenta exposuimus, eademque ab argutiis Bellarmini (præter characteris impressionem non dari aliam negati ἀναβαπτισμὸν certam causam pugnantis) vindicavimus in tractat. de sacrament. in gen. §. 103. (*) Breviter 1.) nec

Q. de tempore baptismi: An scilicet baptismus semel vel aliquoties suscipiendus.

(*) Vid. *tom. VIII. loc. theol. p. 321. seqq.*

nec in baptiſmi inſtitutione, nec uſpiam alibi in verbo Dei, vel requiritur, vel conceditur, ut baptiſmus iteretur. 2.) Nullum datur in ſcripturis exemplum, ſemel vere baptizatos in peccata prolapſos, ac per pœnitentiam ad Deum converſos iterum fuiſſe baptizatos. 3.) Pactum gratiæ & fœdus pacis, quod in baptiſmo initur & obſignatur, non eſt momentaneum, ſed perpetuum, ita ut per pœnitentiam ad illud iterum pateat reditus. Sicut de circumciſione dicit Deus Gen. XVII. 13. *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus aeternum:* ita quoque baptiſmus eſt *ſtipulatio bonae conſcientiae erga Deum*, 1 Petr. III. 21. *qui fidelis eſt, ac permanet*, 2 Tim. II. 13. cujus *dona & vocatio ſunt* ἀμεταμέλητα, Rom. XI. 29. cujus dulciſſima exſtat promiſſio: Eſaj. LIV. 15. *Sicut in diebus Noae* (cum quo pactum inii) *juravi, ne inducerem aquas ultra ſuper terram, ſic juravi quoque: quod miſericordia mea non recedet a te, & fœdus pacis meae non commovebitur.* 4.) Sicut circumciſio in vet. teſtam. non fuit repetita, ita nec baptiſmus, qui in locum circumciſionis ſucceſſit, Col. II. 11. repeti debet. Quæ de ſecunda circumciſione ex Joſua V. 2. adferuntur, expoſuimus in tractat. de circumciſ. §. 24. 5.) Regeneratio ſpiritualis per baptiſmum una eſt, ſicut generatio carnalis una eſt, *quomodo uterus repeti non poteſt, ſic nec baptiſmus, velut qui filius familias eſt, nequit amplius quam ſemel fieri & effici filius.* §. Sic itaque. inſtit. de action. 6.) Baptiſmus eſt ſacramentum *initiationis* & chriſtianiſmi inveſtitura, jam vero ſemel tantum ingreſſu in eccleſiam opus eſt. 7.) Baptizamur *in Chriſti mortem;* Rom. VI. 3. jam vero Chriſtus ſemel tantum mortuus eſt, v. 9. 8.) *Unum eſt baptiſma* Eph. IV. 5. non ſolum unitate *ſubſtantiae* ſeu unione ſacramentali partium ſubſtantialium; verbi ſcilicet & aquæ, nec ſolum unitate *diſpenſationis*, cum aqua, Spiritus & ſanguis Chriſti, licet natura ſua plurimum inter ſe differant, tamen in uſu ſalutari baptiſmi arctiſſimo nexu copulentur, atque uno miniſterio diſpenſentur; ſed etiam unitate *uſus legitimi.* Hinc Tertullianus lib. de baptiſmo: *Semel lavacrum inimus, ſemel delicta diluuntur.* Cyprianus libr. II. epiſt. III. *Baptiſma ſemel ſumitur, nec rurſus iteratur;* ubi addit rationem ex dicto Chriſti: *Qui biberit ex aqua, quam ego do, non ſitiet in aeternum.* Idem Cyprianus, ſive quicunque auctor alius lib. de ablut. pedum, *baptiſmum repeti regula eccleſiaſtica prohibet.* Auguſtinus epiſt. CCIII. ad Maxim. *Rebaptizare hominem haereticum omnino eſt peccatum, rebaptizare catholicum ſcelus immaniſſimum.* Vide Clementem I. §. ult. de ſumm. Trinit. (*)

Errores de repetitione baptiſmi.

§. CCLI. Errant igitur I.) *Marcion* (**) & ejus adſeclæ, qui non tantum ſemel, ſed iterato & ſæpius baptizabant, teſte Niceta lib. IV. theſ. orth. fid. hær. 14. & Damaſceno de hæreſ. pag. 576. 578. edit. Baſil. *Tres baptiſmos conſtituebat Marcion, primum exhibendum poſt primam converſionem; ſecundum, poſtquam delictum ſit admiſſum poſt converſionem; tertium, ſi poſt ſecundum baptiſmum peccatum ſit commiſſum.* II.) *Hemerobaptiſtae* (***), qui, quandoquidem quotidie peccamus,

(*) Damaſcenus lib. IV. orth. fid. cap. 10. ex Hebr. VI. 4. ἀναβαπτίζεσθαι ἐστι χριστὸν ἀνασταυροῦσθαι. GERHARDUS.

(**) De MARCIONE ſupra in *notis* ad §. 107. *de ſacramentis in genere, tom. VIII. loc. theol. p. 326.* nonnulla diximus.

(***) *Hemerobaptiſtæ* Judæorum ſectis ſunt accenſendi. Eorum apud EPIPHANIUM *libr. I. cap. XVII.* occurrit mentio. Origo *nominis* græca eſt απο τȣ καθ' ημεραν βαπτιζεσθαι, a quotidiano baptiſmo ſeu lavacro; quæ & profanarum inter gentiles religionum ſuperſtitio fuit. Quod ad *dogmata* eorum attinet, in iis quidem conſentiebant cum phariſæis, excepto dogmate de reſurrectione, in quo cum Sadducæis ſenſiſſe perhibentur. Inter *inſtituta* vitæ illud cumprimis pertinebat, μη ειναι ζην ανθρωπω, *non poſſe hominem vivere*, nempe *probe ſancteque*, ſine baptiſmo cotidiano; prout EPIPHANIUS memoriæ prodidit.

mus, neminem salvum futurum docebant, nisi qui singulis diebus sacro baptismate tingeretur: inde se & vestimenta sua quotidie lavabant, ex quo etiam *hemerobaptistae* sunt adpellati. Supplementum Philastrii hæres. XLII. ex Crinito (*). III.) *Anabaptistae* (**) nostro tempore baptizatos infantes denuo baptizant in adulta ætate, nimirum quia pædobaptismum judicant esse inanem ceremoniam. IV.) Detestanda est *Judaei illius perversitas*, quam commemorat Socrates lib. VII. histor. eccles. cap. 7. *Iudaeus* (inquit) *quidam veterator christianam fidem simulans, saepius baptizatus fuit, per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines (Arianorum enim & Macedonianorum baptismum receperat) dolo ludificans non habebat amplius, quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianorum episcopum venit, ait, se magna cupiditate baptismatis recipiendi flagrare, per ejus manum ut illud adsequatur, orat. Paulus ejus probat institutum, verum se non prius baptismum illi daturum ait, quam sit fidei articulis institutus, diesque complures jejuniis vacaverit. Judaeus contra voluntatem jejunare coactus, acriter instare, uti baptismo donetur. Paulus quoniam illum tam obnixe baptismum petentem, mora nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias. Cumque vestem splendidam pro illo emisset, & alveum baptisterii aqua impleri jussisset, Judaeum eo deduxit, ut illi baptismum impertiret: verum aqua universa divina quadam virtute, quae oculis cerni percipive non poterat, subito exhausta est. Ac cum neque episcopi, neque alii, qui aderant, adcurate considerarent, qua ratione id accidisset, sed aquam per foramen, quod in imo alveo fuit, per quod etiam alias aquam solebant educere, effluxisse adfirmarent, alveum baptisterii de integro foraminibus undique in eo firme obturatis diligenter implent. Ac cum Judaeus esset secundo ad alveum baptisterii deductus, aqua rursus penitus evanuit. Itaque tum Paulus, o homo inquit, aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti. Quare ubi ob miraculum a multis eo concursum erat, forte quidam Judaeum de facie novit, eumque ab Attico episcopo baptizatum viderat.* V.) Cum *Cingarii* sive *Zigeni*, die Zigeuner (quorum impostura & fraudes vivis coloribus depingunt Aventinus in annal. Bojorum lib. VII. circa finem, Albert. Crantzius lib. XI. Saxoniæ cap. 2. Camerarius lib. I. medit. histor. c. 17.) non religionis, sed lucri, quandoque etiam veneficii causa baptismum suis infantibus conferri, idque sæpius diversis in locis petant, ideo recte jubet constitutio eccles. elect. art. generali VI. §. 5. pag. 308. baptismum impostoribus illis denegandum esse (***). Verba constitutionis hæc sunt: *Dieweil sich auch mehrmals zugetragen, daß die Zigeuner ihre Kinder, wie zu besorgen, allein um Gewins willen taussen lassen, und also geschehen könnte, daß sie mehr denn einmal durch die Pastores unwissend getauft würden, und es aber an ihm selbst ein verdächtig*

(*) Inter eos, qui baptismum olim iterarunt, referri quoque possunt *Donatistae*, a DONATO, a casis nigris, urbis in Numidia episcopo, ita nuncupati. Constat enim, inter prima hujus hæreseos seculo IV. exortæ capita fuisse: *ecclesiam constare ex solis perfectis*, quales Donatistæ suos censebant, *eosque* esse *rebaptizandos*, qui ad suam sectam accederent, licet nomine trinitatis jam antea a catholicis fuerint abluti.

(**) De *Anabaptistis*, quorum secta seculo XVI. ortum debet, supra in *not.* ad §. *183. p. 218 seqq.* abunde differuimus. Fata eorum succincte exhibet FRID. SPANHEMIUS in *diatribe historica de orig. progressu & sectis anabaptistarum.*

(***) Nec tamen denegatur baptismus Cingarorum liberis, si constet, eos recens natos esse, inque ipso nativitatis loco deprehendantur. Ita provisum in *ordin. Magd. ecclesiast. cap. III. §. 25.* ubi hæc leguntur verba: *Es wäre dann, daß ein Zigeunerkind an dem Ort, wo es zur Taufe gebracht, neu gebohren, oder der Pfarrer sonst von der Geburt Wissenschaft hätte.* Idem statutum legimus in *ordin. Vinarienss. libr. II. cap. 11. num. 4.* aliisque constitutionibus ecclesiasticis.

tig Volck, da es in unſern Landen geſehen, auch unſer ernſtlicher Wille und Meynung je und allwege geweſen, daß ſolche Leute, ſo nicht allein mit Aberglauben, Lügen und Betrug umgehen, ſondern auch gemeiniglich Landesverräther ſind, in unſern Landen nicht geduldet, laſſen wir es nochmals dabey bleiben, und befehlen auch hiermit ernſtlich allen unſern Amtleuten, Befehlshabern, Erb- und Gerichtsherren, daß ſie ihnen keinen Durchzug noch Unterſchleif geſtatten, ſondern ſo balden ſie in unſern Landen angetroffen, wiederum zurück weiſen, damit ſolcher Mißbrauch der heiligen Tauffe und ander Unrath vorkommen, und gäntzlich in unſern Landen verhütet werden möge. VI.) Pii imperatores non immerito *pœnas* ſtatuerunt in eos, qui baptiſmum repetunt. Sic enim Valentinianus, Valens & Gratianus libr. I. tit. 6. C. ne ſanct. baptiſ. iter. *Antiſtitem, qui ſanctitatem baptiſmatis illicita uſurpatione geminaverit, ſacerdotio indignum cenſemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui apoſtolorum præcepta calcantes chriſtiani nominis ſacramenta ſortitos alio rurſus baptiſmate non purificant, ſed inceſtant, lavacri nomine polluentes.* Honorius & Theodoſius ibid. *Si quis rebaptizare quempiam de miniſtris catholicæ ſectæ fuerit detectus, una cum eo, qui piaculare crimen commiſit, (ſi tamen criminis per ætatem capax ſit) & hic, cui perſuaſum ſit, ultimo ſupplicio percellatur* (*).

Objectiones pro repetitione baptiſmi:
1.) *Quotidie*

§. CCLII. *At*, inquis, I.) *baptizamur in remiſſionem peccatorum*, Act. II. 38. *Jam vero quotidie indigemus peccatorum remiſſione. Ergo etiam quotidiana baptiſmi iteratione.* Reſp. ex eo, quod peccatorum remiſſione quotidie indigemus, haudquaquam conſequens eſt, per illud ipſum medium baptiſmi remiſſionem peccatorum quærendam & a Deo impetrandam eſſe: ſiquidem fœdus in baptiſmo initum, quod complectitur promiſſionem de gratuita remiſſione peccatorum, Jer. XXXI. 34. eſt ex parte Dei immotum ac perpetuum: proinde hac promiſſione per totum vitæ decurſum nos erigere, ac quando per infirmitatis peccata beneficia hujus fœderis amiſimus, per veram pœnitentiam ad illud redire ac peccatorum remiſſionem conſequi poſſumus. Regeris: *ſicut adulterio ſolvitur vinculum matrimonii, ita per peccata tanquam ſpirituale adulterium diſſolvitur ſpiritualis deſponſatio in baptiſmo facta, nova igitur deſponſatione ac proinde novo baptiſmo poſt peccata indigebimus.* Reſp. ſane adulterium eſt ſufficiens divortii cauſa; interim tamen, ſi maritus innocens conjugi adulteræ culpam remittat, eidemque inpoſterum cohabitare conſentiat, non requiritur nova deſponſatio, ſed partis nocentis deprecatio, ac vitæ emendatio: ita quoque promiſit Deus Jer. III. 1, 12, 13. Ezech. XVI. 60. ſe in gratiam nos iterum recepturum, ſi poſt admiſſum ſpirituale adulterium per veram pœnitentiam ad ipſum convertamur; ergo non requiritur nova deſponſatio ac novi fœderis erectio, ſed priſtinæ deſponſationis ac fœderis renovatio, commemoratio & confirmatio.

indigemus remiſſione peccatorum.

2.) Hypocritæ non particip.

§. CCLIII. *At*, inquis II.) *cum hypocritae ad baptiſmum accedentes*

(*) Hæc verba ſupra a GERHARDO recitata, in quibus ultimum ſupplicium *Donatiſtis*, ſeu iterantibus baptiſmum dicitur, exſtant *l. 2. C. ne ſanct. bapt. iter.* Lata eſt hæc lex a THEODOSIO, imperatore, an. CCCCXIII. nec tantum contra rebaptizantes, ſed & eos, qui rebaptizantur, directa eſt. Refertur quoque hæc ſanctio *l. 6. C. Theodoſ. ne ſanct. bapt. iter.* ſed omiſſa mentione *pœnæ capitalis*; quod ſupplicii genus tempore THEODOSII nulla adhuc lege in Donatiſtas, ſeu iterantes baptiſmum, fuit ſtatutum, ſed JUSTINIANI demum ævo hæreticis irrogari cœpit. Colligimus exinde, legem iſtam a THEODOSIO latam, atque a GERHARDO ſupra exhibitam, in qua expreſſa *ultimi ſupplicii* fit mentio, ab ULPIANO interpolatam ac vitiatam eſſe. Uberius id oſtendit ill. BÖHMERUS in *jure eccleſiaſt. proteſt. tom. IV. libr. V. tit. VII. §. 158. p. 988.*

pant salutares baptismi effectus.

cedentes effectus ejusdem salutares non participent, illorum baptismus repetendus erit: Resp. Augustinus lib. I. contra Donat. c. 12. videtur statuere, quod effectus & gratia præstetur etiam ei, qui ficte baptismum suscipit, quod Lombardus ita interpretatur; Augustinum partim disputandi causa, partim ex aliorum opinione loqui. Neque tamen hypocritarum baptismus repetendus fuerit, quia recedente fictione consequuntur pridem accepti baptismi effectum, hoc est, rem sacramenti, quod plenissime loco dicto Augustinus adfirmat. Quemadmodum ergo forma permanens remoto impedimento consequitur finem suum: verbi gratia, gravitate in lapide permanente lapis deorsum labitur remoto impedimento: ita quoque res se habet in baptismo hypocritarum. Glossa in cap. credere de consecrat. dist. 6. ex Augustino contra Donat. lib. V. c. 24. *In baptismo induitur Christus interdum sacramentotenus, interdum quoad vitae sanctificationem: primum bonis & malis est commune, secundum bonorum & piorum est proprium.* Distinguendum igitur inter *substantiam* & *fructum* baptismi. Est & manet verus baptismus semel legitime in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti acceptus, sive credat, qui baptizatur, sive non credat, quamvis fide destitutus salutarem ejus fructum in præsenti non participet: nec tamen novo baptismo, quando pœnitentiam agit, indiget, sed ad primi baptismi virtutem perpetuo valentem redit, & ex eo baptismo gratiam Dei sibi polliceri potest.

2.) *De loco baptismi.*

§. CCLIV. Quod ad *locum* baptismi attinet, de eo nullum exstat peculiare Dei præceptum, ideoque ejus administratio non est certo loco adliganda, interim tamen in publico ecclesiæ cœtu baptismum ordinarie administrari debere dicimus. 1.) Quia est verbum visibile & obsignatio ejus, quod in verbo promittitur. Jam vero publica verbi prædicatio instituitur in publico ecclesiæ conventu, 1 Cor. XIV. 26. *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet &c.* 2.) Quia sacra cœna, alterum nov. test. sacramentum, in publico ecclesiæ cœtu administratur 1 Cor. XI. 20. *Convenientibus vobis in unum jam non est dominicam cœnam manducare.* 3.) Quia in ecclesia omnia debent *ordine ac decenter fieri;* 1 Cor. XIV. 40. Ergo multo magis sacramentorum administratio debita cum reverentia coram facie ecclesiæ fieri debet. 4.) In baptismo seriæ preces requiruntur vel maxime, ut docet exemplum Christi orantis in baptismo Luc. VIII. 21. quo pertinent emphatica illa Lutheri verba in præfat. catechetica art. de bapt. *Du wolleſt ja bedencken, wie gar es nicht ein Schertz iſt, wider den Teuffel handeln, und denſelben nicht allein von den Kindlein jagen, ſondern auch dem Kindlein ſolchen mächtigen Feind ſein Lebenlang auf den Hals laden, daß es wohl noth iſt, dem armen Kindlein aus gantzem Hertzen und ſtarckem Glauben beyſtehen, auf das andächtigſte bitten, daß ihm Gott nicht allein von des Teuffels Gewalt helffe, ſondern auch ſtärcke, daß es möge wider ihn ritterlich im Leben und Sterben beſtehen. Und ich beſorge, daß darum die Leut nach der Tauf ſo übel auch gerathen, daß man ſo kalt und läſſig mit ihnen umgegangen, und ſo gar ohn Ernſt für ſie hat gebeten in der Taufe, &c.* Jam vero preces multorum piorum simul conjunctæ sunt magis efficaces, Matth. XVIII. 19. Jac. V. 14. 5.) Quia baptizatum oportet habere certa baptismi testimonia, præsertim in tentationibus, ideo utile est multos adesse testes. Num. XXXV. 30. Deut. XVII. 6. *In ore duorum aut trium testium &c.* 6.) Si plures sacræ huic actioni intersint, recordantur sui baptismi, quod ipsum ad fidei confirmationem plurimum facit.

Baptismum in publico ecclesiæ cœtu administrandum esse.

Baptismum etiam in privatis locis administrari posse.

§. CCLV. Nec tamen baptismi administratio ita adligata est publico loco, ut ne quidem in casu necessitatis alibi, videlicet in loco privato, baptizare liceat, ut negatur Beza in resp. ad quæst. 151. Siquidem 1.) in baptismi institutione non expri-

exprimitur certus aliquis locus. 2.) Apostoli ubivis locorum baptizarunt, utpote sub dio, Act. II. 41. in via, VIII. 38. in domibus, IX. 19. X. 57. in carcere, XVI. 33. Johannes baptista extra templum Hierosolymitanum & synagogas Judæorum, in Jordane & in aquis prope Salem baptizavit. Matth. III. 6. &c. Sancti martyres primitivæ ecclesiæ in carcere fuerunt baptizati, teste Eusebio libr. VI. cap. 5. moribundi in lecto, unde dicti fuerunt clinici, teste Cypriano in epist. ad Magnum. Walefridus Strabo de reb. ecclesiast. c. 26. *Sciendum, primo simpliciter in fluviis & fontibus baptizatos credentes.* Beda lib. II. histor. Angl. cap. 14. refert, *initio nascentis ecclesiae apud Britannos, ubi tam cito templa non potuerunt exstrui, passim ad flumina turbam baptizatam.* 3.) In casu necessitatis a communi ordine licet digredi, modo nihil committatur contra expressum Dei verbum: ordo enim servire debet administrationi sacramentorum, non autem imperare. 4.) In nov. test. cultus Dei non est adligatus certo loco, ut in ver. test. Matth. XVIII. 20. *Ubicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Joh. IV. 21. *Venit hora, quando nec in monte, nec in Jerosolyma adorabitis Patrem.* 1 Tim. II. 8. *Volo viros orare in omni loco &c.* 5.) Circumcisio in privatis ædibus sæpe fuit administrata: jam vero baptismus successit in locum circumcisionis, Exod. IV. 25. filius Moisis in diversorio circumciditur. 1 Maccab. I. 63. 2 Maccab. VI. 10. tempore Antiochi mulierculæ privatim circumcidunt pueros. Luc. I. 59. Johannes baptista domi circumciditur in præsentia matris puerperæ. 6.) Quemadmodum prædicatio verbi, absolutio ac cœnæ administratio ordinarie in publico ecclesiæ cœtu suscipitur, interim tamen ægrotis domi etiam proponitur privatim consolatio ex verbo evangelii, adnunciatur peccatorum remissio & sacræ cœnæ ἐφόδιον communicatur: ita quoque domi licet parvulos baptizare, quamvis alias baptismi administratio pars sit publici ministerii. 7.) Ipsa necessitas, videlicet infirmitas infantum, quandoque requirit, ut domi administretur baptismus, ne per nos ab ordinario regenerationis medio arceantur. Lutherus in cap. IX. Hoseæ tom. IV. lat. f. 653. *In nov. testam. nullus certus locus sacris destinatus est, possunt baptizari pueri domi, si res postulat, vel in templo, vel sub dio, vel sub tecto, locus, imo persona quoque ministrans ad baptismum nihil adfert.*

§. CCLVI. *Ceremonias* ac ritus in baptismi administratione usitatos distinguimus in tres classes: 1.) quidam divinitus sunt mandati, 2.) quidam ab apostolis libere usurpati, 3.) quidam a viris ecclesiasticis additi. De singulis tenendæ sunt hæ regulæ. *3.) De ceremoniis baptismi.*

Regulæ generales.

1.) Ritus baptismi divinitus instituti adcurate distinguendi sunt a ritibus ab apostolis usurpatis, & a viris ecclesiasticis honesti, decoris, ordinis, & piæ commonefactionis ergo additis: illi enim sunt *substantiales* & necessarii, hi vero *accidentales* & certo modo liberi. Christus jussit in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizare, Matth. XXVIII. 19. ubicunque igitur, juxta Christi mandatum & apostolorum exemplum, aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti effunditur, verus & legitimus baptismus administratur, si vel maxime non accedant externæ ceremoniæ ab hominibus excogitatæ. Lombardus libr. IV. sentent. dist. 3. lit. A. *Verbum & elementum de substantia hujus sacramenti sunt, caetera ad solennitatem* (decorem & honestatem) *pertinent, & sacramentalia adpellantur.* In substantialibus ritibus, cum divinitus mandati sint, ac proinde in administratione baptismi necessarii, nihil est mutandum, omittendum vel abrogandum: in accidentalibus vero ecclesiæ libertas quædam relicta est. II.) Ritus ab apostolis in baptismi administratione libere usurpati, licet non eo gradu necessarii sint, quo priores generis ritus divinitus instituti, tamen a ritibus mere ecclesiasticis distinguendi, ac diligenter sunt servandi. Ex historia apostolorum colligitur, quod in administratione baptismi explicationes doctrinæ sacramentorum, exhortationes, preces, gratiarum actiones &c. adhibuerint. Act. II. 38. &c. Hos ritus etiam in nostris ecclesiis

clesiis retinemus, quia sacramenta non sunt nuda & otiosa spectacula, sed instituta sunt, ut & fidem confirment, & promissionem clarius explicent: ideo doctrina de substantia, usu & efficacia eorum præsentibus ex verbo Dei lingua ipsis nota proponenda est & explicanda, ut de legitima & salutari sacramentorum susceptione diligenter admoneantur. Notandum tamen, in scripturis ostendi quidem fundamenta, unde sumi debeant explicationes, exhortationes, preces, gratiarum actiones, ex institutione scilicet & doctrina de baptismo, sicut in verbo Dei traditur, non tamen præscribi certam formam conceptis verbis; sed hoc pro ratione circumstantiarum ad ædificationem liberum permitti, modo fundamentum servetur. III.) Ritus a viris ecclesiasticis additi sunt adiaphori & indifferentes; proinde non sunt simpliciter repudiandi, nec tamen eo gradu necessarii sunt, quo ritus divinitus mandati, id quod clarius per certas regulas explicandum.

Regulæ speciales de ritibus ecclesiasticis.

§. CCLVII. Dicimus ergo: I.) Si qui ex illis ritibus actionem, usum & efficaciam, quin & necessitatem ac dignitatem baptismi commendent, atque illustriorem reddant, analogiæ fidei congrui & ad pietatem ac doctrinam utiles sint; debitam reverentiam erga hoc sacramentum in præsentibus augeant; denique ordini, decori & ædificationi ecclesiæ serviant, illos utiliter retineri posse. Augustinus epist. CXIX. cap. 18. *Una in his saluberrima regula tenenda est: ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non impedit, ut amplius detrimentum sit.* II.) Non tamen tribuatur illis ritibus spiritualis aliqua vis & efficacia sine promissione divina, neque propria baptismi ad tales ritus vel ex toto, vel ex parte, transferantur. III.) Nec statuendum, tales ritus ad integritatem & essentiam baptismi pertinere ac necessarios esse, sed pro adiaphoris habeantur. IV.) Non sunt cumulandi illi ritus, ne multitudo, pompa & splendor illorum obruat ceremonias divinitus in administratione baptismi præscriptas, ac sensus atque animos ita occupet, ut vel nulla vel exigua habeatur eorum ratio, quæ sunt a Christo mandata. Optimum igitur est, ut in administratione baptismi, quam potest fieri proxime, ad apostolicam simplicitatem accedamus; sicut Tertullianus libr. de baptismo testatur, sine ullo adparatus splendore baptismum olim administrari solitum. Gregor. Nazianzenus orat. de baptismo improbat, quod olim propter baptismum munus offerebatur, vestis elegans requirebatur, ac convivium baptistis parabatur. *Turpe est* (inquit) *dicere, ubi est munus, quod propter baptismum offeram? ubi luculenta vestis, ubi ea, quae ad baptistas meos humanissime excipiendos requiruntur? Te ipsum loco muneris offer, Christum indue, honesta ac laudabili vitae ratione me a te, sic ego excipi & tractari gaudeo.* V.) Si qui ritus vel sunt divino verbo contrarii, ac impietatis & superstitionis aliquid admixtum habent, ut exorcismationes aquæ ad baptismum adhibendæ; vel otiosos habent lusus, nec serviunt ædificationi, sed sacrosanctam hanc actionem in spectaculum histrionicum ac theatricum transformant: vel quibus aliqua pecularis vis & efficacia præter & contra Dei verbum tribuitur: illi merito abrogantur & improbantur. Ex quo adparet, quid de usu sputi & salis, exsufflatione, chrismate &c. sub opinione necessitatis, cultus & spiritualis efficaciæ illis insitæ adhibitis, sit statuendum. VI.) In ipsis ritibus adiaphoris retinenda est libertas, quam Christus caro pretio partam ecclesiæ concessit, ut scilicet sine opinione necessitatis libere observentur, & ecclesiæ ordinatione ac consensu, præsertim si utiles esse desinant, & a salutari fine in abusum & superstitionem degenerent, abrogari & mutari possint. VII.) Non sunt damnandæ ecclesiæ propter dissimilitudinem in hujusmodi ritibus, aut si in illorum omissione vel mutatione libertate utantur. VIII.) Cavendum tamen in hac abrogatione scandalum; ideo non est privatæ cujusvis petulantiæ mutatio illo-

illorum rituum permittenda, sed publico judicio ecclesiæ relinquenda (*). IX.) Proinde si falsi fratres ritus sua natura adiaphoros, fidei analogos, auctoritate ecclesiæ commendatos, necessitatem & efficaciam baptismi rudioribus illustriorem reddentes & ecclesiæ ædificationi servientes temere, sive prægressa auditorum informatione cum scandalo publico abrogant, atque hac abrogatione libertatem christianam impugnant, merito illis obviam itur. Gal. V. 1. *State in libertate.* Col. II. 16. *Nemo vos judicet in cibo & potu &c.* (**)

Bellarmini disputatio de baptismi ritibus.

§. CCLVIII. Ex his facili negotio adparet, quid statuendum de duobus illis fuleris, quæ Bellarminus libr. I. de baptism. cap. 24. ceremoniis in Romana ecclesia circa baptismi administrationem usitatis supponit. 1.) *Quamvis* (inquit) *ritus illi non sint in divinis literis, neque praecepto, neque exemplo commendati: tamen cum ipsi etiam* (adversarii) *aliquid praescribant in administratione baptismi, quod in sacris literis non invenerunt, non poterunt hoc argumento ritus ab ecclesia receptos evertere.* 2.) *Ritus illi sunt antiquissimi & vel ex traditione apostolorum manarunt, vel a sanctissimis patribus instituti sunt.* Resp. non temere damnamus ritus in apostolica & primitiva ecclesia receptos, sed illos, qui vel habent aliquid impietatis & superstitionis; vel continent otiosos lusus, nec faciunt ad ædificationem; vel qui sua copia libertatem christianam gravant; vel quibus spiritualis aliqua efficacia extra Dei verbum tribuitur, vel qui sub opinione cultus & necessitatis obtruduntur: reliquos vero ritus analogiæ fidei congruos, decori & ædificationi ecclesiæ servientes, usum & efficaciam baptismi ob oculos rudiorum proponentes & auctoritate primitivæ ecclesiæ, vel, ut Chemnitius loquitur, augusta & veneranda antiquitatis canicie commendatos retinemus, salva tamen libertate, quam Christus in his adiaphoris ecclesiæ concessit. Cæterum, ut Christus a scribis & pharisæis rogatus, quare discipuli ejus transgrediantur traditionem majorum, non lavantes manus suas, cum panem manducant, vicissim illos interrogat Matth. XV. 3. *Quare & ipsi transgrediantur mandatum Dei propter traditiones suas?* Ita ex Bellarmino interrogante, quare non probemus omnes illos ritus ex traditione majorum descendentes, vicissim quærimus, quare propter traditiones suas transgrediantur mandatum Dei, administrantes baptismum in lingua peregrina, populo ignota, ac tribuentes humanis ritibus, quod baptismo divinitus instituto in solidum erat tribuendum, ut de ποτηριοκλυσία in sacramento cœnæ & commutatione ejusdem in sacrificium nihil hoc loco dicamus. Quærimus etiam, cur omnes illos ritus nominent antiquissimos, eosque ab apostolica traditione arcessant, cum non ignorent, plerosque ex illis nec semper a tempore apostolorum, nec ubique in omnibus ecclesiis receptos & usitatos fuisse, ac multos ex vetustissimis ritibus per posteros abolitos & in novos commutatos fuisse, ut de delibatione lactis & mellis, cujus mentionem faciunt Tertullianus libr. I. advers. Marcion. cap. XIV. (*) & Hieronymus IX. dialog. contra Luciferanos (**), manifeste constat.

(*) *Mutatio consuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, novitate perturbat*, prout ex Augustino adnotavit GERHARDUS.

(**) Nonnulli hasce regulas de ritibus baptismi breviter ita tradunt: 1.) *Indifferentes ceremoniæ debent dirigi ad ecclesiæ ædificationem.* 2.) *Quæ faciunt ad institutionem & commonefactionem, laudandæ.* 3.) *Quæ faciunt ad conservationem ordinis in ecclesia, libere retinendæ.* 4.) *Sacramenta quam simplicissime administranda, juxta institutionem Christi & praxin apostolorum.* 5.) *Si in doctrina possumus convenire, in ceremoniis debemus esse faciles.* GERHARDUS.

(*) Jungi meretur alius TERTULLIANI locus, qui exstat in libro *de corona militis cap. III.*

(**) Inprimis huc spectat ille locus, qui legitur apud HIERONYMUM in *Esai. LV. 1.* Nec tantum TERTULLIANUS atque HIERONYMUS hujus consuetudinis faciunt mentionem; sed & CLEMENS Alexandrinus *pædag. libr. I. cap. VI. p. m. 103.*

fiat. Bellarminus respondet, *hanc ceremoniam non fuisse generalem.* Atqui idem de reliquis ritibus plerisque dici potest. De trina mersione sic scribit Canus lib. III. cap. 5. *Trina mersio, quam canon apostolorum ab apostolorum traditione profluxisse dicit, jam diu per contrariam consuetudinem abolita est.* Tertullianus lib. de pudicit. innuere videtur, *baptizatis datum esse annulum, lavacri & fidei, quam professi essent, obsignationem.* Hic ritus ibidem non amplius est in usu.

De ceremoniis baptismi in specie.

§. CCLIX. Porro, ut in specie de baptismi ceremoniis agamus, Bellarminus in tres classes eas distinguit. Prima continet ceremonias ante baptismum, quas cap. 25. numero duodenario includit. 1.) *Prima ceremonia est professio nominis, usitata catechumenis, qui ex eo dicuntur competentes seu electi.* 2.) *Scrutinium, sive examen & exploratio quaedam, an competentes firmiter & sincere credant.* 3.) *Abrenunciatio Satanae & operum ejus.* 4.) *Fidei professio, quam saepius interrogati respondent, & postea etiam in ipso die baptismi publice pronunciant recitantes symbolum.* 5.) *Signum crucis in fronte & pectore.* 6.) *Exorcismus sive adjuratio daemonum certis precibus acta, ut recedant ab homine baptizando.* 7.) *Exsufflatio, per quam daemonum expulsio & Spiritus sancti adflatio significetur.* 8.) *Gustus salis.* 9.) *Cum tanguntur saliva aures & nares, & dicitur: Ephetha, id est, adperire.* 10.) *Impositio manuum ac benedictio sacerdotalis.* 11.) *Unctio in pectore & scapulis.* 12.) *Abstinentia vini, carnium & rei uxoriae, aliaque opera paenitentiae.* Secunda classis continet ceremonias comitantes baptismum, quas cap. 26. numero quinario comprehendit. 1.) *Prima ceremonia est impositio nominis.* 2.) *Susceptores.* 3.) *Consecratio aquae.* 4.) *Trina mersio.* 5.) *Tempus paschale & pentecostes.* Tertia classis continet ceremonias, quae sequuntur baptismum: illas cap. 27. itidem quinario numero complectitur. 1.) *Prima est osculum pacis.* 2.) *Unctio chrismatis in vertice.* 3.) *Cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei & gratiae acceptae.* 4.) *Vestis candida, quam ferre solebant a sabbato paschatis usque ad dominicam in albis.* 5.) *Delibatio lactis & mellis seu vini, quae tamen hoc tempore non fit in usu.* De his ceremoniis noti sunt versiculi:

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismate, saliva,
Flatus: virtutem baptismatis ista figurant;
Haec cum patrinis non mutant esse, sed ornant.

Ritus in nostris ecclesiis usitati: 1.) Commonefactio de peccato originis.

§. CCLX. In nostris ecclesiis observantur hi ritus, quorum quidam praecedunt baptismi administrationem, quidam vero sequuntur. 1.) Proponitur *commonefactio de peccato originis* per lapsum primorum parentum in mundum introducto, & per carnalem generationem in omnes posteros propagato, a quo non nisi per Christum possimus liberari, qui sua obedientia & satisfactione gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & vitam aeternam nobis promeruit, eademque beneficia per baptismum, salutare illud regenerationis & renovationis lavacrum, nobis dispenset. Haec commonefactio utiliter adhibetur in administratione baptismi, ut de necessitate ejusdem praesentes admoneantur, adque debitam erga hoc sacramentum reverentiam excitentur; quo referri potest, quod Johannes accedentes ad baptismum monet, nos natura esse infrugiferas arbores, *ad quarum radicem securis posita*, Matth. III. 10. nec per carnalem ex piis parentibus nativitatem ab hoc malo nos liberari posse; v. 9. sed Christum esse *agnum illum, qui tollat peccata mundi*, Joh. I. 29. *qui baptizet Spiritu sancto*, v. 33. in cujus etiam nomine baptismus conferatur in remissionem peccatorum. Marc. I. 4. Ita quoque Philippus eunuchum ante baptismi administrationem quaerit, *an ex toto corde credat, Jesum Christum esse Dei Filium?* Act. VIII. 37.

2.) Impositio nominis.

§. CCLXI. II.) *Imponitur nomen* baptizando: haec ὀνοματοθεσία merito in baptismo retinetur. 1.) Quia nomen illud est perpetuum memoriale baptismi suscepti, ideoque

que in tentationibus maximam præbet consolationem. 2.) Quia in circumcisione nomina imponebantur olim parvulis. Luc. I. 59. II. 21. 3.) ob occasionem nominis Abrahæ in circumcisione mutati Gen. XVII. 5. Jam vero baptismus successit in locum circumcisionis. Col. II. 11. Hæc nominis impositio testatur, parvulos *in librum vitae scriptos*, Phil. IV. 3. *in manum Dei*, Esa. XXIX. 16. *in cœlo nomen ipsorum scriptum esse*, Luc. X. 20. ut non amplius sint filii iræ, sed novum acceperint nomen & dicantur Dei filii, Christi discipuli, templa Spiritus sancti, hæredes vitæ æternæ. 4.) Admonet nos hæc ὀνομαθεσία, quod nomen nostrum Christo dederimus in baptismo, proinde sub vexillo ejus contra diabolum & ipsius organa perpetuo dimicandum esse. 5.) Monet hæc ceremonia, tum demum nomen & celebritatem apud Deum nos consequi, cum regeneramur & adoptamur in Dei filios. 6.) Nititur exemplo primitivæ ecclesiæ. Dionysius de eccles. hierarch. cap. de bapt. *Plerumque imponitur infantibus boni ominis causa nomen patris; tum ut ipsius nomen ad posteritatem in filio conservetur, tum ut ipsum nomen filio sit commonefactio de imitandis & exprimendis virtutibus paternis.* Ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium libr. VII. cap. 25. colligi posse videtur, *apostolorum nomina liberis baptizatis imposita fuisse.*

§. CCLXII. III.) *Fubetur*

3.) *Exorcismus minor.* *satanas exire* ab infante & locum dare Spiritui sancto, de qua ceremonia paulo post differemus.

IV.) *Signum crucis* in fronte & pectore infantis formatur, quod jam olim in baptismo usitatum, teste Tertulliano libr. de resurrect. carnis (*); non fit superstitionis aut supernaturalis cujusdam efficaciæ causa, sed ut testetur, receptionem in gratiam & regenerationem ad vitam æternam constare infanti baptizato solius Christi crucifixi merito; monet etiam, infantem recipi in numerum eorum, qui credunt in Christum crucifixum, ac veterem hominem in ipso per baptismum crucifigendum, Rom. VI. 6. quin & in hac vita cruci ipsum fore obnoxium (**). Gen. XLVIII. 14. patriarcha Iacobus manibus decussatim nepotibus suis Ephraemo & Manassi impositis crucem quasi formar, & crucis Christi eos admonet. Huc etiam referunt quidam veteres signum in frontibus servorum Dei Ezech. IX. 4. Apoc. VII. 3. Christus *crucifixus fuit olim* gentibus *stultitia*, 1 Cor. I. 23. unde christianos per ludibrium vocabant *crucis religiosos*, teste Tertulliano in apolog. cap. 16. Christiani igitur, ut ostenderent, se ob crucem Christi non erubescere, in medio frontis eam pingebant. Cyrillus Hierosol. catech. XIII. *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidentes signaculum crucis digitis imprimamus.* Augustinus serm. VIII. de verbis Domini: *De cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi, & dicunt: quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum, in fronte eam figat, ubi sedes pudoris est, ibi omnino figatur &c.* Quare cum catechumeni

4.) *Signum crucis.*

(*) Locus TERTULLIANI, ad quem hic respicit GERHARDUS, exstat *cap. VIII.* libri *de resurr. carnis*, *p. 334.* ubi hæc leguntur verba: *scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut & anima muniatur.* Possunt hæc verba, quod haud diffitemur, de signo crucis, in baptismo olim adhibito intelligi, rem ipsam tamen haud prorsus evincunt. Hoc certum, iam seculo secundo magnum fuisse honorem signi crucis, christique cultores illud in fronte subinde adhibuisse. Testatur id TERTULLIANUS, quem modo adlegavimus, *de corona militis cap. III. p. 121.* itemque *libr. II.* ad *uxorem.* Eundem morem seculo III. obtinuisse, testis est CYPRIANUS *libr. II. testimonior. adv. Judæos, cap. XXI. & XXII. p. 294.*

(**) Hemmingius in histor. Dom. I. C. p. 117. non improbat signum crucis imprimi fronti & pectori infantis, dum baptizatur; *modo id fiat in signum novæ istius inaugurationis, qua baptizatus Christo crucifixo dat nomen, & se sub ipsius vexillo militaturum promittit.* 2.) *Si illud crucis signum ut doctrinæ quoddam memoriale ob oculos ponat.* 3.) *Si ut μνημόσυνον historiæ habeat.* 4.) *Si veluti triumphale signum victi diaboli illud erigat.* GERHARDUS.

chumeni Christo crucifixo darent nomina, in signum fidei ac confessionis de Christo signum crucis in fronte & pectore olim fuit formatum. Augustinus libr. I. de peccat. merit. cap. 26. *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi puto sanctificari*, addit autem, *& per orationem manus impositionis.* A baptismo catechumenorum ad baptismum infantum, ut plerœque aliæ ceremoniæ, postea fuit signum crucis translatum.

5.) *Preces.*

§. CCLXIII. V.) Recitantur *preces*, quibus infans Christo offertur, ut memor promissionis suæ, per Spiritum sanctum in ipso efficax sit, ac per spirituale diluvium baptismi peccata ejus submergat, fide ipsum donet, & ex numero infidelium in arcam ecclesiæ receptum ad vitam æternam conserver &c. Has preces utiles in baptismo adhiberi, constat ex eo, quod Christus infantes sibi offerri jubet, Matth. XIX. 14. Marc. X. 14. Luc. XVIII. 15. id quod fit piis precibus, per quas una cum verbo Dei omnia sanctificantur. 1 Tim. IV. 5. Huc referendum, quod Christus ipse in suo baptismo orasse legitur Luc. III. 21.

6.) *Exorcismus.*

§. CCLXIV. VI.) *Exorcismus* adhibetur hac forma: *Adjuro te immunde Spiritus, ut exeas ab hoc servo Iesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Olim in primitiva ecclesia viguit donum ejiciendi dæmones, testibus Justino in dial. cum Tryphone, Tertulliano libr. de coron. milit. & apologet. cap. 32. Cypriano libr. ad Demetr. Lactantio libr. II. instit. cap. 16. libr. IV. cap. 27. &c. Cessante isthoc dono exorcismus ad ceremonias baptismi translatus est (*), cum per baptismum ex regno & potestate satanæ, cujus captivi sumus, liberati, in regnum Christi & consortium vitæ æternæ recipiamur. Proinde exorcismus est testimonium & viva quasi adumbratio 1.) spiritualis captivitatis, qua infantes in regno satanæ propter peccatum detinentur, 2.) exhibiti Messiæ & præstiti ab eo operis redemtionis, quod fortis armatus expugnatus sit, & spolia per ministerium verbi & sacramentorum distribuantur, 3.) efficaciæ divinæ baptismi propriæ, qua infantes ex potestate tenebrarum in regnum filii Dei transferuntur, 4.) præcipui scopi & finis totius ministerii ecclesiastici, qui consistit non modo in adplicatione beneficiorum Christi ad credentes, sed etiam in perpetua pugna contra satanam. 5.) Est confessio publica ecclesiæ contra errores Pelagianorum, Anabaptistarum, Zwinglianorum. 6.) Comprobatur testimoniis primitivæ ecclesiæ. Cyprianus libr. IV. epist. 7. Nazianzenus orat. in sacrament. lavacr. Augustinus de nupt. & conc. libr. I. cap. 20. libr. II. cap. 18. de peccat. merit. & remission. libr. I. cap. 34. de civit. Dei libr. X. cap. 22. &c. Ambrosius libr. I. de sacram. cap. 5. Optatus Milevitanus libr. IV. contra Parmen: quæ exorcismi fundamenta profert Schilterus in catech. pag. 530.

§. CCLXV.

(*) Primus, qui exorcismi in baptismo adhibiti meminit, fuit CYPRIANUS *epist. LXXVI. p. 157.* edit. STEPH. BALUZII; *quanquam nec universalis adhuc tum ritus ille fuerit; nec aliunde natus, ut ex eadem* CYPRIANI *epistola liquet; quam ex hypothesi, Spiritum immundum habitare in corpore illorum, qui nondum essent sanctificati per gratiam baptismi, eoque spiritu moveri*; prout observat FRID. SPANHEMIUS, *tom. II. oper. p. 910.*

(**) Differt autem noster exorcismus a pontificio. 1.) noster auctoritate humana nititur, est sua natura ἀδιάφορος ac liberæ observationis. Pontificiorum exorcismus non humana, sed apostolica auctoritate niti fingitur. Bellarminus libr. I. de baptismo, c. 25. hinc in ecclesia pontificia non indifferens, sed necessarius statuitur. Concil. Tridentin. sess. VII. can. 13. 2.) Noster est σημαντικὸς, significans peccatum originale ac liberationem ab ea per Christum; sed Pontificiorum exorcismo ipsa ἐνέργεια seu efficax operatio tribuitur. Verbum ἐξορκίζειν generale est, significans Deo ultore & vindice per juramentum invocato aliquid imperare, nec semper de corporaliter obsessis usurpatur. Marc. V. 7. inquit legio ad Christum: *Adjuro te per Deum*, id est, Dei nomine & imperio quasi in auxilium

§. CCLXV. Cavendum igitur, 1.) ne hæc ceremonia pars baptiſmi *eſſentialis* ac neceſſaria ſtatuatur. 2.) Ne de obſeſſione quadam corporali infantis cogitetur, cum ſpiritualem ejusdem in regno ſatanæ captivitatem ſolummodo demonſtret. *Scimus*, (inquit Chemnitius part. III. locorum pag. 392.) *infantes Dei beneficio non eſſe corporaliter obſeſſos; ſcimus autem viciſſim ex verbo Dei, multo triſtius & periculoſius eſſe, quod propter peccatum regni cælorum extorres ſpiritualiter captivi detinentur ſub regno ſatanae poteſtate tenebrarum, unde nullius creaturae potentia eripi poſſunt, ſed Deus Pater divina ſua potentia propter Filium per Spiritum ſanctum in baptiſmo eos liberat* (*). 3.) Neve uſus exorciſmi ſtatuatur *effectivus*, quaſi vi verborum iſtorum infans ex regno ſatanæ liberetur, cum ſacramento baptiſmi hoc ſit in ſolidum tribuendum, ſed ſaltem *ſignificativus*. Negari quidem nequit, pios veteres interdum ita loqui, ac ſi per exorciſmum & exſufflationem infantes a poteſtate ſatanæ liberentur; unde exorciſmi uſum *effectivum* eſſe ſtatuit compendium theol. veritat. libr. VI. cap. 10. p. 438. Gregorius de Valentia diſput. IV. q. 6. de ritu baptiſm. part. II. tom. 4. id vero juxta analogiam fidei ita accipiendum, quod efficaciam verbi & baptiſmi contra ſatanam rhetoricis illis commendationibus hujus ceremoniæ demonſtrare voluerint. Cœleſtinus P. R. C. ſive diſtinct. 4. de conſecrat. decernit, *omnes a baptiſmate arcendos, a quibus per adjurationes & exſufflationes diabolus non fuerit expulſus*. Ibi gloſſa addit: *hoc non eſſe ſimpliciter intelligendum, quia daemon ante baptiſmum non ejicitur, cum usque ad tinctionem diaboli familia ſimus & ejus membra, ſtatuit ergo diabolum exorciſmo non ejici, ſed ejiciendum ſignificari* (**).

§. CCLXVI.

um vocato præcipio. 1 Theſſ. V. 27. *Adjuro vos per Deum*, id eſt, Deum ultorem ſuper vos invoco. Matth. XXVI. 63. ἐξορκίζω σὲ κατὰ θεοῦ τοῦ ζῶντος, id eſt, *Deum vivum ſuper te vindicem invoco*. Phraſi etiam *exeundi* de ſoluta obſeſſione ſpirituali utitur ſalvator Matth. XII. 43. ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθη, ac de ſpiritualiter captivis a ſatana dicit apoſtolus 2 Tim. II. 26. quod *in diaboli laqueis quaſi vivi ab illo in vinculis detenti ſunt*. Eph. II. 1. τὸ πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, ſignificat autem ἐνεργέω interna efficacia inſita agito & impello, Matth. XIV. 2. Rom. VII, 2. inde ἐνεργαμένοι dicuntur a diabolo obſeſſi, a cujus potentia intus operante impelluntur & agitantur. Ad patrum dicta, quibus videntur exorciſmi verbis efficaciam aliquam tribuere, reſpondemus, *ea commode eſſe explicanda*: illam vero explicationem monſtrat Auguſtinus lib. I. de nupt. & concup. cap. 20. *A poteſtate tenebrarum, quarum diabolus princeps eſt, id eſt, a poteſtate diaboli & angelorum ejus eruuntur parvuli, cum baptizantur*. Et mox: *In veritate igitur, non in falſitate poteſtas diabolica exorciſatur in parvulis*. Et poſtea: *Quid ergo eſt in eis, per quod in poteſtate diaboli teneantur, donec eruantur inde per ſacramentum baptiſmatis Chriſti, quid eſt niſi peccatum?* (tribuit igitur virtutem liberandi a poteſtate diaboli exorciſmo, quatenus ille reſpicit ſacramentum baptiſmi.) GERHARDUS.

(*) Lutherus in præfat. actionis baptiſm. *Eccleſia chriſtiana firmis & indubitatis verbis coram Deo confitetur, puerum eſſe a diabolo* (ſpiritualiter ſcilicet) *obſeſſum, id eſt, filium eſſe peccati & iræ Dei*. GERHARDUS.

(*) Græci recentiores nominant potius ἀφορκισμὸν quam ἐξορκισμὸν, ut ex eorum conſtat euchologio. Et ipſi non ſolum his utuntur formulis: ἐπιτιμᾶ σοι κύριος, διάβολε, ὁ παραγενόμενος εἰς τὸν κόσμον καὶ κατασκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, ἵνα τὴν σὴν καθελεῖν τυραννίδα καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐξέληται. *Increpet te Dominus, diabole, qui in mundum venit & inter homines converſatus eſt, ut tuam deſtruat tyrannidem & homines eripiat*. Aphorciſmo ſecundo: ὁ θεὸς ὁ ἁγιὸς ὁ φοβερὸς καὶ ἔνδοξος, ὁ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις καὶ τῇ ἰσχύει αὐτοῦ ἀκατάληπτος καὶ ἀνεξιχνίαστος ὑπάρχων, αὐτὸς ὁ προορίσας σοι διάβολε τῆς αἰωνίου κολάσεως τὴν τιμωρίαν, δι' ἡμῶν τῶν ἀχρείων αὐτοῦ δούλων κελεύει σοι καὶ πάσῃ τῇ συνέργῳ σου δυνάμει, ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ νεωσὶ σφραγισθέντος.

Deus

§. CCLXVI. Quod igitur rem ipsam per exorcismum adumbratam, itemque explicationem verborum in hac ceremonia adhibitorum attinet, quod videlicet sit commonefactio & testimonium de spirituali captivitate infantis in regno satanæ, de miserabili statu, in quem per lapsum primorum parentum redacti sumus, de salutari efficacia baptismi &c. ea cum fidei sit analoga, non potest simpliciter improbari: interim tamen cum verba sint duriora ac sepositа illa explicatione præ se ferant obsessionem quandam infantis, a qua per illam ipsam ceremoniam fiat liberatio, ideo, ut loquitur Chemnitius parte III. locorum theolog. pag. 178. *habet ecclesia libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de potestate & regno satanae, & de baptismi efficacia aliis verbis scripturae magis consentaneis proponat & explicet.* Ἐξορκίζειν non significat hoc loco juramentum diabolo deferre, ac jurejurando illum obstringere, sicut usurpatur, Matth. XXVI. 63. nec significat, infantem corporali obsessione liberari, sed continet gravem obtestationem, ut diabolus ab hoc infante propter peccatum sibi mancipato cedat, & Christo redemtori ac Spiritui regeneratori locum relinquat, perinde ut Christus dicit Matth. XVI. 23. *Abi post me Satan*, cum in Petro prava cogitatio exsurgeret. Paulus 1 Thess. V. 27. *adiurat* Thessalonicenses *per Dominum, ut epistolam hanc legant.* Zach. III. 2. hac forma detestationis utitur: *Increpet te Deus, satan.*

§. CCLXVII. Hanc libertatem abrogandi ceremoniam adiaphoram ut ipso facto ecclesia in exorcismo demonstraret, forte non fuerit inutile propter causas non contemnendas (*); sin vero abrogatio exorcismi ab iis, qui in pluribus doctrinæ christianæ capitibus pertinaciter errant, præfracte urgetur, & quidem ex hoc fundamento, quod liberi christianorum ante baptismum sancti sint, ac in Dei fœdere, quod baptismus non sit medium, sed signum & obsignatio regenerationis &c. tunc in præposteram abrogationem non est consentiendum, cum hac ratione libertas christiana & ὀρθοδοξία articuli de peccato originis ac de efficacia baptismi oblique petatur. Gal. II. 4. *Falsis fratribus, qui subintroierunt, explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent, nec ad horam cessimus, ut veritas evangelii apud nos permaneret.* Gal. V. 1. *State in libertate, qua Christus nos liberavit.* Sed nec privatim absque consensu ecclesiæ a ministro suscipienda, nec a magistratu edictis imperanda est exorcismi abrogatio, verum præcedat oportet diligens ex verbo Dei de hac cere-

Deus sanctus terribilis & glorioſus in omnibus operibus & fortitudine ſua incomprehenſibilis & imperveſtigabilis, ille, qui tibi, ſatana, præſtitit æterni ſupplicii pœnam, per nos inutiles ſervos imperat tibi & coadiutrici potentiæ tuæ omni, ut abſiſtas a receto ſignato &c. Verum hasce etiam adjungunt preces in tertio aphorismo: Κύριε σεβασθ, ὁ θεὸς τῦ Ισραὴλ, ὁ ἰώμενος πᾶσαν νόσον ϗ πᾶσαν μαλακίαν, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου, ἐκζήτησον (exquire) ἐξερεύνησον ϗ ἀπέλασον ἀπ' αὐτοῦ πάντα τὰ ἐνεργήματα τοῦ διαβόλου. Ἐπιτίμασον τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι, ϗ διώξον αὐτὰ, ϗ καθάριστον τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, ϗ τῇ ὀξεία σου (celeri) χρυσάμενος ἐνεργεία σύντριψον τὸν σατανᾶν ὑπὸ τὰς πόδας αὐτοῦ ἐν τάχει, ϗ δὸς αὐτῷ νίκας κατ' αὐτοῦ ϗ τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων, ὅπως τοῦ παράσου ἐλέους τυγχάνων καταξιωθῇ τῶν ἀθανάτων ϗ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, ϗ δόξαν σοι ἀναπέμψῃ τῷ πατρὶ ϗ τῷ υἱῷ ϗ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν ϗ ἀεὶ ϗ εἰς τοὺς αἰῶνας. GERHARDUS.

(*) Martyr in locis p. 1551. *Laudabile & consultum fore* ait, *si exorcismi in preces converterentur.* Bucanus in censura super libr. sacror. Angl. c. 13. *Præstat, ista increpandi & imperandi verba adversus malos dæmonas verti in verba precandi.* GERHARDUS.

Lectu cumprimis digna sunt, quæ b. SPENERUS *part. I. consil. theolog. cap. II. art. V. sect. VI.* de abrogatione exorcismi scripsit.

ceremonia informatio ac orthodoxæ ecclesiæ consensus.

§. CCLXVIII. VII.) *Recitatur evangelium Marc. X.* ejusdemque ἐξήγησις additur, continens antithesin miseriæ nostræ, & consolationis eidem opponendæ. VIII.) *Imponuntur manus infanti.* Hæc χειροθεσία a patriarchis, prophetis, Christo & apostolis usurpatur in quinque casibus: 1.) in benedictione; Marc. X. 16. 2.) cum sacerdotes victimam adducunt ad altare; Lev. III. 2. 3.) si quem voluerunt miraculose curare; Marc. XVI. 18. 4.) quando conferri debuit Spiritus sanctus; Act. VIII. 17. 5.) si quis ad ministerium ordinandus. Num. XXVII. 18. Act XIII. 3. 1 Tim. V. 22. In baptismi administratione adhibetur, exemplo Christi benedicentis infantibus sibi oblatis Matth. XIX. 14. & Ananiæ imponentis manus Paulo baptizando. Act. IX. 17. Augustinus libr. III. de bapt. contra Donatist. cap. 16. *Quid impositio manuum aliud, nisi oratio super hominem?* Significat igitur hæc ceremonia, infantem cœlestis benedictionis participem reddi, a morbo peccati originalis liberari, Spiritu sancto donari, & ad sanctum ministerium Deo præstandum ex mundo segregari. IX.) Oratio dominica recitatur, eidemque benedictio ac pium votum ministri subjungitur: *Dominus custodiat introitum & exitum tuum ex hoc nunc & usque in seculum.*

§. CCLXIX. X.) *Patrini ac matrinae* adhibentur, qui monentur, ut officii sui diligentem habeant rationem, ac postea infantis nomine abrenunciant satanæ, & fidem christianam profitentur. Hæc abrenunciatio usitata fuit in baptismo catechumenorum, ut patet ex Ambrosio libr. de iis qui myst. init. cap. 2. Dicuntur *patrini* alias ἀναδόχοι *susceptores*, quia ex sacro fonte baptizandum levant: *compatres, propatres & patres spirituales* quia ad baptismum, regenerationis lavacrum, infantem deferunt: *fidejussores, sponsores*, quia loco infantum spondent ac respondent. Adhibentur autem hoc fine, 1.) ut per serias preces infantem Christo offerant, eundemque fide donari & in fœdus gratiæ recipi petant, qua in parte sequuntur exemplum eorum, de quibus Matth. XIX. 13. Marc. X. 13. Luc. XVIII. 15. commemoratur, quod *infantes Christo obtulerint*, atque implent vaticinium Esai. XLIX. 22. *Adferent filios tuos in ulnis & filias tuas super humeros portabunt.* 2.) Ut Christi loco testentur, infantes baptizatos credere & Deo placere, hæredes esse regni cœlorum. Matth. XIX. 14. &c. 3.) Ut sint testes baptismi, quo baptizati postea in adulta ætate resistere possint tentationibus diaboli. 4.) Ut succedant in locum demortuorum parentum, ac infantem, quem ex sacro fonte susceperunt, in vera pietate & religione institui curent. Augustinus serm. CXVI. de temp. tom. X. p. 852. *Qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant, & antequam baptizentur, &, postquam baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate, vel pace eos admonere, vel docere non desinant, & agnoscant se fideiussores eorum esse, pro ipsis enim respondent, quod abrenuncient diabolo, pompis & operibus eius, & ideo tam illi, qui excipiunt, quam qui excipiuntur, tam patres quam filii pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant: nec unquam aliquid de diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant.* Porro usus susceptorum est antiquissimus, cum ex instituto Hygini (*) circa annum Christi 154. adhiberi cœperint, ac mentio eorum

7.) *Recitatio evangelii Marci.*

8.) *Impositio manuum.*

De officio susceptorum.

9.) *Orationis dominicæ recitatio.*

10.) *Patrinorum adhibitio.*

(*) Eusebius libr. IV. hist. eccl. cap. 11. vocat eum *Hyginum*, sed apud Polydorum Virgilium libr. IV. de rer. invent. c. 4 & in centuriis Magdeburg. vocatur *Iginus*. cent. II. c. 6. pag. 111. GERHARDUS.

rum fiat apud Dionysium Areopagitam in hierarch. eccleſiaſt. cap. 2. (*). Tertullianum libr. de baptiſm. (**) &c. Alii morem hunc ex imitatione baptiſmi catechumenorum, quibus referente Euſebio libr. VII. cap. 20. & libr. VIII. cap. 21. teſtes & ſponſores antiquitus adhibebantur, profluxiſſe ſtatuunt. Diſſerunt etiam de illorum inſtituto & officio Polydorus Virgilius libr. IV. de rerum inventoribus cap. 4. Auguſtinus ſerm. CLXIII. de tempor. Hugo de S. Victore part. VI. cap. 12. Lombardus lib. IV. ſent. diſtinct. 6. art. 2. &c. Referenda huc ea, quæ habet Guil. Bucanus inſtitut. theol. loco XLVII. p. 651. *Uſus ſponſorum nec neceſſarius eſt, quia expreſſe non praeſcribitur in ſcripturis, nec ſimpliciter rejiciendus. 1.) Quia ortus eſt ex imitatione baptiſmi catechumenorum, qui baptizandi, non ſolum de fide interrogati ipſi reſpondebant, ſed fidei ſuae velut teſtes & ſponſores dabant. 2.) Non pugnat cum ſcripturis. 3.) Habet nihil iniqui aut inhoneſti. 4.) Ex caritate proficiſcitur. 5.) Hoc ita cedit in utilitatem & ſalutem infantis, ut nemini ſit fraudi. 6.) Totum hoc ad aedificationem eccleſiae facit. 7.) Ut ad facilem partum in generatione carnali adhibetur obſtetrix: ſic in ſpirituali generatione baptiſmi aliquis adhibetur, qui fungatur vice obſtetricis & paedagogi in iis, quae pertinent ad fidem & vitam chriſtianam.*

Q. 1.) De numero ſuſceptorum.

§. CCLXX. Quæritur hoc loco: 1.) *Quot ſuſceptores adhibendi ſint?* Reſp. in quibuſdam locis unus, in quibusdam vero tres, in quibusdam etiam plures invitantur; Hyginus unum ſolummodo patrinum unamve matrinam baptiſmo intereſſe voluit, teſte Platina in ipſius vita, pag. 20. (***) Quamvis vero integritati & efficaciæ baptiſmi ex numero ſuſceptorum nihil vel accedat vel decedat, ac proinde adiaphorum ſit, unum vel plures invitare, ne tamen ſcandalum detur, cujusque eccleſiæ conſuetudini reverenter parendum. Cumprimis vero cavendus luxus, qui in complurium ſuſceptorum invitatione plerumque ſpectatur, cui electoralis conſtit. eccleſiaſt. obviam ire voluit. Propter teſtimonii firmitatem atque educationis neceſſitatem, ut parentibus ac uno vel altero patrinorum e vivis ſublato infans pie educari poſſit, ſatius eſſe videtur, tres quam unum adhibere. Num. XXXV. 30. Deut. XVII, 6. *In ore duorum vel trium teſtium conſiſtit omne verum.* 2.) *Quales adhibendi ſint ſuſceptores?* Reſp. ut numerus, ita & qualitas ſuſceptorum baptiſmo nihil addit vel demit: interim tamen ad ſacram hanc actionem, quantum quidem fieri poteſt, pii & veræ religioni addicti teſtes adhibendi ſunt, ne videamur impietate ac hæreſi eorum, quos invitavimus, delectari. 1 Theſ. V. 22. *Ab omni ſpecie mala abſtineto.* Deinde ut conſcientia pacatiore liberos noſtros nobis defunctis educandos illis tradere poſſimus: denique cum in civilibus judiciis hæreticus & Judæus contra chriſtianum teſtimonium dicere prohibeantur l. quoniam 21. c. de hær. & Manich. Farinus q. 56. n. 205. cum ſeqq. & Dd. comm. cumque notati infamia ac hærentes in manifeſtis flagitiis a teſtimonio repellantur cap. teſtimonium 54. extr.

2.) Quales adhibendi ſint ſuſceptores.

(*) Librum iſtum de *hierarchia eccleſ.* qui DIONYSIO AREOPAGITÆ tribui ſolet, ſpurium eſſe ac ſuppoſititium, ſupra in *not.* ad §. CXCII. *p.* 240. adnotavimus.

(**) TERTULLIANUS primus fuit, qui ſuſceptorum fecit mentionem. In ejus enim libro ſupra excitato *de baptiſmo cap. XVIII. p. m. 264.* hæc leguntur verba: *Itaque pro cujusque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi utilior eſt; praecipue tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli.* Hic *ſponſores* vocat, qui alias ſuſceptores dici ſolent.

(***) Concilium Tridentinum ſeſſ. XXIV. c. 2. conſtituit *unum duntaxat virum vel unam fœminam, vel ad ſummum virum ac fœminam unius infantis baptiſmo tanquam teſtes & ſuſceptores adhibendos eſſe.* GERHARDUS,

extr. de testibus c. super 13. eod. quanto minus ad hanc sacrosanctam actionem baptismi testium loco admittendi fuerint. 3.) *An admittendi sint susceptores diversae ac perversae religioni addicti?* Resp. distinguendum inter eos, qui sunt dociles ac sanabiles, qui baptismum nostrum adprobant, & confessionem nostram aperte non damnant: & inter eos, qui sunt pertinaces, insanabiles ac blasphemi, priores admitti possunt, ut pia informatione in viam reducantur, ac vanitatem calumniarum, quibus ecclesiæ nostræ prægravantur, ipsimet cognoscant: posteriores vero repellendi sunt, propter scandalum multiplex, aliasque rationes gravissimas. Vide Lutherum præfat. de baptism. & const. eccles. tit. de excommunic. (*) 4.) *Quid faciendum ministro, si a magistratu cogatur, aut haereticum admittere, aut officio se abdicare?* Resp. admittat, sed cum solenni protestatione, quia satius est in tali casu, qui non concernit ipsam baptismi substantiam ac fidei articulos, injuriam magistratus ferre, quam non necessaria ministerii desertione lupo aditum ad ovile Christi patefacere. Protestatio tollit scandalum & ministerii conscientiæ satisfacit. 5.) *Si quis a diversae religionis homine ad officium susceptoris vocetur, num comparere debet?* Resp. de hoc casu integrum tractatum scripsit Melch. Episcopus, impressum Coburgi anno 1593. ubi multis argumentis probat, orthodoxum non posse salva & illæsa conscientia in baptismo Pontificiorum susceptoris munere fungi. Quidam vero contrarium statuunt, nimirum comparere aliquem posse, sed cum solenni protestatione. 1.) Quia in ecclesiis haereticis verus administratur baptismus, modo observetur dominica institutio. 2.) Quia post obitum parentum infans in nostram potestatem redactus in vera religione institui potest. 3.) Quia nimia morositate offenduntur infirmi in fide, qui nostra facilitate & conversatione lucri fieri possent. Respiciendæ sunt circumstantiæ & pia adhibenda est prudentia, ne vel cum adversariis colludere, vel infirmorum fidem subvertere in hoc casu videamur. Const. eccles. elect. art. X. gener. hac de re sic statuit: *Keinem unserer Religions-Verwandten ist zu rathen, daß er bey einer Papistischen Tauffe stehen und hiermit ihren Papistischen Greuel, so sie bey der heiligen Tauffe treiben, bestätigen soll.* 6.) *Num ex fidejussionis ritu in baptismo talis quaedam cognatio oboritur,*

3.) *An admittendi susceptores diversae religionis?*

5.) *An quis comparere debeat a diversae religionis homine ad officium susceptoris vocatus?*

4.) *Quid faciendum ministro, si magistratus eum cogit, ut tales susceptores admittat.*

6.) *An ex fidejussionis ritu*

(*) Causæ, propter quas *pertinaces, insanabiles ac blasphemi*, itemque *pontificii* alique ad compaternitatem non sunt admittendi, hæ sunt: 1.) Etsi officium patrinorum est adiaphorum, tamen baptismus, ut reliqua veter. & nov. test. sacramenta, est nota conjunctionis in fide & confessione. 2.) Propter mandata divina de fugiendo infidelium consortio in spiritualibus. Matth. VII. 6. *Ne detis quod sanctum.* 2 Cor. VI. 14. *Ne ducatis jugum*, 2 Joh. V. 10. *Si quis venit &c.* 2 Thess. III. 6. *Subducatis vos a fratre, qui inordinate se gerit.* Tit. III. 10. *Haereticum devita.* 3.) Propter abusum nominis divini in invocatione, quam haretici faciunt. Psalm. L. 4.) Propter infantes, ne fraudentur precibus piorum patrinorum. Psalm. CIX. 7. 5.) Blasphemi & insanabiles, ut hostes Dei & veritatis, non possunt infantes, quos ex sacro fonte susceperunt, de fide vera instituere. 6.) Propter scandalum eorum, qui in fide non satis sunt confirmati, propter deformationem baptismi & suspicionem hypocriseos aut collusionis cum impiis in religionis exercitio, aut avaritiæ aut aliorum criminum. 1 Thess. V. 22. *ab omni specie mali.* 7.) Ne participemus de pœnis testis baptismi haretici. Apoc. XVIII. 4. 8.) Nulla necessitas cogit adhiberi fidejussores tales, cum præsto sint alii sinceræ religioni addicti. 9.) Christus jussit impœnitentes ligare. Atqui separatio ab usu sacramentorum est magna pars clavis ligantis. 10.) Pontificii nos pro haereticis in bulla cœnæ damnant, & mortuis locum sepulturæ in cœmiteriis denegant. Cur ergo illos adcom paternitatem admitteremus. Addimus 11.) exempla ecclesiarum Saxonicarum, Brunsuicensium, Mansfeldensium, Megapolensium, Magdeburgensium: ,Rostochiensium, Argentoratensium, Ratisbonensium: &c. Empsychovius in conf. Braun. p. 291. GERHARDUS.

oriatur cognatio spiritualis?

oboritur, qua matrimonium inter compatres eorumque liberos prohibeatur. Resp. adfirmat Bellarminus libr. I. de matrim. c. 30. ex Canonist. Sed si spiritualis cognatio, quæ a Christo ipso descendit, ac in fidei & caritatis communione consistit, non impedit matrimonium, quanto minus compatrum illa cognatio, quæ ab hominum instituto dependet, illud impediet.

Vestis candida in baptismo.

§. CCLXXI. Hi ritus omnes baptismi administrationem præcedunt, ut dignitas & efficacia ejusdem auditoribus & spectatoribus commendetur, iidemque ad serias preces, devotionem ac reverentiam erga hanc sacram actionem excitentur. Sequitur baptismi administrationem induitio *vestis candidae* (*). Bucanus loc. XLVII. p. 645. hunc ritum vocat *inutilem & superstitiosum*, sed non est temere improbandus, quia testatur 1.) infantem a peccatis ablutum, ac justitia Christi veste illa salutis indutum esse. Gal. III. 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Ambrosius de iis, qui initiantur mysteriis c. 7. tom. IV. oper. p. 425. *Accepisti vestimenta candida, ut essent indicium, quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiae casta velamina*, &c. Fortunatus de hac veste ita canit:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat:
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Paulinus:

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos,
Infantes niveos corpore corde habitu.

2.) Infantem veræ libertatis in Christo participem factum atque ex potestate satanæ manumissum esse. Tertullianus lib. de res. carnis, ubi ordine manumissionis insignia recenset, albam quoque adnumeravit vestem. *Si famulum*, inquit, *libertate mutaveris, & vestis albae nitore & annuli aurei honore & patroni nomine ac tribu, mensaque honoratur.* 3.) Admonet infantem, ut exuto veteri homine, induat novum, & in vera pietate Deo inposterum serviat. Rom. XIII. 13. *Honeste ambulemus, non in comessationibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c.* v. 14. *sed induite Dominum Jesum Christum.* Eph. IV. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.* Jud. v. 23. *Odio habentes maculatam carnis tunicam.* Apoc. VII. 13. *Qui sunt amicti illis stolis albis?* v. 14. *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas, in sanguine agni.* Dionysia Africana: *Ne perdamus indumentum salutis nostrae, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem.* Rabanus lib. I. de institut. clericor. *Induuntur baptizati albis vestibus ad significandam innocentiam & puritatem christianam.* Vestem illam candidam baptizati neophyti gestare solebant a sabbato sancto usque ad dominicam festo paschali proximam, quæ ob id dicebatur *dominica in albis.* Tandem tota baptismi actio concluditur precatione, benedictione ac pio voto ministri, pro fidei corroboratione in puero, ejusdemque conservatione in gratia Dei ad vitam æternam, id quod fit mandato Dei, Num. VI. 22. & exemplo Christi. Marc. X. 16. Precationis seu pii voti a ministro usurpati formula exstat apud Ambrosium libr. II. de sacrament. cap. 7. circa finem: *Venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus*, inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex*

Benedictio.

(*) Hæc consuetudo, baptizatos albis vestibus ornandi, jam in veteri obtinuit ecclesia, quamvis de illius ætate nihil definiri queat. Eandem seculo quarto in usu fuisse, luculenta testimonia CYRILLI Hierosolymitani, AUGUSTINI atque aliorum dubitare nos non sinunt; cum contra, quæ ex ecclesiasticis seculi tertii monumentis producuntur, loca non ita sint comparata, ut exinde comprobari queat, illis jam temporibus initiatos albas vestes induisse. Tradebantur vero vestes illæ neophytis cum solemni hac verborum formula, quæ in *sacramentario* GREGORII exstat: *Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam æternam, Amen!* Vid. JOSEPH. BINGHAMUM *origin. sive antiquitat. ecclesiast. tom. IV. cap. IV. p. 383. seqq.* & STEPHANUM BALUZIUM *not. ad Cyprianum p. 533.*

ex aqua & Spiritu sancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ducat in vitam aeternam.

Uſus doctrinæ de baptiſmo.

§. CCLXXII. Atque hæc dicta ſint de ſanctiſſimo initiationis ſacramento, baptiſmo ſcilicet, quorum omnium verus ac pius uſus conſiſtit in his membris: I.) Ut gratias Deo agamus pro inſtitutione hujus ſacramenti, per quod in fœdus gratiæ recipimur, a peccatis mundamur, regeneramur, renovamur, ac Spiritu ſancto donati filii Dei, & hæredes vitæ æternæ ſcribimur. Plato memoratur gratias Deo quotidie egiſſe, quod græcus, non barbarus natus ſit, nos longe juſtiores ac graviores cauſas habemus ſupplices quotidie & Deo agendi gratias, quod ex parentibus chriſtianis nati, per baptiſmum ad vitam æternam ſumus renati. Magnum Dei beneficium eſt, quod nos ſalvos & incolumes in hunc mundum naſci voluerit, ſed longe majus beneficium eſt, ac proinde æternis præconiis dignum, quod ex aqua & Spiritu renati & in eccleſiæ conſortium recepti, ſpem vitæ æternæ minime dubiam habemus. II.) Ut hoc fidei ſignaculo in omnibus periculis, tentationibus & adverſis contra ſatanam ejusque organa nos armemus, exemplo Davidis contra Goliathem pugnantis. 1 Sam. XVII. 26. Ignita ſatanæ tela ſcuto fidei excepta in aqua baptiſmi exſtingui poſſunt. Eph. VI. 16. Refertur de nobili quadam matrona, quod graviſſimis ſatanæ tentationibus oppugnata, baptiſmi adminiſtrationem intuita non mediocrem conſolationem ex eo perceperit, quod eodem modo ſe in infantili ætate baptizatam, inque fœdus gratiæ receptam edocta fuerat (*). Fridericus Barbaroſſa imperator in flumine, cum inde emerſus eſſet, ante ultimum vitæ halitum commonefecit ſe fluminis baptiſmi ſui. Et Albertus Saxo princeps ſummam conſolationem adverſus diaboli ludibria eſſe dixit baptiſmi ſui recordationem. Selneccerus parte IV. exam. theolog. pag. 129. *In omni lapſu, in omni tentatione, in ipſo mortis articulo, nulla eſt alia conſolatio recordatione baptiſmi efficacior. Et qui ad multam ſenectam pervenerit, etiam ſanctiſſimus, doctiſſimus & maximus quisque, cum moriendum eſt, cogitur retrocedere uſque ad horam baptiſmi, & rurſus talis recens natus infans fieri & obliviſci praeteritorum omnium, aut non poteſt intrare in regnum Dei:* ſcribit Neander in theol. chriſt. cap. de baptiſ. pag. 475. III.) Ut memores obligationis noſtræ in baptiſmo factæ ſub vexillis Chriſti contra ſatanam, mundum & carnem noſtram ſtrenue pugnemus, ac *conſepulti Chriſto per baptiſmum in mortem, in novitate vitae Deo inpoſterum ſerviamus.* Rom. VI. 3. *An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem ejus baptizati ſumus?* v. 4. *Conſepulti ergo ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut, quemadmodum Chriſtus ex mortuis reſurrexit, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* Baptizati ſumus in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ergo in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unum verum Deum, non in creaturas credere debemus: impium eſt credere in eum, in quem non ex baptizatus. Baptizati ſumus in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ergo Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, non autem creaturas invocare debemus. Baſilius epiſt. LXXVIII. δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα τὸν υἱὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα. Baptizati ſumus in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ergo Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unum verum Deum, colere, ab ipſo omnia ad hanc & futuram vi-

(*) Uti Lutherus notavit, qui tom. I. lat. Jen. conc. I. de ſacram. baptiſmi p. 321. a. *Es iſt kein ander, gröſſer und lieblicher Troſt in dieſer Welt als die Tauffe, denn durch die Tauff erlangen wir Gnade und Barmhertzigkeit.* Et tom. II. lat. Jenenſ. de captiv. Babyl pag. 271. *Man liſet von einer H. Jungfrauen, welche ſo oft ſie angefochten worden, nur mit ihrer Tauffe ſich gewehret und kürtzlich geſagt habe: Ich bin ein Chriſt, denn der Feind die Kraft der Tauffe und des Glaubens, ſo an der Wahrheit der göttlichen Verheiſſung gehaffet, bald verſtanden habe und von ihr gewichen ſey.* GERHARDUS.

tam necessaria sperare, inque sancto timore illi servire debemus. Nazianzenus orat. XL. in baptism. pag. 641. *Nihil aliud esse vim & facultatem baptismi aestimare debemus, quam secundae vitae ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum, (συνθήκας πρὸς θεὸν δευτέρας βίου καὶ πολιτείας καθαρωτέρας,) ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodia animas nostras servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum quaeso periculum est, ne foedera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac praeter alia peccata ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur.* Ambrosius lib. I. de sacr. c. 6. tom. 4. p. 429. *Abrenunciasti diabolo & operibus suis, abrenunciasti seculo & voluptatibus ejus &c. memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuae seriei cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias, teneris adstrictus, & reluctantem te foenerator adstringit, si recusas, vadis ad judicem, atque illic tua cautione convinceris. Ubi promiseris, considera, vel quibus promiseris. Chirographum tuum tenetur non in terra, sed in coelo.* Refertur de pio quodam susceptore sive propatre, quod filium suum in apostasias nefariae crimen prolapsum transmissione vestis candidae obligationis in baptismo praestitae commonitum in viam revocaverit. Mirito quidam Carthaginensis ecclesiae minister, cum esset cruciandus, exprobravit apostasiam suo carnifici, quem olim ipse de baptismate susceperat, ostentando crebro ea, quibus illum texerat linteamina. Victor Vitensis libr. III. de Vand. persecut.

Definitio baptismi. §. CCLXXIII. Ex his quae dicta sunt, talis constitui potest baptismi definitio: *Baptismus est prius nov. test. sacramentum divinitus institutum, quo hominibus in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti aqua baptizatis Deus beneficia Filii sui, mediatoris nostri Iesu Christi obedientia & satisfactione parta tum offert, tum fidei interventu donat, adplicat & obsignat, ut ex filiis irae, filii Dei facti, ad vitam aeternam regenerentur & renoventur*; vel brevius: *Baptismus est prius nov. test. sacramentum nempe hominis in aquam immersio, vel adsperso in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, ut regeneretur ac renovetur per Spiritum sanctum.* Ex Matth XXVIII. 19. Ephes. V. 26. Tit. III. 5. &c. Plena baptismi definitio constitui potest hoc modo: *baptismus est lavacrum aquae in verbo institutum a Deo in nov. testam. per ministerium Johannis, & a Filio Dei incarnato solenni promulgatione mandatum apostolis & reliquis ad finem usque mundi ecclesiae ministris, in quo tota sacrosancta Trinitas per adspersionem sanguinis Christi, quae fit per adspersionem aquae in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti effusae hominem sic baptizatum ab omni peccato emundat, non ex opere operato, sed interveniente Spiritus sancti efficacia, & fide propria, ac cum eodem foedus aeternum sancit, in quo ut hominem baptizatum Christo & ecclesiae insitum in filium adoptat, per aquam & Spiritum regenerat, ac haeredem vitae aeternae scribit, ita homo baptizatus vicissim ad agnitionem, fidem, obedientiam, & cultum veri illius Dei obstringitur & obligatur.* Benignissimus Deus, qui per baptismum in foedus gratiae nos recepit, in eodem usque ad finem vitae nos sanctos & immobiles conservet, per Christum Dominum nostrum in Spiritu sancto, Amen! Εὐχή.

FINIS

TOMI NONI.

CON-

CONSPECTUS
LOCORUM,
CAPITUM, SECTIONUM ET RELIQUORUM CONTENTORUM
IN TOMO HOC IX. OCCURRENTIUM.

LOCUS XX.
DE
CIRCUMCISIONE ET AGNO PASCHALI.

CAPUT I.

De convenientia & diſcrimine ſacramentorum veteris & novi teſtamenti.

Connexio hujus loci cum præcedente hæc eſt, quod poſt tractationem de ſacramentis in genere, tomo priori abſolutam, nunc in ſpecie de illis differitur. Antequam vero hoc fiat, prius de convenientia & diſcrimine eorum diſpiciendum eſt.

I.) Noſtra ſententia hæc eſt

Convenire ſacramenta vet. & nov. teſt. 1) appellatione, 2) genere proximo, 3) cauſa efficiente principali, 4) cauſa finali generica, 5) materia & forma generica, 6) uſu. §. I.

Differre autem illa primario ac præcipue in eo, quod ſacramenta vet. teſt. fuerint *præ-nunciativa Chriſti venturi*, ſacramenta vero novi teſt. ſint *adnunciativa Chriſti exhibiti*; differre illa porro ratione ſymboli ſacramentalis externi & actionis ſacramentalis §. II. adeoque tam reſpectu materiæ, quam formæ §. III.

II.) *Calvini* ſectatores ſtatuunt, ſacramenta vet. & nov. teſt. eſſe eadem quoad *ſubſtantiam*, differre autem tantummodo quibusdam *accidentibus*, ſignis ſcilicet, ritibus, modo ſignificandi, duratione, amplitudine, claritate &c. §. IV. refutantur vero §. V. & argumentum, quod potiſſimum ex 1 Cor. X. 3. petunt, enervatur §. VI.

CAPUT II.

De ſacramentis vet. teſt. in genere.

Præmiſſa quæſtione, *an ſacramenta locum habuerint in ſtatu innocentiæ*, quod ſcholaſtici negarunt quidem, nos autem adfirmare tamen poſſumus, quia arbor vitæ, licet non fuerit peccati remedium, (qualia ſunt proprie dicta ſacramenta poſt lapſum) tamen fuit gratiæ divinæ ſignum, indicantur duo vet. teſt. ſacramenta, *circumciſio* & *agnus paſchalis*. §. VII.

CAPUT III.

DE CIRCUMCISIONE IN SPECIE.

Duplex eſt circumciſio, carnis & cordis §. VIII.

Auctor circumciſionis eſt Deus, miniſter autem Abrahamus §. IX.

* Locus *Herodoti*, *circumciſionem Hebræos ab Ægyptiis accepiſſe* ſcribentis, qui a *Gerhardo* in textu excitatur, *Editori* occaſionem præbuit, in nota textui ſubjuncta hanc de origine circumciſionis inter Judæos ſententiam ulteriori tractatione proſequendi, in qua cenſum tam ſcriptorum, qui *Herodoto* adſtipulantur, quam eorum, qui in errore hoc refellendo laudabilem induſtriam poſuerunt, exhibuit, & graviſſimas porro rationes, quæ *Marshami*, *Spenceri* &c. ſententiæ repugnant, indicavit, nec non de auctoritate *Herodoti* aliorumque hac in re quid tenendum ſit, expoſuit, additis denique, qui de circumciſione apud Judæos uſitata copioſe commentati ſunt, ſcriptoribus & judaicis & chriſtianis.

In alia nota ſcriptores, qui locum Eſ. IV. 25. illuſtrarunt, idem memorat.

Verbum in circumciſione eſt tum *inſtitutionis* Gen. XVII. 11. tum *promiſſionis* v. 10. §. X.

Materiale hujus ſacramenti erat præputii in membro genitali amputatio, in qua corporis parte circum-

circumcisio adhibebatur, cumprimis ut de venturo semine ex Abrahæ posteris nascituro Israëlitæ hac cærimonia admonerentur, deinde ut, peccatum originale per generationem in posteros traduci, ostenderetur. §. XI.

Instrumentum circumcisionis erat culter. §. XII.

* In notis *Editor* auctores, qui de hoc egerunt, recenset.

Objectum circumcisionis fuerunt masculi Israëlitici, feminis tamen a fœdere non exclusis, in quibus internam cordis circumcisionem & puritatem peculiari modo operatus est Deus. §. XIII. XIV.

Quid de infantibus ante circumcisionem susceptam mortuis statuendum sit? §. XV. &

Cur Christus circumcidi voluerit §. XVI. ostenditur.

Tempus circumcisionis erat octavus a nativitate dies §§. XVII. XVIII.

* Judaici tamen doctores, quod *Editor* in nota monet, ob morbum & paucas quasdam alias rationes circumcisionem differri potuisse adserunt.

Duratio circumcisionis erat usque ad Christi adventum, mortem & passionem §. XIX. Hic quidem

1) Antithesis exhibetur §. XX.

* Ubi de *Judæis*, *Turcis*, *Cerinthianis*, *Ebionitis*, *Nazaræis*, *Æthiopibus*, qui circumcisionis ritum retinuerunt, in notis *Editor* agit, *Paulum* vero *Samosatenum* falso iis accensseri a *Gerhardo*, ostendit.

Argumenta pro perpetuitate circumcisionis recensentur §. XXI.

2) Thesis nostra exponitur §. XXII. cum rationibus, quibus nititur §. XXIII.

Subjunguntur *quæstiones* quædam:

1) an circumcisio potuerit iterari? §. XXIV.

2) de διομαδεσία in circumcisione §. XXV.

3) de loco circumcisionis §. XXVI.

4) de finibus ejus §. XXVII. & denique

Usus doctrinæ de circumcisione declaratur §. XXVIII. ac

Definitio circumcisionis §. XXIX. datur.

CAPUT IV.

DE AGNO PASCHALI.

Exponitur

Significatus vocis *pascha* §. XXX.

Res terrena hujus sacramenti, agnus. §. XXXI.

* In nota *Editor* sententiam *Lyrani*, quod etiam hœdus accipi potuerit, quam *Gerhardus* suo reliquerat loco, refellit.

Qualitates agni paschalis erant hæ, debebat esse 1) integer, 2) masculus, 3) anniculus. §. XXXII.

* In nota huic §pho addita contra *Spencerum* *Editor* evincit, falsum esse, quod Ægyptii crediderint, feminini generis sacrificia plus valere apud Deos quam masculini; & deinde, si vel admittatur, esse quædam in legibus Mosaicis Ægyptiorum institutis contraria, neutiquam tamen exinde sequi, ea κατ' ἀνθίδειαν a Mose esse sancita.

Actiones circa externum elementum in hoc sacramento erant agni

1) *Segregatio* §. XXXIII.

2) *Mactatio*, cui succedebat

3) *Assatio* §. XXXIV.

* De usu, ad quem agni mactati sanguinem adhibuerunt, de significatu vocis hebr. נס, nec non de forma crucis, quam, ubi assabatur, agnus repræsentabat, *Editor* in notis agit.

4) *Manducatio* §. XXXV.

* Ubi ad usum azymorum per integrum septiduum *Editor* rationem in nota adfert, cur Deus, cum ex septem illis diebus quinque intermedii fuerint ἐργάσιμοι, primum & ultimum pro festis haberi voluerit.

Porro idem in secunda nota de lege, quod nihil relinquendum fuerit usque ad sequentem diem & in

Tertia de verbis: *stut calceamenta vestra in pedibus vestris*, agit.

In quarta vero copiose observat, alias ex istis cærimoniis fuisse *perpetuas*, alias vero in *Ægypto* tantum *observatas*. Ad *priores* referuntur immolatio, assatio, manducatio cum azymis herbisque amaris, absque ulla ossium fractione. Ad *posteriores* vero pertinent leges de non egrediendo ex ædibus, de superliminari & postibus sanguine agni paschalis adspergendis, de habitu manducantium divinitus præcepto, de pecude paschali quatriduo ante mactationem seponenda.

Pertinet huc porro

Adspersio sanguinis in superliminari & postibus. §. XXXVI.

Tempus indicatur

1) *Institutionis* &

2) *Admi-*

2) *Administrationis* hujus sacramenti, utpote

a) Segregationis agni, §. XXXVII.

* Ubi *Editor* de significatu & derivatione nominis *Nisan* & *Abib* notas adspersit.

b) Mactationis §. XXXVIII. ubi

duæ quæstiones pertractantur,

an Christus die divinitus constituto manducarit pascha? §. XXXIX.

* Diversas eruditorum de hoc argumento sententias *Editor* in nota prolixe edisserit, & derelicta sententia communi interpretum, eodem tempore Christum cum Judæis pascha manducasse statuentium, iis suum adjicit calculum, qui statuunt, Christum cum discipulis pascha suum πανσεμον integro die citius, quam *pharisæos*, & nihilo tamen minus, æque ac illos, die XIV. Nisan comedisse cum *Karæis*.

Quid per *duas vesperas* intelligendum sit? §. XL.

* Verbis: *inter duas vesperas* Ex. XII. 6. *Editor* in notis dilucidationes quasdam adspergit ad refellendam *AbenEsræ* hac de re sententiam facientes.

c) Assationis & manducationis §. XLI.

3) *Durationis* denique tempus est usque ad Messiæ adventum, mortem & sacrificium. §. XLII. A tempore progreditur auctor ad

Locum, ubi celebratum fuit pascha. §. XLIII. & ad

Eos, qui admittebantur ad esum agni paschalis. §. XLIV.

* *Editor* in una nota huic §pho addita, omnis ætatis, generis, sexus, conditionis judæos, ne *infantibus* quidem exclusis, admissos fuisse docet, in altera vero ad pascha, quod Hiskias etiam illis, qui lege levitica immundi erant, una cum reliquis celebrare permisit, non tam *adprobationem*, uti auctor h. l. sentit, quam potius *condonationem* quandam Dei locum hic habuisse, observat.

Fines hujus sacramenti continet §. XLV. erat nimirum memoriale præteriti & figura futuri.

* *Editor* duas hic adjecit notas, in quarum *una Spenceri* sententiam refert, qui, ut rationem typicam agni paschalis eo magis enervaret, ostendere adnisus est, Deum, tum aliis institutis, tum vel maxime agno paschali, ritibus superstitiosis Zabiorum Ægyptiorumque obviam ire voluisse, a qua sententia etiam Jac. *Saurinus* non alienus fuit. Theologi simul recensentur, qui sententiam hanc solide confutarunt. In *altera* vero nota *Editor* quædam adfert de loco Joh. XIX. 36. ubi impletam esse scripturam *de osse non frangendo* in Christo crucifixo dicit Johannes, quem vero non ad Ex. XII. 46. sed potius ad Ps. XXXIV. 20. 21. respexisse existimant *Grotius* & *Spencerus*, quos alii jam refutarunt.

Comparatio agni paschalis cum Christo instituitur

respectu *agni* §. XLVI.

* Ubi *Editor* in nota præcipuos commemorat scriptores, qui in evolvendo agni paschalis mysterio studium suum operamque collocarunt.

respectu *actuum sacramentalium* §§. XLVII. XLVIII. XLIX. Posthæc

Sacrificium proprie sic dictum fuisse agnum paschalem, negatur ex rationibus adlatis §. L.

* *Editor* uberiori tractatione quæstionem hanc persecutus est in nota §pho addita, in qua docet, eos, qui cœtus romani sacra sequuntur, adfirmantem amplexos esse sententiam, præter hos vero complures etiam ecclesiæ Reformatæ theologos, qui sacrificium missaticum alias negant pernegantque, pascha Israëlitarum veri nominis fuisse sacrificium, existimare, quin nostræ etiam ecclesiæ doctorum non unam omnium de hocce argumento esse sententiam, alios enim adfirmare, quod rationem sacrificialem habuerit agni paschalis cærimonia, alios vero id negare, alios denique media hic via incedere, & statuere, quod agnus paschalis habuerit quidem rationem veri sacrificii, sed non integram. Cui posteriori sententiæ *Editor* subscribit, statuitque, agnum paschalem non tantum *sacramenti* veri, sed & *sacrificii*, proprie sic dicti, si ad pascha non tam *Ægyptiacum*, quam *Hierosolymitanum* respiciamus, habuisse rationem, licet in nonnullis partibus a sacrificiorum indole recesserit. Quod ipsum ut clarius pateat, per certas ivit positiones, easque singulas partim illustravit, partim vero comprobavit.

Usus doctrinæ de agno paschali commonstratur §. LI. & tota denique tractatio hæc absolvitur

Definitione hujus sacramenti §. LII.

CAPUT V.

De numero Sacramentorum novi testamenti.

I.) Quod *duo* tantum sint nov. test. sacramenta, videl. *baptismus* & *s. cœna*, sequentibus adstruitur *rationibus*

1) quia illis solis definitio & requisita sacramentorum competunt, §. LIII.

2) quia illorum materia profluxit ex Christi latere §. LIV.

3) quia aqua & sanguis in terra dicuntur testificari §. LV.

4) quia in vet. test. duo tantum fuerunt proprie dicta sacramenta §. LVI.

5) quia hæc duo ad fidei confirmationem & salutem sufficiunt §. LVII.

quibus rationibus deinceps adduntur

Testimonia Veterum §. LVIII. & exceptiones *Bellarmini* contra ea refelluntur §. LIX.

II.) Contra *Bellarminum*

1) Nostrates consentire in numero sacramentorum §. LX. & pontificios potius dissentire] §. LXI. probatur.

2) Fundamenta

numeri septenarii sacramentorum §. LXII.

confirmationis §§. LXIII. LXIV. &

extremæ unctionis §§. LXV. LXVI evertuntur, qua occasione etiam de

lotione pedum a Christo usurpata Joh. XIII. agitur §. LXVII. &

variæ denique rationes pro stabiliendo septenario sacramentorum numero a *Bellarmino* excogitatæ confutantur §. LXVIII.

Locus XXI.

DE BAPTISMO.

PROOEMIUM.

Ostendit *connexionem* cum loco præcedenti. §. I.

CAPUT. I.

De etymologia & homonymia baptismi.

Etymologia §. II.

Homonymia §. III. IV. a qua ortæ sunt distinctiones in baptismum *flaminis*, *fluminis* & *sanguinis* §§. V. VI. & aliæ §. VII.

Synonymia §. VIII. declaratur. Adpellationes baptismo tributæ sunt vel *propriæ*, vel *typicæ* §. IX. nec non varia baptismo encomia tribuuntur & periphrases tam a patribus græcis, quam latinis §. X.

CAPUT. II.

De vaticiniis & typis baptismi.

Vaticinia de baptismo (ubi in margine textus p. 75. col. b. sub finem errore typogr. irrepsit: *ex nov. test.* loco: *ex vet. test.*)

ex psalmis XXIII. 2. XXIX. 10. XLVI. 5. CIII. 5.

ex prophetis Es. XL. 31. XII. 3. XLIV. 3. XLIX. 22. LII. 15. &c. §. XI.

Typi baptismi

ex Mose Gen. I. 2. III. 21. VI. & VII. &c.

ex Josua Jos. III. &c.

ex libris regum 1 Reg. VII. 23. XVIII. 34. &c. §. XII.

ex novo test. Joh. V. 2. XIX. 34. &c. memorantur. §. XIII.

Συναθροισμος vaticiniorum ac typorum exhibetur §. XIV.

CAPUT III.

De institutione baptismi.

Causa efficiens *principalis* s. auctor baptismi est Deus §. XV. de

Tempore instituti baptismi non consentiunt scholastici §. XVI. nec de

Baptismo *Johannis*, an a Deo sit institutus? quod *Bellarminus* negat §. XVII. cujus argumenta diluuntur §. XVIII.

CAPUT IV.

De administratione baptismi.

I.) *Causa instrumentalis* s. minister baptismi fuerunt Johannes & discipuli Christi, §. XIX. Baptismum igitur Deus non αμεσως administrat, sed *ordinarie per ministros ecclesiæ* §. XX. Errant hinc *Pepuziani* & *Anabaptistæ* §. XXI.

* Ubi *Editor* in notis refert ea, quæ de *Pepuzianis* s. *Montanistis*, & *Quintillianis* s. *Cainitis*, seculi IV. hæreticis, tenenda sunt.

quorum argumenta refelluntur §. XXII. Post hæc

Quæstio-

Quæstiones de ministro baptismi pertractantur:

1) an ad baptismi integritatem requiratur *vocatio* ministri *legitima*, quæ adfirmatur §. XXIII.

2) an *fides recta* in baptizante requiratur, quod *Cyprianus* & concilii Carthaginensis patres voluerunt. §. XXIV. ex quo Cypriani errore *Donatistæ*, postea eundem secuti, hæresin & schisma fecerunt. §. XXV.

Quæstionis hujus de *baptismo hæreticorum* decisio distinctionibus quibusdam innititur. Nempe

Baptismus hæreticorum *substantialia* baptismi tollentium est irritus §. XXVI.

* *Editor* in nota observat, *Manichæos* baptismum non rejeciisse, quod *Augustinus* narrat, sed baptizasse, & virtutem animam mundandi baptismo tribuisse.

Nec tamen si solus minister ecclesiæ privatim & occulte hæresin institutioni & veritati baptismi contrariam foveat, ecclesia, cui addictus est, aperte diversum sentiente, irritus est baptismus §. XXVII.

Baptismus vero hæreticorum, qui *substantialia* baptismi observant, est ratus §§. XXVIII. XXIX. si fuerit necessarius §§. XXX. XXXI.

3) An in ministro ad baptismi integritatem requiratur *vitæ puritas*? quod negatur §. XXXII. uti nec aliæ prærogativæ ministrorum sunt respiciendæ §. XXXIII.

II.) *Extraordinarie* tamen in *casu necessitatis* in ædibus privatis a quovis christiano in articulis religionis recte instituto, citra sexus respectum, baptismum administrari posse statuitur,

1) quia in sacramento initiationis licet extraordinarie agere in casu extremæ necessitatis §. XXXIV.

2) quia circumcisio in casu necessitatis administrata fuit a privatis §. XXXV.

3) quia privatus morienti absolutionem adnunciat §. XXXVI.

4) quæ sententia denique etiam dictis veterum comprobatur §. XXXVII.

Negant hoc Calvini sectatores §. XXXVIII.

1) quia baptismus sit pars ministerii ecclesiastici §. XXXIX.

2) quia mulieribus non liceat eucharistiam administrare §. XL.

3) quia γυναικοβαπτισμὸς a *Marcione* fuerit introductus §. XLI.

4) quia infantes ante baptismum sint in fœdere Dei §. XLII.

5) quia sexus & pudor fœminarum ab omnibus publicis muneribus eas excludat §. XLIII. quæ singulæ rationes distincte confelluntur.

III.) De *Baptismo Johannis* quæritur, num idem fuerit cum baptismo Christi? quod *nos adfirmamus*, *pontificii negant*. §. XLIV.

* *Editor* in nota adfert ipsa Concilii Tridentini verba &, quam *Bellarminus* dedit, eorum expositionem, nec non alios, qui hoc evolvendi sunt, auctores memorat. Porro & *Socinianos* identitatem baptismi Johannis & Christi negare, nec non *Remonstrantes* idem sentire, quin & ex patribus fuisse, qui eam negarent, commonstrat.

1) Argumenta pro *nostra* sententia sunt hæc: quia baptismi Johannis eadem causa efficiens principalis §. XLV.

eadem materia &

eadem forma §§. XLVI. XLVII.

eadem denique efficacia est §. XLVIII.

quæ rationes contra exceptiones *Bellarmini* firmantur §. XLIX.

His addantur argumenta minus principalia & *secundaria* pro nostra sententia §. L. quæ itidem contra *Bellarmini* exceptiones vindicantur §§. LI-LIV. Posthæc

2) *Adversariorum* de baptismo Johannis sententia exhibetur, qui falso nostris dissensiones hac in quæstione tribuunt §. LV. & rectius de Scholasticis dixissent, quod in ea non conveniant §. LVI.

3) *Bellarmini* argumenta, quibus probare voluit,

a) baptismum Johannis non fuisse *idem cum baptismo Christi sacramentum*, sunt hæc:

α) quia baptismus Johannis ab ipso Johanne institutus fuerit,

β) non habuerit invocationem trinitatis,

γ) non pertineat ad novum testamentum, & quia denique

δ) iteratus fuerit. §. LVII.

b) Baptismum Johannis non habuisse *eandem efficaciam* cum baptismo Christi, inde probare conatur,

α) quia Johannes baptizaverit in aqua, Christus in Spiritu §. LVIII.

β) quia testimoniis suis patres hoc confirment §. LIX.

γ) quia Johannes fuerit præcursor Christi, & solum ad hoc venerit, ut pararet vias ejus. §. LX.

ε) *post baptismum Johannis* necessario *percipiendum fuisse baptismum Christi*, probare adnititur

α) ex verbis Johannis Matth. III. Marc. I. Luc. III.

β) ex historia evangelii & actorum. §§. LXI. LXII.

γ) ex Act. XIX. 5. §. LXIII.

quem locum auctor noster ita intelligit: *illi vero, qui audierunt*, h. e. qui doctrinam baptistæ de Christo receperunt, *baptizati sunt in nomen Domini Jesu.*

* Quam explicationem *Editor* pluribus argumentis & consensu aliorum interpretum confirmari posse in nota ostendit.

Interpretationem hanc auctor ulterius probat contra exceptiones

Bellarmini §. LXIV.

Stapletonis §. LXV. neque vero dissimulat,

Augustinum jam statuisse, quod duodecim illi viri Act. XIX. a Johanne baptizati, aqua iterum baptizati fuerint, quodque in genere baptizatis a Johanne necessarium fuerit baptismum Christi suscipere. §. LXVI.

* Jam *Cyprianum*, nec non postea b. *Lutherum* aliosque complures & antiquiores & recentiores theologos idem sensisse, & sententiam hanc nativæ Lucæ narrationi convenire, cum e contrario altera illa ab auctore adoptata valde coacta sit, &, si vel maxime iteratio baptismi h. l. concedatur, minime tamen exinde colligere posse Anabaptistas, iterandum esse Christi baptismum, *Editor* in nota luculenter commonstrat.

IV.) Quæstiones aliquot proponuntur:

1) an quis se ipsum baptizare debeat? resp. extra casum necessitatis nemini se ipsum baptizare licet. §. LXVII.

* In nota textui subjecta de secta *Sebaptistarum* differit *Editor*.

2) an baptismus a non-baptizato collatus sit legitimus? *affirmatur*. §. LXVIII.

3) an baptismi administratio committenda sit ministro alterutrius manus usu destituto? *resp.* non faciendum esse hoc propter ecclesiæ scandalum, interim tamen si baptismus a tali ministro collatus fuerit, eundem ratum esse judicandum, cum omnia substantialia fuerint observata. §. LXIX.

CAPUT V.

De materia baptismi.

Materia baptismi s. elementum externum in baptismo

I. Est *aqua* §. LXX. errores variorum hæreticorum circa materiam baptismi narrantur § LXXI. *Lutherus* ab errore, cujus eum *Bellarminus* hac in re adcusat, vindicatur §. LXXII.

* ubi *Editor* in nota de decreto quodam, in collectionibus iuris canonici de usu vini in baptismo exstante, quædam monet.

Bezæ sententia de quovis liquore exploditur §§. LXXIII. LXXIV. nec non consecratio aquæ pontificia §. LXXV.

Quæritur circa materiam baptismi

1) Quare Deus in aqua baptismum fieri voluerit? §. LXXVI.

2) An aqua paludosa, cocta, sulphurea utendum sit? LXXVII.

3) Quare Johannes in fluvio Jordanis potissimum baptizaverit? §. LXXVIII.

4) Quid de facto *Constantini* imperatoris statuendum, qui in Jordane baptizari voluit? §. LXXIX.

II.) *Aqua* baptismi est *verbo Dei comprehensa*. §. LXXX.

Verus sensus verborum Christi Matth. XXVIII. 19. §. LXXXI. & periphrasis eorum exegetica exhibetur §. LXXXII. unde adstruitur, totam SS. Trinitatem in baptismo gratia sua præsentem esse §. LXXXIII. Spiritum S. in & cum aqua efficacem esse §§. LXXXIV. LXXXV. nec sanguinem Christi a baptismo esse excludendum §. LXXXVI. verbum igitur s. nomen totius SS. Trinitatis est pars sacramenti huius substantialis altera, scil. *cœlestis* §. LXXXVII.

CAPUT VI.

De Forma Baptismi.

Forma baptismi *consistit* in mersione hominis baptizandi in aquam s. adfusione aquæ & recitatione verborum Christi Matth. XXVIII. 19. §. LXXXVIII.

* Cujus formulæ constantem usum ex antiquitate in nota demonstrat *Editor*.

Hæc forma baptismi ex verbo Dei demonstratur contra Bellarminum & Becanum §. LXXXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0318-2

LXXXIX. Verba substantialia nec omitti debent nec mutari §§. XC. XCI. si apostoli *in nomine Christi* baptizasse dicuntur, id de causa *efficiente* & *finali*, non *formali*, nec *dispensative* sed *recitative* intellexerunt §. XCII.

Errores variorum hæreticorum circa *formam* baptismi memorantur. §. XCIII.

* in nota *Editor* observat, locum *Augustini*, ab auctore excitatum, respicere *Paullianistas*, contra quos, quia substantiam & formam baptismi mutarunt, decretum sanxit Concilium Nicænum.

Quæstiones circa formam baptismi variæ occurrunt §. XCIV.

Postquam de forma *verborum* actum fuit hactenus, nunc de

Forma actionis quæritur:

1) an necessaria sit *immersio*, an vero per effusionem aquæ conferri possit baptismus? adfirmatur posterius §. XCV. & dictis veterum probatur §§. XCVI. XCVII.

* *Editor* in nota, veteres christianos *immersione* usos esse, etiam ex *Justino* probat, nec facile eos ab illa discessisse, nisi in duobus casibus iisque plane extraordinariis, & medio demum ævo, in occidente, & in provinciis sub frigidiore cœlo sitis, *adspersionem* introductam fuisse ostendit.

2) an trina vel una debeat esse adspersio? §. XCVIII. disquiritur.

* In nota *Editor* de loco *Gregorii* M. agit, qui, cum Ariani trina mersione uterentur ad significandas tres naturas trium personarum, loco eius unam mersionem in Hispania receptam fuisse refert.

3) an adspersio debeat esse totalis? §. XCIX.

4) quodnam membrum tingendum sit? §. C.

CAPUT VII.

De Fine Baptismi.

I.) Thesis nostra proponitur. *Finis* baptismi duplex est §. CI. baptismus est medium

1) *Regenerationis* §. CII. dictum Christi Joh. III. 5. de baptismo agere probatur §§. CIII. CIV. & contra adversariorum exceptiones evincitur §. CV. ad regenerationis fructum pertinet.

a) quod per baptismum fides accenditur §. CVI.

b) peccata remittuntur §. CVII.

c) fœdus gratiæ a Deo nobiscum erigitur §. CVIII.

d) Christum induimus §. CIX.

e) in filios Dei adoptamur §. CX.

f) ex potestate & regno satanæ liberamur §. CXI.

g) salus & vita æterna nobis datur §. CXII.

2) *Renovationis* §. CXIII. ad hujus fructum pertinet, quod per baptismum

a) peccati carnem deponimus,

b) cum Christo in mortem sepelimur,

c) Spiritus S. nobis donatur,

d) Christum induimus,

e) in fœdus Dei recipimur,

f) regeneramur §. CXIV.

Fines baptismi quomodo ab aliis enumerentur, docet §. CXV.

II. *Antithesis* pertractatur. Errant circa finem baptismi

1) *Neophotiniani Catabaptistæ*, qui statuunt, quod baptismus sit cærimonia externa certi tantum temporis §. CXVI. & negant, quod sit medium regenerationis §. CXVII.

2) *Calvini* sectatores, qui disputant, baptismum esse tantum signum ac symbolum regenerationis, non autem medium §. CXVIII. & multiplices circa hoc doctrinæ de baptismo membrum errores propugnant §. CXIX. Argumenta

a) *Nostra* contra analogiam, quam statuunt, *significativam* continet §. CXX.

b) *Adversariorum* argumenta, quibus nos oppugnant, diluuntur,

α) quod sequeretur, baptismum prodesse *ex opere operato* §. CXXI.

β) quod gratia Dei non adfixa sit signis §. CXXII.

γ) quod infantes fidelium ante baptismum sint in fœdere Dei §. CXXIII.

δ) quod quandoque illi baptizentur, qui iam ante sunt renati §. CXXIV.

ε) quod non omnes baptizati regenerentur §. CXXV.

ζ) quod multi baptizentur, qui pessime vivunt §. CXXVI.

neque tamen ideo omnes significationes ex baptismo eliminandas esse ostenditur §. CXXVII.

3) *Pontificii*, statuentes, baptismum a) delere culpam & pœnam, b) prodesse *ex opere operato*, & c) imprimere characterem indelebilem. Cum vero de *opere operato* & *impressione characteris* iam in tract. de sacramentis copiose dictum sit, hoc loco tantum de primo illo baptismi effectu agitur §. CXXVIII.

a) *Nostra* explicatio datur,

quod culpam deleat §. CXXIX.

quomodo deleat pœnam §. CXXX.

quod vero peccati reliquiæ post baptismum maneant §. CXXXI.

b) *Pontificiorum antithesis* §. CXXXII.

Bellarmini calumnia §. CXXXIII. &

argumenta recensentur ac confutata dantur, quibus probare voluit, deleri in baptismo, quidquid peccati rationem habet. Sunt vero hæc:

α) Scriptura utitur verbis *mundandi*, *tollendi*, *delendi* &c. §. CXXXIV.

β) Adserit, maculas, inquinamenta & iniquitates tolli §. CXXXV.

γ) Figuræ baptismi idem docent §. CXXXVI.

δ) Mundatio a peccatis comparatur rebus vere mundis §. CXXXVII.

ε) Per Adamum vera & inhærens injustitia in nos propagata §. CXXXVIII.

ζ) Christi mors est vera mors §. CXXXIX.

η) In baptismo renascimur §. CXL.

ϑ) Non possunt simul habitare lux & tenebræ §. CXLI.

ι) Deus peccata odit §. CXLII.

Bellarminus vero disputat porro *contra* hasce *Lutheri propositiones*:

κ) Baptizatum non posse gratiam Dei amittere, nisi nolit credere §. CXLIII. CXLIV.

λ) Baptismum liberare nos a lege §§. CXLV. CXLVI.

μ) Per baptismum liberari homines ab obligatione legis ecclesiasticæ §§. CVLVII. CXLVIII.

ν) Per baptismum vota fieri irrita §§. CXLIX. CL.

ξ) Sola memoria & fide susceptι baptismi dimitti peccata §§. CLI. CLII. & CLIII.

Idem *disputat* secundo loco contra *Chemnitium*, quem adcusat depravatæ sententiæ concilii Tridentini. §. CLIV. Et hic quidem adducuntur

α) Argumenta pro *nostra* sententia, quod efficacia baptismi extendat se in futurum, cum exceptionibus *Bellarmini* & additis earum solutionibus.

ℵ Fœdus Dei in baptismo nobiscum initum est perpetuum §§. CLV. CLVII.

ב Fideles Israëlitæ ex circumcisione efficaces consolationes duxerunt §. CLVIII.

ג) Fideles in nov. test. consolationes ex baptismo hauserunt §. CLIX.

ד) Scriptura de efficacia baptismi loquitur verbis in præterito, præsenti & futuro §§. CLX. CLXI.

Quibus adjunguntur argumenta *secundaria* §. CLXII. Tandem

β) Argumenta *Bellarmini* pro sua hypothesi proponuntur §§. CLXIII. CLXIV.

CAPUT VIII.

De Obiecto Baptismi.

I. *Objectum* baptismi sunt *homines vivi* §. CLXV. non ergo

1) *Mortui* §. CLXVI.

* *Editor* in nota 1ma monet, *Epiphanium*, ad quem *Gerhardus* provocat, non dicere, Cerinthianos mortuos baptizasse, a qua imputatione, fuerunt & antiquiori & recentiori ævo viri docti, qui eos liberarent, sed loqui eum de baptismo vicario.

** Idem in 2da nota ostendit, ex *Tertulliani* locis, quæ citat *Gerhardus*, non patere, quid de *Marcionitis* significare voluerit Tertullianus, & maxime incertum esse, an baptismus pro mortuis olim viguerit apud Marcionitas.

*** in 3tia amplum exhibet interpretum censum, qui vexatissimum dictum 1 Cor. XV. 29. enuclearunt & illustrarunt.

**** in

**** in 4ta ex variis, quas adducit, rationibus improbabile esse demonstrat, quod baptizandi ritus super martyrum sepulcris in eo respiciatur, quare majori probabilitate ei se commendat expositio b. *Bengelii*, cui baptizari super mortuis idem est ac: baptizari imminente morte s. in ipso quasi articulo mortis.

2) nec *Campanæ*. §. CLXVII.

* Etiam huic §pho *Editor* illustrationes in notis adjecit de *tempore*, quo baptismus campanarum in ecclesiam invectus fuerit; de *inscriptionibus*, quæ in campanis subinde inveniuntur, & ex quibus effectus, qui iisdem tribuuntur, cognosci possunt; nec non de gravissimo hoc baptismi abusu, quo *lotionem*, *unctionem*, *nominis* impositionem, *patrinos* etiam & alias, quæ in baptismo infantum adhibentur, cærimonias in baptismo campanarum observant pontificii, ad quod probandum quoque *Editor* exemplum ejusmodi litterarum, in quibus patrini ad campanæ baptismum invitantur, adposuit.

3) nec *infantes nondum in lucem editi* §. CCXVIII.

* in nota *Editor* præcipuos auctores adlegat, qui canonistarum de infantibus nondum natis, & de iis, qui ex parte tantum in lucem editi sunt, sententiam edifferunt. nec

4) *Monstra*. §. CLXIX.

5) *Corallia*, *lintea*, *fasciæ* &c. §. CLXX.

II.) *Baptizandi* sunt *adulti omnes* sine discrimine

1) *Populi*, etiam gentiles, §. CLXXI. etsi circumcisio tantum ad Israëlitas pertinuit §. CLXXII.

2) *Sexus*, etiam fœmellæ §. CLXXIII. etsi circumcisio ad masculos tantum pertinuit §. CLXXIV.

3) *Status*, & conjugati & cœlibes §. CLXXV.

4) Soli tamen ii, qui religionem christianam amplectuntur §. CLXXVI. ubi ad duas objectiones respondetur, quarum *una* hæc est: quod Johannes prius baptizaverit, quam prædicarit §. CLXXVII. *altera*: quod baptismus omnibus sine conditione competat §. CLXXVIII.

Quæstiones circa baptismum *adultorum* proponuntur

1) Quare *Christus* a Johanne baptismum susceperit?

Causæ *principales* sunt duæ:

a) ut nostrum baptismum sanctificaret §. CLXXIX.

b) ut peccata nostra ablueret §. CLXXX.

Causæ *secundariæ* recensentur plures §. CLXXXI.

2) Aliæ quæstiones: an amentes & furiosi, num inviti, num Judæi vi adhibita, num dormientes baptizandi sint, soluuntur §. CLXXXII.

III.) ad *Pædobaptismum* jam a baptismo adultorum transit auctor, ubi

1) *Quod* baptizandi sint *infantes*, probat Pædobaptismum oppugnarunt *Anabaptistæ* §. CLXXXIII.

* *Editor* in nota prolixa inseruit huic loco plenam historiam *Anabaptistarum*, *Mennonitarum*, *Baptistarum*, eorumque omnium, qui pædobaptismum in dubium vocarunt, quo, præter *Walafr. Strabonem* Sec. IX. clarum, *Brunonem*, *Berengarium*, *Petrobrusianos*, *Wicleffitas*, *Vivem*, *Erasmum*, inprimis pertinent *Sociniani*, *Arminiani*, & *Quakeri*.

Bellarminus inter eos, qui pædobaptismum rejiciunt, refert quoque *Lud. Vivem* & Des. *Erasmum*, quos auctor a suspicione erroris anabaptistici liberat §. CLXXXIV.

* *Editor* in nota uberius docet, duumviros istos, licet baptismum parvulorum haud penitus rejecerint, tamen a veritatis tramite deviasse, atque ad anabaptistarum errorem veluti viam straviss̃e, quod negarunt, pædobaptismum divinam habere originem, ævoque apostolorum nec non temporibus eorum ætati proximis in usu fuisse. Idemque pronunciandum esse ostendit de *Grotio*, *Salmasio*, *Paulo Colomesio*, *Godofr. Arnoldo*, *Poireto*, *Whistono*, *Separatistis*, *Dippelio*, *Auctore* illo der unschuldigen Warheiten, *Joh. Mich.* von *Löen* &c.

Bellarminus potius, pædobaptismum ex scriptura propugnans, sibimet ipsi contradicit §. CLXXXV.

a) *Argumenta nostra* pro pædobaptismo ducimus

α) Ex universali Christi mandato Matth. XXVIII. 19. §. CLXXXVI.

* quod *Editor* in nota ex baptismo proselytorum, apud Judæos olim usitato, & aliis observationibus illustrat.

β) Ex peccati originalis contagio §. CLXXXVII.

γ) Ex liberali Dei misericordis promisso §. CLXXXVIII.

δ) Ex aditu ad baptismi beneficia infantibus obvio §. CLXXXIX.

ε) Ex

ε) Ex generali *ecclesiæ* termino §. CXC.

ζ) Ex circumcisionis typo §. CXCI.

η) Ex testimoniis veterum §. CXCII.

* *Editor* in notis de auctoritate & authentia libri, qui sub nomine *Dionysii Areopagitæ* circumfertur, de *hierarchia ecclesiastica*, nec non de authentia *Constitutionum apostolicarum* agit; errorem auctoris, qui *Justino* martyri tribuit responsiones ad orthodoxos, emendat, & genuina adducit *Justini* martyris testimonia; locum *Irenæi* huc spectantem declarat; illi, quod auctor in textu adtulit, alia *Origenis* testimonia addit; errores ab auctore in figendis conciliorum, Carthaginensis IV ti, Milevitani IIdi, Gerundensis, Bracarensis, numeris & annis commissos corrigit; & uberius inquirit, num Tertullianus pædobaptismum simpliciter improbaverit, an duntaxat statuerit, cunctationem in baptismo, præcipue circa parvulos, esse utiliorem? quibus præmissis ostendit, Tertullianum pædobaptismi simpliciter rejecti haud posse accusari.

Argumenta Anabaptistarum sunt hæc:

α) Nullum habetur mandatum vel exemplum pædobaptismi CXCIII.

β) Christus trigesimo demum ætatis anno baptizatus est §. CXCIV.

γ) Infantes non intelligunt capita fœderis baptistici §. CXCV.

δ) Infantes non credunt §. CXCVI.

ε) Alia argumenta, quæ *Servetus* profert, continentur §. CXLVII.

* de libro *Serveti* de regenerationehistorica quædam adnotat *Editor*, qui etiam censum scriptorum exhibet, qui argumentum ejus a Trismegisti & Sibyllarum testimonio desumtum discusserunt.

Quæritur nunc ulterius,

2) *Quinam* infantes baptizandi sint? resp. *christianorum* infantes.

a) Exponitur, quinam *a nobis* hoc nomine intelligantur §. CXCVIII.

* de infantibus, qui ex infidelibus parentibus nati sunt, observationes & illustrationes in notis adjecit *Editor*.

b) *Antithesis* eorum exhibetur, qui infantibus populorum *infidelium*, simpliciter denegant baptismum §. CXCIX. neque tamen nos ideo infantes parentum infidelium per vim illis eripiendos, §. CC. neque porro liberos hæreticorum, qui palam protestantur, se liberos in hæresi educaturos, baptizandos esse sentimus §. CCI.

c) *Contra discrimen*, quod nos statuimus, secundum, quod non omnibus infantibus pateat aditus ad baptismum, *objiciunt* sequentia:

α) omnes infantes paris sunt conditionis §. CCII.

β) infantes non debent luere culpam parentum §. CCIII.

γ) Deus vult omnes salvos fieri §. CCIV.

δ) quidam christiani sunt peiores ethnicis §. CCV.

3) *Quæstiones* circa pædobaptismum occurrunt:

a) an infantes *spurii* sint baptizandi? §. CCVI. objiciunt

α) quod spurii prohibeantur ingredi templum Domini §. CCVII.

β) quod impiorum liberi maledicti pronuncientur §. CCVIII.

γ) quod nationis iniquæ diræ dicantur consummationes §. CCIX.

b) an infantes *exposititii* sint baptizandi? §. CCX.

c) quomodo cum infantibus agendum, quos fœminæ in casu necessitatis baptizarunt, si superstites maneant? §. CCXI.

d) an infantibus *excommunicatorum* baptismus sit conferendus §. CCXII.

e) an *liberi* christianorum parentum *ante baptismum sint in Dei fœdere* ac *sancti*? §. CCXIII. Exhibentur

α) Argumenta *nostra*, quibus hoc negamus §§. CCXIV-CCXVI.

β) Argumenta *Calvini* sectatorum, quæstionem adfirmantium:

א) Liberi christianorum dicuntur sancti 1 Cor. VII. §. CCXVII.

ב) Si radix sancta, etiam rami erunt sancti Rom XI. §. CCXXVIII.

ג) Christus jubet parvulos sibi adduci Marc. X. §. CCXIX.

f) an infantes baptizati *credant*?

α) *Nos* quæstionem hanc adfirmamus, & *infantum* per baptismum fœderi divino insertorum *fidem* probamus ex hoc, quia

א) Scriptura disertis & expressis verbis fidem illis tribuit §§. CCXX. CCXXI. Eadem

ב) infantibus tribuit proprietates & effecta fidei §. CCXXII.

ג) infantes justi sunt ac placent Deo §. CCXXIII.

7 in-

ד) infantibus aut fides tribuenda aut salus neganda §. CCXXIV.

ה) baptismi effecta non habent locum sine fide §. CCXXV.

ו) infantes circumcisi in vet. test. Deo placuerunt & per fidem salvati sunt §. CCXXVI.

ב) *Negant* fidem infantum *Anabaptistæ*, *Pontificii*, *Calviniani*, §. CCXXVII. ita quidem, ut *Anabaptistæ* infantibus simpliciter denegent fidem, *pontificii* fidem iis tribuant habitualem, *Calvini* sectatores semen fidei.

* In notis *Editor* iis, qui fidem infantum negant, etiam *Socinianos*, *Mennonitis* præcipuum adiectam *Herm. Schyn* addit, *pontificios* perperam in *Augustino* suæ hypotheseos præsidium quærere ostendit; & de eccleſiæ reform. theologis plura; denique etiam de peculiari Joh. Conr. *Engelhardi* sententia ea, quæ huc pertinent, recenset *Editor*. Hic nimirum per fidem infantum intelligit adsensum *præsumtum*.

Propositiones *Bellarmini* de hac quæstione exhibentur §. CCXXVIII. & dijudicantur §. CCXXIX.

* *Editor* peculiarem tractationem in nota inserit de fide infantum.

Argumenta adversariorum sunt hæc:

א) Infantes non audiunt verbum §. CCXXX.

ב) non habent usum rationis §. CCXXXI.

ג) in adulta ætate non recordantur suæ fidei §. CCXXXII.

ד) reluctantur baptismo §. CCXXXIII.

ה) baptizantur in fidem eccleſiæ ac propatrum §. CCXXXIV.

g) Quid statuendum de infantibus *ante baptismum* mortuis? §. CCXXXV.

* *Editor* in nota *Augustini* hac de re sententiam edifferit, & præter eum alios quoque de baptismo ita subinde locutos esse observat, ut haud obscure significent, sine illius usu nemini spem relictam esse vitam æternam consequendi. In quam classem referendi sunt *Chrysostomus*, *Cyrillus* Hieros. *Gelasius*, *Bernhardus*, *Petr. Lombardus*, alii.

Exponit auctor

א) Sententiam hac de quæstione

א) *Bellarmini* §. CCXXXVI.

ב) *Calvini* sectatorum §. CCXXXVII.

ג) *Nostram* §. CCXXXVIII.

* *Editor* in uberiori, quam in nota subjecit, tractatione diversas theologorum nostrorum sententias proponit, & *Carpovii* inprimis opinionem de salute infantum prolixe refert, posthæc suam de hoc argumento sententiam expromit. Eorum nempe sententia *Editori* se adprobat, qui parvulos extra eccleſiam natos haud damnant, sed potius de iis optime sperandum esse censent. Quam sententiam compluribus deinceps adlatis comprobat rationibus.

de infantibus in utero materno exstinctis §. CCXXXIX.

de infantibus in lucem editis, sed ante baptismum exstinctis §. CCXL. Sequuntur

ב) *Bellarmini* argumenta §. CCXLI. ejusdem disputatio contra *Ambrosium Catharinum* §. CCXLII. de cujus opinione quid statuendum sit, docetur §. CCXLIII. Proferuntur denique *Bellarmini* quoque argumenta, quibus probare contendit, parvulos sine baptismo decedentes non puniendos esse pœna sensus §. CCXLIV. & exceptiones ad nostra argumenta §. CCXLV.

CAPUT IX.

De Adjunctis Baptismi.

Adjuncta baptismi sunt:

I.) *Tempus*. ubi

1) Docetur,

quovis anni tempore & quavis diei hora baptismum suscipi posse §. CCXLVI. quod parentes liberos suos ad baptismum statim vel altero, vel tertio die a nativitate ad baptismum deferant, laudabilem esse consuetudinem, nec valere objectionem a circumcisione petitam §. CCXLVII. baptismi susceptionem non esse differendam ad finem usque vitæ §. CCXLVIII. optandum esse, ut ante meridiem & in publico ecclesiæ conventu baptismus administretur §. CCXLIX.

2) Quæritur; *an baptismus semel* vel aliquoties *suscipiendus?* §. CCL.

* ubi *Editor* in notis de Hemerobaptistis, de Donatistis, de Cingaris, de lege a Theodosio M. contra Donatistas seu iterantes baptismum lata illustrationes adsperst.

a) *Errores* variorum de repetitione baptismi §. CCLI. &

b) Objectiones pro repetitione ejus adducuntur, quæ sunt sequentes:

α) Quotidie indigemus remissione peccatorum §. CCLII.

β) Hypocritæ salutarium baptismi effectuum non participes fiunt §. CCLIII.

II.) *Locus.* Administrandus est baptismus *ordinarie* in publico ecclesiæ cœtu §. CCIV. in casu tamen *necessitatis* etiam in privatis locis administrari potest §. CCLV.

III.) *Cærimoniæ.* ubi

1) In genere de iis agitur, propositis regulis tam *generalibus* §. CCLVI. quam *specialibus* §. CCLVII. & *Bellarmino* refutato §. CCLVIII.

2) In specie de ritibus baptismi tractatio instituitur §. CCLIX. ritusque in nostris ecclesiis usitati enumerantur, qui sunt:

a) Commonefactio de peccato originis §. CCLX.

b) Impositio nominis §. CCLXI.

c) Exorcismus minor &

d) Crucis signum §. CCLXII.

* ubi *Editor* notam subjunxit de loco *Tertulliani*, quo *Gerhardus* ad probandum signi hujus usum utitur.

e) Preces §. CCLXIII.

f) Exorcismus, de quo prolixe agitur §§. CCLXIV - CCLXVII.

* *Editor* indicat, *Cyprianum* esse primum, qui exorcismi in baptismo adhibiti meminit, & commendat, quæ b. *Spenerus* de abrogatione exorcismi in cons. theol. scripsit.

g) Recitatio evangelii Marci,

h) Impositio manuum &

i) Orationis dominicæ recitatio §. CCLXVIII.

k) Patrinorum adhibitio, ubi officium susceptorum §. CCLXIX. & quæstiones de numero, de requisitis, de religione &c. eorum, pertractantur §. CCLXX.

quibus adduntur quædam de veste candida in baptismo §. CCLXXI.

* Editor in nota de hac baptizatos vestibus ornandi consuetudine plura differit.

l) Benedictio §. eod. Sequitur tandem in fine totius tractationis

Usus doctrinæ de baptismo §. CCLXXII.

itemque

Baptismi *Definitio*, §. CCLXXIII.

Jg 1830 (9/10)

ULB Halle
002 610 85X
3

1018

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS NONVS

DENUO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICUS COTTA

THEOLOGUS TUBINGENSIS.

TUBINGAE

SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE

M D CCLXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841128-p0327-2